

2061(I-III)

JO. LAURENTII
BERTI
FLORENTINI
FRATRIS EREMITÆ AUGUSTINIANI

OPUS

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

Nunc primum ſeptem voluminibus comprehenſum, & præter uberrimum, generalemque rerum indicem ad calcem appoſitum,

INTEGRA ADVERSARIORUM IN AUCTOREM OPUSCULA, QUÆ HACTENUS PRODIERUNT,

Necnon Apologeticas omnes ejuſdem Diſſertationes complectens.

EDITIO NOVISSIMA

Ab Auctore recognita, aucta, & ad uſum quoque Scholæ Ægidianæ accommodata, cui præter ea omnia, quæ in anteacta noſtra addita fuerant, accedit nunc primum ejuſdem Auctoris DISSERTATIO in Defenſionem Encyclicæ BENEDICTI XIV. adverſus quatuor dubiorum conſarcinatorem.

TOMUS QUINTUS

CONTINENS

ANONYMI SCRIPTORIS OPUSCULUM INSCRIPTUM, BAJANISMUS REDIVIVUS, EJUSQUE CONFUTATIONEM.



Es de la Libreria de este Conv.to de Sn Buenaven.a de la Ciud.d de Palencia: y no se puede sacar; pena de excomunion maior. Traxose Año de 1774.

PALENCIA

ROMÆ,
MDCCLXV.

SUMPTIBUS JOSEPHI REMONDINI VENETI.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



BENEVOLO, ATQUE DISCRETO LECTORI AUCTOR LIBRORUM DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS.



OMPLECTUNTUR tria hæc, quæ ſequuntur, Theologicarum Diſſertationum Volumina præcipuas quorumdam Adverſariorum noſtrorum oppoſitiones, atque noſtra ad ipſas reſponſa. Priorem tenet locum liber, cui Titulus, *Bajaniſmus Redivivus*, ab Anonymo Auctore conſcriptus, typiſque furtivis in lucem editus, ea ſtyli acerbitate, animique amaritudine, quam ab unoquoque vellem adnotari, ne quis arbitretur primam *Vindiciarum* mearum partem, quam immerito vehementerque laceſſitus repono, limites juſtæ defenſionis excedere: Utrumque enim perlegi debet, & unum alteri comparari, ut quod æquum rectumque ſit dignoſcatur. Illud præterea quiſque animadvertat neceſſum eſt, nos, dum Vindiciis illis exornandis impendimus operam, Auctorem Operis, quod refutandum erat, penitus ignoraſſe; tametſi ſeipſum poſtea vel incaute, vel confidenter, ratus fortaſſis ſuo nobis nomine timorem incutere, palam prodidit: quum ipſum latere nullatenus poſſet, meos, & *Fulgentii Bellelli* viri longe doctiſſimi libros in Urbe Roma fuiſſe procuſos, adprobantibus Theologis & Cenſoribus ſapientiſſimis, quorum judicium Romani Pontifices plurimi faciunt, adeo, ut illorum aliquos ampliſſima dignitate, atque Vaticana Purpura condecoraverint; nec idem Delator ignoraret, vetitum eſſe decretis Summorum Pontificum quempiam traducere invidioſa *Janſeniſmi* nomenclatura, niſi prius legitime, re ſcilicet diſcuſſa apud Eccleſiaſticum Tribunal, conſtiterit tradidiſſe illum ſcienter, ac pervicaciter, quinque proſcriptas propoſitiones, aut ſaltem ex iſtis aliquam. Atque idem prorſus judicium de iis, quæ conſequuntur, inſimulationibus, ſeu accuſationibus, proferendum eſſe nemo unus non videt. Comprehendunt itaque, ut ajebam, tria iſta Volumina I. Librum Anonymi inſcriptum, *Bajaniſmus Redivivus*. II. Syſtematis Auguſtiniani *Vindicati* partem primam, qua *Bajaniſmus Redivivus* refellitur. III. Alterum Conviciatoris opus, *Janſeniſmi Redivivi* præferens inſcriptionem. IV. Hujus Operis Confutationem, ſcilicet, Syſtematis noſtri *Vindicati* ſecundam partem. V. *Judicium* contra nos prolatum ab Archiepiſcopo Senonenſi. VI. Ejuſdem *Judicii* diſcuſſionem, *Expoſtulationis* vocabulo nuncupatam. Utantur, ſi lubeat, Adverſarii Sententiarum, quas Auguſtinenſium Schola propugnat, primæ, tertiæ, & quintæ partis objectamentis, dicteriis, clamoribus; nihil enim noſtra refert. Adhibeant Noſtrates ſecundæ, quartæ, ac ſextæ Reſponſionum noſtrarum, ſi idonea aptaque ſint, munimentis atque præſidiis: & ii, qui

neutri addicti ſunt parti, expendant abſque præjudicio, abſque perſonarum acceptatione, an adverſariorum, an potius noſtra melior ſit cauſa. Cunctis namque in hac diſperſarum lucubrationum Collectione morem gerere exiſtimavimus, jacula ſubminiſtrando hoſtibus ut feriant, clypeum ſodalibus ut ſe protegant, conflictum exhibendo ſpectatoribus ut devictos, victoreſque ſecernant. Gratanter itaque, lubenterque, ſive nobis inferre bellum excogites, ſive pugnantibus nobis adhæreas, ſive nullius geras ſollicitudinem, has, quas modo exhibeo, excipies, *Candide Lector*, Diſſertationes,



TY-

TYPOGRAPHI
AD LECTOREM
ADMONITIO.

IN hoc, ceteriſque duobus, quæ ſequuntur, voluminibus, cum Lector ad Opus de Theologicis Diſciplinis amandatur, ſæpe Tomus, Tomique paginæ indicantur; verum animadvertendum eſt citari paginas illas juxta Editionem primam Romanam, quæ octo in quarto volumina continebat. Cum vero in Apologeticis Diſſertationibus Adverſariorum Opuſcula, nempe *Bajaniſmus*, & *Janſeniſmus Redivivi*, citantur, eorumque paginæ indicantur, ſciendum eſt eſſe illas Editionis cujuſdam in 4. typis furtivis elaboratæ an. 1744. ac propterea huic noſtræ minime reſpondere poſſe. Nos intactas illas relinquendas putavimus, ne quidpiam in primigenio Auctorum textu immutaretur. Ceterum locupletiſſimi rerum Indicis ope, quem in fine totius Operis nunc primum adjecimus, facile quiſque poterit in Editione quoque noſtra loca illa adinvenire. Hoc te monitum voluimus, ne paginas illas in Editione hac noſtra quærens oleum & operam perderes. Vale.

INDEX

INDEX
CAPITUM,
ET ARTICULORUM,
Quæ in Bajanismo Redivivo continentur.

Bajanismi Synopsis historica. pag. 1

PARS PRIMA.

Bajani systematis expositio: 3

ARTICULUS I.

Quæ sint Baji doctrinæ principia: ibid.

ARTICULUS II.

Recensentur omnes Baji Propositiones secundum Ordinem materiarum digestæ: 4

§. I.

Expositio Propositionis 38. & aliarum quæ cum illa aliquo nexu doctrinæ cohærent. ibid.

§. II.

Propositiones circa statum Angelorum & primi hominis ante peccatum, & aliæ quæ cum iis quandam habent connexionem. 5

§. III.

Propositiones circa statum hominis post peccatum, & aliæ quæ cum iis quandam habent connexionem. 6

ARTICULUS III.

Confutantur alieni ac detorti quarumdam Propositionum sensus, quibus præcipue hujus temporis Novatores abutuntur. 8

§. I.

Confutantur alieni ac detorti sensus Bajanæ Propositionis 38. & aliarum quæ cum illa aliquo nexu cohærent. ibid.

§. II.

Exponitur germanus sensus Bajanæ Propositionis 27. & aliarum quæ cum illa aliquo nexu doctrinæ cohærent. 11

§. III.

Exponitur germanus sensus Propositionum 34. & 36. de amore Dei naturali. 16

§. IV.

Exponitur germanus sensus Propositionum 25. & 26. Omnia opera Infidelium sunt peccata. Et Philosophorum virtutes sunt vitia. ibid.

ARTICULUS IV.

Exponitur germanus sensus Bajanæ Propositionis 28. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet. 17

ARTICULUS V.

Errores Bajaniſtarum circa timorem, fidem atque ſpem Chriſtianam. 19

ARTICULUS VI.

Exponuntur verba Apoſtoli 1. *Cor.* 10. Sive manducatis &c. 21

§. I.

Omnes actiones noſtras in gloriam Dei referre, ſaltem virtute, non tenemur, in eo ſenſu, quod omnes & ſingulæ, quæ ſic non referuntur, ſemper ſint peccata. 22

§. II.

Omnes actiones noſtras in gloriam Dei tenemur referre, ſaltem virtute, in eo ſenſu, quod omiſſio illius relationis certis temporibus faciendæ & renovandæ, ſit peccatum. 24

PARS ALTERA.

Fratres Bellelli & Berti Bajaniſmi convincuntur. 28

ARTICULUS I.

Fratres Bellelli & Berti errorem in Propoſitione 38. *Baji contentum renovaſſe ac docuiſſe convincuntur.* ibid.

ARTICULUS II.

De impoſſibilitate ſtatus puræ naturæ. 31

§. I.

De debita ordinatione creaturæ rationalis in viſionem Dei intuitivam, deque debitis mediis ad illam obtinendam neceſſariis. ibid.

§. II.

Præcluditur primum F. Bellelli effugium. 32

§. III.

Alia quædam F. Bellelli effugia recenſentur atque refelluntur. 33

§. IV.

Quantopere conveniant inter ſe Bajus & F. Bellelli circa impoſſibilitatem ſtatus puræ naturæ. 34

§. V.

De immunitate a morte, a concupiſcentia, ignorantia, ceteriſque hujus vitæ miſeriis. 35

§. VI.

Confutatur Fratris Bellelli Apologia, quam inſeruit in poſteriori ſuo opere, pro impoſſibilitate ſtatus puræ naturæ. 37

§. VII.

Quid ſenſerit F. Berti de impoſſibilitate ſtatus puræ naturæ. 39

ARTICULUS III.

De amore Dei naturali. 40

ARTICULUS IV.

De operibus Infidelium. 41

ARTICULUS V.

De neceſſitate gratiæ ad vitandum peccatum. 44

ARTICULUS VI.

De timore, fide, atque ſpe. 46

ARTICULUS VII.

Hujus textus Apoſtoli, Omnia in gloriam Dei facite, *adulterina expoſitio a FF. Bellelli & Berti, & aliis Bajaniſtis excogitata atque conficta.* 48





BAJANISMUS REDIVIVUS

In Scriptis PP. FF. BELLELLI & BERTI,

Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.

QUAM abſurda, quotque cenſuris digna fuerit doctrina Baji, nulli Theologo ignorare licet. Emerſere enim e tali doctrina propoſitiones, quas S. Pius V. ſtricto coram ſe examine, ut ipſe expreſſis verbis declarat, ponderatas, tamquam hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes reſpective damnavit Bulla data die 1. Octobris 1567. quæ incipit, *Ex omnibus afflictionibus.*

I.

Hanc S. Pii V. Conſtitutionem, qua Bajani errores reprobantur, ſtrictæ, ut vocant, Facultatis Lovanienſis Academiæ ſignificandi cura Morillonio Vicario Generali Archiepiſcopi Mechlinienſis demandata fuit. Iſte, ut partes ſuas exequeretur, convocatæ ſtrictæ Facultati Bullam legit ac intimavit, die 29. Decembris ejuſdem anni 1567. qua lectione facta Decanus de conſenſu cæterorum Magiſtrorum, & Sacræ Facultatis nomine reſpondit, ſe omneſque alios unanimiter dictam Bullam, & ſingula ac univerſa quæ in ea continentur reverentur acceptare; atque eidem Bullæ ſe Doctoreſque alios velle in omnibus & per omnia, uti decet veros obedientiæ filios, religioſe parere ac obtemperare.

Atteſtatio Decani, quæ extat in nova Edit. Operum Baji, part. 2. pag. 66.

II.

Die tamen 8. Januarii anni 1569. Bajus doctrinæ ſuæ Apologiam miſit ad ſummum Pontificem, exorans eum, ut ea perlecta diſpiciat ac judicet utrum dictam Conſtitutionem tamquam legitimam ac ſufficienter diſcuſſam habere velit, an tamquam ſubreptitiam, & importunitate magis ac arte, quam ratione obtentam. Sed Bajo reſcripſit S. Pius V. 13. Maji ejuſdem anni, quod quamvis non ſine matura deliberatione edita fuerit Bulla, tamen ut ipſi ſatisfieret, mandaverit, ut & Libri & ipſæ Propoſitiones, & ſcripta Apologetica novo & maturo examine expenderentur. Deinde addit Summus Pontifex: *Quæ ſuper hoc ipſo jam decreveramus, niſi antea a nobis decreta fuiſſent, eadem, prout facimus, de integro decernenda ſtatuendaque eſſe judicavimus. Itaque tibi & cæteris prædictarum propoſitionum aſſertoribus ac defenſoribus pro earum aſſertione & defenſione perpetuum ſilentium imponimus.*

Ibid. pag. 79.

Ibid. pag. 140.

III.

Hujuſce Brevis Apoſtolici auctoritas, quæ Bajum in officio ſuo retinere debuiſſet, non retinuit. Quin imo audacior factus a docendis propugnandiſque erroribus damnatis non deſtitit. Hinc nova inter Lovanienſes excitata ſunt jurgia, & veritatis ſtudium ita exarſit inter Catholicos, ut quidam in privatis colloquiis, alii vero in publicis lectionibus, alii denique in ſacris Concionibus ad novos errores refellendos certatim incumberent. Ut tandem pax diu deſiderata inter Doctores conciliaretur, tres Epiſcopi, nimirum Yprenſis, Silvæ-Ducenſis, & Gandavenſis, anno 1570. ei conſuluerunt, ut in Scholis mentem ſuam palam aperiret circa proſcriptos articulos, ſicque a ſe omnem ſuſpicionem removeret. Verum tantum abeſt ut eorum conſiliis paruerit, ut e contra in publicis Scholis, oratione habita, diebus 17. & 19. Aprilis declarare non ſit veritus, quod ex proſcriptis articulis, quamvis nonnullos fateretur eſſe falſos, & recte damnatos, plures tamen fuerint male intellecti, alii a collectoribus non recte collecti; denique quod alii ſint tantum odioſi, eo quod in eis ſervatus non ſit conſuetus uſus loquendi Scholæ, cum tamen, inquiebat, aliquoties Patres reperiantur eodem modo locuti.

IV.

Ut tamen Bajanæ audaciæ infauſtos præverterent exitus, Epiſcopi totius Provinciæ Belgicæ, qui eodem anno Mechliniæ pro Nationali Synodo habenda congregati erant, Lovanium miſerunt eundem Morillonium, ut Bullam S. Pii V. in Scholis publicis promulgari curaret, quod feliciter ſucceſſit: nam convocatis omnibus Doctoribus, Pianam Bullam, quam prima vice coram ſtricta dumtaxat facultate legerat, in Scholis Theologicis, adſtantibus omnibus etiam Theologiæ Candidatis, publico ac ſolemni ritu, die 16. Novembris 1570. promulgavit, ſimulque petiit ab omnibus Theologis, an Litteris Apoſtolicis a ſe ipſo prolatis vellent obtemperare; & tunc omnes ad id ſe eſſe paratos clamaverunt.

V.

Ineunte anno 1579. cum Gregorius XIII. S. Pii V. Succeſſor reſciiſſet nonnullos eſſe Lovanii Doctores, qui Bullam ſuſpectam haberi vellent, tamquam ſuppoſititiam, & quoſdam alios qui eam contenderent obreptione obtentam, & brevi revocandam, & cum ii omnes ſub ementito tali prætextu articulos in Piana Conſtitutione damnatos aſſerere & pertinaciter defendere pergerent, ut hunc quorundam Lovanienſium errorem depelleret, & ut ipſis vanam illius futuræ revocationis ſpem adimeret, Bullam edidit, die 29. Januarii ejuſdem anni 1579. quæ incipit his verbis: *Proviſionis noſtræ*, & in qua S. Pii V. Bullam verbo ab verbum inſeruit, ſicque illam ſua ipſe quoque auctoritate confirmavit.

Hæc ut intelligerent Lovanienſes, miſit ad ipſos Franciſcum Toletum Societatis Jeſu, qui ſacra fuit deinceps Purpura inſignitus. Illi Bullam tradidit Summus Pontifex, ut Lovanium deferret, ibique eam promulgare, & ab omnibus, ea qua par erat reverentia, recipiendam ſedulo ac diligenter curaret. Quam fauſtus felixque fuerit Toleti ſucceſſus in negotio ipſi demandato nemo, ut opinor, ignorat. Lovanium pergit Toletus, & convocatis ibi, die 20. Martii 1580. Academiæ Lovanienſis, non ſolum Doctoribus Theologis atque Licentiatis, ſed etiam Baccalaureis & Candidatis, Bullam in plenis Comitiis tradidit Conrado Sylvio Univerſitatis Notario legendam, atque alta voce recitandam: qua palam recitata Toletus convertit ſeſe ad Bajum, petiitque ab eo, anne agnoſceret in ea Bulla multos articulos damnari, qui in Libellis quibuſdam ejus prius editis continerentur, etiam in eo ſenſu quo in Bulla damnantur. Quo agnoſcente & reſpondente

quod ſic, rogavit ex eo deinde anne eoſdem & reliquos omnes ibi comprehenſos & lectos damnaret: tum ille, *Damno*, inquit, *ſecundum Bullæ ipſius intentionem & ſicut Bulla damnat*. Dehinc præfatus Toletus ad reliquos Doctores Theologiæ converſus interrogavit, anne eoſdem articulos omnes damnarent & Bullam reverenter ſuſciperent: qui omnes uno ore reſponderunt eos articulos ſimpliciter ſe damnare, & Bullam religioſe habituros & obſervaturos. Eadem fuit vox omnium Licentiatorum, Baccalaureorum & Studioſorum, omnibus conſona voce conclamantibus, *Articulos damnamus, & Bullam reverenter ſuſcipimus, atque obedientiam pollicemur*. Hæc continentur in actis Facultatis Theologicæ Lovanienſis.

Opera Baji novæ Edit. part. 2. pag. 189. & 190.

VI.

Paulo poſt ſuaſit Bajo Toletus, ut quæ viva voce damnaverat, inſtrumento publico manu propria ſubſcripto agnoſceret ac declararet. Toleti conſiliis ceſſit ac paruit Bajus, & die 24. ejuſdem menſis retractationem, quam ab ipſo poſtulabat, emiſit Bajus. En ipſamet retractationis verba.

Ego Michael de Bay Cancellarius Univerſitatis Lovanienſis, & in eadem Profeſſor ſacræ Theologiæ agnoſco & profiteor me ex variis colloquiis & communicationibus habitis cum R. P. D. Franciſco Toleto Concionatore ſuæ Sanctitatis, & ad hanc rem ſpecialiter miſſo, ſuper diverſis ſententiis & propoſitionibus jam olim a Sanctiſſimo Domino noſtro Pio V. fel. Record. ſub data Cal. Octobris 1567. & nuper a Gregorio XIII. moderno Pontifice Maximo, ſub data quarto Cal. Februarii anno 1579. iterato damnatis & prohibitis, ita motum & eo perductum eſſe, ut plane habeam mihi perſuaſum earum omnium ſententiarum damnationem atque prohibitionem jure meritoque, ac non niſi maturo judicio ac diligentiſſima diſcuſſione præmiſſis, factam atque decretam eſſe. Fateor inſuper plurimas ex eiſdem ſententiis in nonnullis Libellis a me olim, & ante emanatam Sedis Apoſtolicæ ſuper eis cenſuram conſcriptis, & in lucem editis, contineri & defendi, etiam in eo ſenſu in quo reprobantur. Denique declaro me impræſentiarum ab iis omnibus recedere, & damnationi a S. Sede factæ acquieſcere, neque poſthac ullam earum docere aut defendere velle. Actum Lovanii die 24. Martii Anni 1580. Michael de Bay.

Ibid. pag. 152

VII.

Anno 1585. ut Lovanienſis Academia, non ſolum ab articulis damnatis abſtineret, ſed etiam Doctrinam contradictoriam amplecteretur & doceret, juſſa eſt a Nuntio Apoſtolico edere certum aliquod opus doctrinale, in quo exponeretur quid circa damnatos articulos ſentiendum eſſet. Hujus expoſitionis concipiendæ & elucubrandæ cura demandata eſt Doctori Lenſæo; & poſtquam deſcripta, & reliquis Doctoribus ad id requiſitis prælecta, ab iiſque probata eſt, tradita fuit Nuntio Apoſtolico qui eam benigne ſuſcepit, & eo procurante Facultas Duacena, ſicut & Lovanienſis, hoc corpus doctrinale acceptavit. Hujus Titulus ſic eſt: *Doctrinæ ejus, quam certorum articulorum damnatio poſtulare viſa eſt, brevis & quoad fieri potuit, ordinata & cohærens explicatio a veneranda facultate Sacræ Theologiæ in Lovanienſi Academia, Reverendiſſimi Illuſtriſſimique D. Joannis Bonhomi Vercellenſis Epiſcopi, & Apoſtolici per utramque Germaniam Nuntii voluntate ac juſſu concepta.*

VIII.

Defuncto deinde Bajo, anno 1589. prodiere nonnulli qui Baji cauſam defendendam ſuſcepere, inter quos, ut alios taceam, Cornelius Janſenius, ſtrenuus ille ac acerrimus Bajanæ Doctrinæ propugnator, qui in talis Doctrinæ defenſionem Librum edidit ſub titulo, *Auguſtinus*, Bajanis, variiſque aliis erroribus refertum. Peſtiferum hunc librum damnavit Urbanus VIII. in Bulla quæ incipit, *In eminenti*, die 6. Martii 1641. tamquam continentem & renovantem articulos, opiniones, & ſententias reprobatas atque damnatas in Conſtitutionibus S. Pii. V. & Gregorii XIII. ſimulque dictas Conſtitutiones perpetuo confirmat & approbat.

Hæc Urbani VIII. Conſtitutio publicata fuit Romæ die 19. Junii anni 1643. ac deinde, poſt varias moras multaque impedimenta a Novatoribus interjecta, fuit tandem, ſaltem quantum ad doctrinam, ab omnibus Catholicis recepta, ejuſque ſumma auctoritas variis in Conciliis Cleri Gallicani declaratur atque commendatur.

XI.

Ex his omnibus liquet Baji propoſitiones a prædictis Summis Pontificibus, & ab Eccleſia univerſa eſſe rejectas, proſcriptas, atque damnatas. Sed quia nonnulli Bajanum ſyſtema non ſatis perſpectum habuere, aut quarumdam propoſitionum damnatarum germanum ac legitimum ſenſum non ſat probe intellexerunt, vel intelligere noluerunt, inde accidit ut quidam ex illis, inſcienter fortaſſe, alii vero mala fide atque auſu temerario erroneam doctrinam amplexi ſint. Nec a tali mala fide liberandus videtur Pater Frater Fulgentius Bellelli Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, quem ſane Auguſtinus niſi ut filium haud dubie ſpurium inter ſuos Eremitas annumerare nequit. E tenebris neſcio quibus novus iſte exiit homo, qui Bajanam doctrinam jam pluries proſcriptam, dum ipſemet proſcribere ſimulat, eam fere extinctam, aut ſaltem quaſi conſopitam, in lucem revocat. Opera conſcripſit ad Bajanos errores inſectandos, & reipſa nihil docuit Bajus, quod Auctor ille non doceat; atque ita dum Bajum ſimulate inſequitur, ſtudioſiſſimum ac acerrimum ſe præbet Bajanæ Doctrinæ defenſorem. Hoc aperte patet, tum in Libro, quem edidit, & cui titulus eſt, *Mens Auguſtini de ſtatu Creaturæ rationalis ante peccatum*: tum in opere altero in duos tomos diviſo, & quod ſic inſcribitur, *Mens Auguſtini de modo reparationis humanæ naturæ poſt lapſum*. His enim in Libris temerarius ille Scriptor per varios atque varios ſenſus prorſus extraneos, ac doctrinæ Baji mendaciter affictos, non quaſdam dumtaxat Baji propoſitiones, ſed totum fere ipſius ſyſtema tuetur ac propugnat. Nec Baji doctrinam tantum, dum illam fraudulenter inſectari videtur, defendit; ſed varios dolos, artes varias, variaque effugia, quibus uſi ſunt Baji Diſcipuli, & præſertim Janſenius, ut Conſtitutionum Apoſtolicarum auctoritatem eluderet, & ipſe adhibet ad obnubilandos errores ſuos, ut ſic, ſi fieri queat, Eccleſiæ judicium atque cenſuram effugiat.

Memorandum hunc virum jamdiu æmulatur P. Frater Berti ex eodem Ordine Eremitarum S. Auguſtini F. Bellelli Religione conjunctus, ſed errorum ſocietate illi multo conjunctior. Sodalem ſuum totius ſane poſteritatis oblivione dignum, ſi jam non ſuperet F. Berti, illam ſaltem æquat earumdem opinionum pravitate, atque ſuo in hæreticas novitates ſtudio. In quatuor volumina diſtributum conſcripſit Librum, cui titulus eſt, *De Theologicis diſciplinis*, & in quo eaſdem init vias, eademque adhibet artificia ad renovandam Baji ipſiuſque Diſcipulorum doctrinam. Priuſquam tamen quid in ſcriptis utriuſque Auctoris ſit reprehenſione ac cenſura dignum inquiramus, operæ pretium erit totum Baji ſyſtema legentium oculis ſubjicere, quod in prima hujus Operis parte conſequemur: In altera vero FF. Bellelli & Berti Bajaniſmi reos evincemus.

PARS PRIMA
BAJANI
SYSTEMATIS
EXPOSITIO.

UT ad exponendum Bajanum Syſtema aliquo ordine procedamus, juvabit 1. Nonnulla hujus Novatoris referre Principia. 2. Omnes & ſingulas propoſitiones, cum ſecundum ordinem materiarum digeſtæ ad clariorem ejuſdem Syſtematis intelligentiam plurimum conferant, recenſebimus. 3. Denique ſinuoſos ac detortos quarundam propoſitionum ſenſus, quibus præcipue abutuntur hujuſce temporis Novatores, ad Bajanam doctrinam ab omni hæreſeos labe repurgandam, ſingillatim confutare non pigebit: & ideo ſit

ARTICULUS I.

Quæ ſint Baji Doctrinæ principia.

ANtequam Bajanum Syſtema candide enodemus, atque ut illius clariorem intelligentiam aſſequamur, quædam ſunt præmittenda.

I.

Supponendum eſt 1. Propoſitiones a S. Pio V. ſtricto, coram ipſo, examine, ut ipſe aſſerit, ponderatas *in rigore & proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento* fuiſſe damnatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent. Neque audiendi ſunt Baji Sectatores, qui per fictam unius commatis, ſeu virgulæ, tranſpoſitionem falſo contendunt S. Pium V. agnoviſſe nonnullas propoſitiones ſuſtineri poſſe in rigore & proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento; nam hæc eorum expoſitio, non ſolum contradicit tenori Bullæ & menti Summorum Pontificum, ſed etiam a Summis Pontificibus ſæpius improbata fuit, atque rejecta. Nec eſt cur immoremur in his refellendis Bajaniſtarum cavillationibus, quæ centies a Catholicis Doctoribus fuerunt in pulverem redactæ.

Cum ergo Baji propoſitiones damnatæ ſint in rigore & proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento, ut certius detegatur quis ſit damnatus ſenſus, inveſtigari debet potiſſimum quis ſit rigoroſus ſingularum propoſitionum ſenſus, atque etiam quis ſit ſenſus ab Aſſertoribus illarum propoſitionum intentus.

II.

Supponendum 2. inter Propoſitiones damnatas, quaſdam ſolummodo enuntiare doctrinam Auctoris, quaſdam vero inurere cenſura aliqua ſententiam Adverſariorum. Diſceptatur autem inter Theologos, an propoſitiones quæ adverſariorum ſententias cenſura aliqua inurunt, damnatæ ſint, non ſolum propter cenſuram qua afficiunt ſententias adverſariorum, ſed etiam propter doctrinam Auctoris quam enuntiant; v. g. Propoſitio 28. *Liberum Arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio non niſi ad peccandum valet*, enuntiat ſolummodo doctrinam Auctoris. Propoſitio autem 29. *Pelagianus eſt error dicere quod liberum Arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum*, inurit cenſura Pelagianiſmi adverſariorum ſententiam; & de hac, ſicuti de ſimilibus, controvertitur, an damnata ſit ſolummodo propter cenſuram, qua oppoſitam ſententiam afficit, nimirum quia de Pelagianiſmo arguit eos qui dicunt, liberum arbitrium valere ad ullum peccatum vitandum; non autem propter doctrinam Auctoris quæ in ea enuntiatur, nempe quod liberum arbitrium non valeat ad ullum peccatum vitandum; ita ut prohibitum ſit ſolummodo incuſare Pelagianiſmi eos qui aſſerunt liberum arbitrium valere ad aliquod peccatum vitandum; non autem prohibitum ſit, vi damnationis hujus propoſitionis, aſſerere liberum arbitrium non valere ad ullum peccatum vitandum.

Dixi, *vi damnationis hujus Propoſitionis 29.* nam ſi in eadem Bulla damnatæ ſint aliæ propoſitiones doctrinam Auctoris ſuper eadem materia ſolummodo enuntiantes, ut in propoſitione 28. *Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio non niſi ad peccandum valet*; tunc fateantur omnes neceſſe eſt, quod non liceat tueri propoſitionem 29. nec quantum ad acerbitatem cenſuræ, nec quantum ad ſubſtantiam dogmatis.

III.

Supponendum eſt 3. non omnes propoſitiones eſſe damnatas quaſi Bajum habeant Auctorem; nam in Procemio Bullæ ſic ait Summus Pontifex: *Magno mœrore afficimur, quod plerique, ſpectatæ alioquin probitatis & doctrinæ, in varias ſententias offenſionis & periculi plenas, cum verbo, tum ſcriptis, prorumpant, deque eis etiam in ſcholis invicem controverſantur, cujuſmodi ſunt ſequentes*, &c. Et poſt hæc verba immediate ſequuntur propoſitiones quæ damnantur.

IV.

Supponendum eſt 4. quod damnatæ a S. Pio propoſitiones, quæ a quibuſdam Theologis Lovanienſibus omnes delatæ fuerant Summo Pontifici, non omnes tamen ipſi Bajo adſcriberentur; ſed quædam tribuebantur aliis Doctoribus ac Magiſtris qui eas in Scholis ſuis temere propugnabant: attamen quod Bajus fuerit illarum fere omnium propoſitionum Auctor, atque cæterarum præcipuus ſaltem defenſor, licet ipſius nomen S. Pius V. in Bulla ſua conſulto tacuerit, conſtat, tum ex ejus Opuſculis in quibus multæ continentur, ſaltem quoad ſenſum, tum ex Apologia propoſitionum, quam poſt earum damnationem edidit & obtulit Summo Pontifici, tum denique ex iis omnibus quæ in hoc negotio geſta ſunt ad obtinendam a ſolo Bajo, non ab aliis, eam retractationem quam tandem ipſe, ut jam vidimus, tradidit die 24. Martii 1580. in qua profitetur habere ſibi *perſuaſum earum omnium ſententiarum damnationem atque prohibitionem jure meritoque, ac non niſi maturo judicio, & diligentiſſima diſcuſſione præmiſſis, factam atque decretam eſſe*. Fatetur inſuper, *plurimas ex eiſdem ſententiis in nonnullis Libellis a ſe olim, & ante emanatam Sedis Apoſtolicæ ſuper eis cenſuram conſcriptis & in lucem editis, contineri & defendi, etiam in eo ſenſu in quo reprobantur*. Denique *declarat ſe ab iis omnibus recedere, & damnationi a Sancta Sede factæ acquieſcere*, &c.

V.

Supponendum eſt 5. in Bulla Baji ſententias in globo & indiſtincte, etiam quoad numerum, damnatas fuiſſe; ſed multi deinceps Theologi eandem Bullam tranſcribendo, Bajanas propoſitiones ſingulas in ſua ſpecie & numero determinare cenſuerunt, ut ſeorſim poſſent facilius ac commodius citari: in eo tamen non omnes conſenſere, ut eandem cuique propoſitioni tribuerent latitudinem: unde fit ut in aliquibus exemplaribus major, in aliis vero minor reperiatur propoſitionum numerus; & conſequenter ut in eis referendis aliqua varietas deprehendatur apud Theologos. Hic ſecuti ſumus numerum propoſitionum, quem ſecutus eſt Editor Operum Baji, Typis mandatorum Coloniæ Agrippinæ 1696. apud quem extant propoſitiones numero 76.

VI.

Supponendum eſt denique, quod S. Pius V. in Bulla ſua non hunc ordinem ſibi præſcripſerit, quem ordo materiarum poſtulare videbatur, ſed eum quem habebant propoſitiones in variis Libellis a Bajo editis, ita ut viginti primæ deſumptæ ſint ex Libris duobus de meritis Operum, quatuor ſequentes ex Libro primo de prima hominis juſtitia; deinde ſex aliæ ex Libro ſecunde de Virtutibus Impiorum: Octo ex libro de Charitate: tres ex Libro de Libero Arbitrio: tres ex Libro de Juſtitia: una ex Libro de Sacrificio: Octo ex Libro de Peccato originis: Duæ ex tractatu de Oratione pro defunctis: Duæ ex tractatu de Indulgentiis. Reliquæ non habentur in editis Opuſculis, ſed fuere in Scholis, vel verbo, vel ſcripto traditæ. Iſte forſan fuit ordo in quo Summo Pontifici delatæ fuerunt propoſitiones, & ejus judicio ſubmiſſæ.

VII.

His præſuppoſitis, ſi quis cum debita attentione damnatas a S. Pio V. propoſitiones perlegere velit, is profecto facile percipiet præcipuum Bajanæ Doctrinæ Dogma,

ma, cæterorum fere omnium errorum in Bajo damnatorum caput atque principium istud esse; scilicet, quod omnis amor, quo Creatura rationalis fertur in aliquod objectum, est, aut vitiosa cupiditas qua mundus, & ea quæ in mundo sunt, diligitur; aut laudabilis illa charitas qua Deus amatur, atque ideo omnis amor Creaturæ rationalis habet pro fine, vel Deum charitate amatum, & est laudabilis; vel mundum, & est culpabilis atque vitiosa cupiditas.

Si autem omnis actio Creaturæ rationalis procedat semper, vel ex motivo charitatis, vel ex motivo cupiditatis, ideoque nullum sit inter hæc duo medium, sequitur necessario quod homo non potuerit creari sine charitate, vel saltem sine auxilio aliquo actuali, quo potuerit in primo instanti suæ creationis diligere Deum ex motivo charitatis, ac proinde quod charitas, vel saltem auxilium illud actuale fuerit debitum homini ante peccatum, & consequenter non fuerit gratuitum & supernaturale, sed naturale ac debitum. Deus enim creare non potuit hominem cum necessitate peccandi; non potuit ergo, si verum esset illud Baji principium, creare hominem absque charitate, vel saltem absque facultate diligendi Deum ex motivo charitatis.

VIII.

Ad stabiliendum suum systema, altero Bajus innititur principio, nempe quod malum sit homini carere iis, quæ ad integritatem Creaturæ rationalis pertinent: ad integritatem autem Creaturæ rationalis pertinere ait, quod destinetur ad visionem intuitivam Dei in cælis aliquando obtinendam, & quod Deo adhæreat per charitatem, adeo ut misera esset, si ad hanc beatitudinem non destinaretur, vel si Deo per charitatem non adhæreret. Et quia ad integritatem illius pertinere contendit quod careat omni miseria; hinc sequitur, non solum quod Deus non potuerit creare hominem, quin eum destinarit ad visionem intuitivam, eique contulerit media necessaria ad illam obtinendam; sed etiam quod nec eum creare potuerit obnoxium, ut nunc nascitur, morti, ignorantiæ, concupiscentiæ, aliisque hujus vitæ miseriis.

IX.

Sicuti Bajus statum hominis ante peccatum nimium erexit, ita plus æquo depressit statum illius post peccatum. Cum enim nullum medium agnoscat inter opera ex charitate, & opera ex cupiditate facta, docet hominem charitate & justitia originali spoliatum tamdiu subjacere cupiditati, tamdiu ex motivo cupiditatis operari ac proinde peccare, donec charitas intuitu meritorum Christi infundatur in corde illius per Spiritum Sanctum. Unde necessario sequitur liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valere. Et quoniam Infideles qui carent fide, quandiu tales sunt, agere nequeunt ex motivo charitatis; Deum enim, quem non norunt, diligere non possunt; consequens est quod omnia Infidelium opera sint peccata.

Quia autem homo charitate destitutus transgrediens præcepta peccat, ideo hanc propositionem, *Deum* scilicet *nihil præcipere impossibile*, reprobat tanquam Pelagii sit, non Augustini.

Et ut hoc suum systema conciliet cum libero hominis arbitrio, quod aperte negare ausus non est, contendit, illud omne quod voluntarie fit, etiamsi necessitate fiat, libere tamen fieri.

X.

Hæc sunt præcipua Bajani systematis capita, ad quæ reducuntur, ut mox videbimus, fere omnes a S. Pio V. damnatæ propositiones. Hæc omnia Cornelius Jansenius Yprensis Episcopus in suo libro, cui titulus est, *Augustinus*, exponenda, probanda, atque latius pertractanda suscepit. Nullum admittit, sicuti Bajus, medium inter laudabilem charitatem & culpabilem cupiditatem, & hanc doctrinam plenius explanando asserit voluntatem semper obtemperare, nec unquam posse resistere, sive charitati quam vocat cælestem delectationem, sive cupiditati quam vocat delectationem terrestrem, secundum quod una gradibus alteram superat; unde sequitur voluntatem humanam nunquam resistere gratiæ, nec illi posse resistere: præcepta Dei esse impossibilia omnibus illis qui non ea adimplent: Christum pro salute solorum Prædestinatorum mortuum esse, atque ut salvum sit, saltem quoad nomen, liberum hominis arbitrium, addit Jansenius cum Bajo, non requiri in homine ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ libertatem a necessitate, sed sufficere libertatem a coactione.

Ut autem a proposito nostro non discedamus, referre operæ pretium est omnes Baji propositiones, cum mentem ipsius circa sua dogmata clare enuntient.

ARTICULUS II.

Recensentur omnes Baji Propositiones, secundum ordinem materiarum digestæ.

QUamvis Baji Discipuli non omnes Magistri errores amplexi sint, eos tamen omnes referemus, ex iis enim simul collectis & ad certa capita revocatis facilius & melius patescet doctrina hujus Novatoris. Illi autem errores ad tria puncta revocari possunt. Primum complectitur propositiones, quarum doctrina vel eadem est omnino cum doctrina propositionis 38. nullum admittentis medium inter charitatem & cupiditatem, vel eam exponit, vel saltem cum ea evidenter connectitur. Secundum erit de Propositionibus, quæ spectant statum naturæ innocentis. Tertium de Propositionibus, quæ pertinent ad statum naturæ lapsæ: quæ tria tribus subsequentibus Paragraphis breviter exponemus. Itaque sit

§. I.

Expositio Propositionis 38. & aliarum quæ cum illa aliquo nexu doctrinæ cohærent.

QUod omnis amor quo Creatura rationalis fertur in aliquod objectum, sit aut vitiosa cupiditas, qua mundus, & ea quæ in mundo sunt, diligitur; aut laudabilis illa charitas, qua Deus amatur, atque ideo quod actio Creaturæ rationalis habeat pro fine vel Deum charitate amatum, sitque tunc laudabilis, vel mundum, sitque tunc culpabilis atque vitiosa cupiditas, docet Bajus propositione 38. quæ sic habet:

Omnis amor Creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur. Prop. 38.

Eandem doctrinam enuntiat propositio 16. his terminis: *Non est vera Legis obedientia, quæ fit sine charitate.* Prop. 16.

Hinc fit quod rejiciat, tamquam commentitiam, distinctionem illam Theologorum docentium Divinæ Legis Mandata bifariam impleri: altero modo quantum ad substantiam operum præceptorum tantum: altero quantum ad certum quendam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum.

Celebris illa Doctorum distinctio, Divinæ Legis mandata bifariam impleri: altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantum: altero quantum ad certum quendam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad Regnum æternum, hoc est, ad modum meritorum, commentitia est & explodenda. Prop. 58.

Rejicit quoque illam distinctionem, qua opus dicitur bifariam bonum, propositione 59. his verbis:

Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia objectio & omnibus circumstantiis rectum est & bonum; (quod moraliter bonum appellari consuevit) vel quia est meritorium regni æterni, eo quod fit a vivo Christi membro per spiritum charitatis, rejicienda est. Prop. 59.

II.

Quid autem intelligat nomine charitatis ipsemet exponit dicens, quod ea sit *Ipse animi motus quo Deum diligimus & proximum*. Charitatem autem illam asserit non esse ex nobis, sed ex Deo: diffundi per Spiritum Sanctum in cordibus nostris: non nisi a Patre per Jesum-Christum accipi: non ortum ducere ex libero hominis arbitrio, &c. Bajus o. pusc. de Charit. C. 2. 3. & 4.

III.

Ne quis autem existimet ab eo admitti aliquod medium inter laudabilem illam charitatem, quæ per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus nostris, & vitiosam cupiditatem, rejicit distinctionem illam amoris Dei, quam vulgo tradunt Theologi, in amorem naturalem, & in supernaturalem.

Ex quibus etiam manifestum evadit, inquit, *quam vana sit eorum distinctio, qui, ut Scripturis Sacris, & jam dictis, aliisque plurimis Veterum testimoniis illudant, sine ulla traditione contendunt duplicem esse Dei dilectionem: alteram qua Deum, tamquam futuræ beatitudinis largitorem diligimus, quæ per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus nostris, & charitas nuncupatur: alteram vero, qua Deum tanquam Creatorem amamus, quæ ortum ducat ex libero hominis arbitrio.* Et infra: *Nec mirum videri debet, juxta Augustinum, amorem Creatoris non minus diffundi in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, atque in Scripturis Sacris charitatem nuncupari, quam amorem Beatificatoris.* Bajus ib. C. 4.

Et Cap. 5. loquens de Theologis aliquem Dei amorem ex solo libero arbitrio procedentem admittentibus, sic habet: *Sicut juxta mundi sapientiam, sub nomine Philosophiæ, nostræ elationi persuadet humana præsumptio.*

Ex

Ex his duobus capitibus Opuſculi de charitate deſumptæ ſunt Baji propoſitiones 34. & 36.

Prop. 34. Propoſitio 34. *Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut Beatificator, vana eſt & commentitia, & ad illudendum Sacris Litteris, & plurimis Veterum teſtimoniis excogitata.*

Propoſitio 36. *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola Philoſophia per elationem præſumptionis humanæ, cum injuria Crucis Chriſti defenditur a nonnullis Doctoribus.*

IV.

Conc. Tri. Seſſ. 6. Can. 7. & Can. 1. Quamvis definierit Concilium Tridentinum, charitatem Dei diffundi in cordibus eorum qui juſtificantur, atque ipſis inhærere; Bajus tamen ſolam illam charitatem admittere videtur, quæ eſt actualis animi motus, quo Deum diligimus & proximum: unde ſicut hunc actualem animi motum contendit eſſe charitatem illam quæ diffunditur in cordibus noſtris, ita & juſtitiam, qua juſtificatur impius, ait conſiſtere formaliter in obedientia mandatorum, non autem in gratia aliqua animæ infuſa, ut patet ex propoſitionibus ſequentibus.

Prop. 42. Propoſitio 42. *Juſtitia, qua juſtificatur per fidem impius, conſiſtit formaliter in obedientia mandatorum quæ eſt operum juſtitia, non autem in gratia aliqua animæ infuſa, qua adoptatur homo in filium Dei & ſecundum interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ conſors efficitur, ut ſic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere & Dei mandatis obedire poſſit.*

Prop. 66. Propoſitio 66. *Juſtificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem & inſpirationem gratiæ, quæ per eam juſtificatos faciat implere legem.*

Prop. 60. Propoſ. 60. *Similiter & illa diſtinctio duplicis juſtitiæ, alterius quæ fit per ſpiritum charitatis inhabitantem, alterius quæ fit ex inſpiratione quidem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, ſed nondum cor inhabitantis & in eo charitatem diffundentis, qua Divinæ Legis juſtificatio impleatur, odioſiſſime & pertinaciſſime rejicitur.*

Prop. 61. Propoſ. 61. *Denique & illa diſtinctio duplicis vivificationis, alterius qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia & vitæ novæ propoſitum & inchoatio per Dei gratiam inſpiratur, alterius qua vivificatur qui vere juſtificatur, & palmes vivus in vite Chriſto efficitur, commentitia judicatur, & Scripturis minime congruens.*

V.

Dum contendit Bajus juſtificationem impii conſiſtere in obedientia mandatorum, fateatur neceſſe eſt impium juſtificari ante Baptiſmi vel abſolutionis Sacramentalis receptionem, tunc ſcilicet quando incipit mandatis obtemperare, illudque docet Propoſ. 43.

Prop. 43. Prop. 43. *in hominibus Pœnitentibus ante Sacramentum abſolutionis, & in Catechumenis ante Baptiſmum eſt vera juſtificatio, ſeparata tamen a remiſſione peccatorum.*

Et conſequenter docet charitatem reperiri in peccatoribus ante remiſſionem peccatorum.

Prop. 31. Prop. 31. *Charitas perfecta & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona & fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in Pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.*

Prop. 32. Prop. 32. *Charitas illa, quæ eſt plenitudo Legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum.*

Prop. 33. Prop. 33. *Catechumenus juſte, recte, & ſancte vivit, & mandatum Dei obſervat ac legem implet per charitatem ante obtentam remiſſionem peccatorum, quæ in Baptiſmi lavacro demum percipitur.*

Prop. 67. Prop. 67. *Homo exiſtens in peccato mortali, ſive in reatu æternæ damnationis, poteſt habere veram charitatem; & charitas etiam perfecta poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis.*

VI.

Eidem etiam inhærens principio docet operibus pleriſque quæ a fidelibus fiunt, ut mandatis Dei pareant, juſtificari quidem homines, non tamen iis obtinere incrementa virtutum.

Prop. 44. Prop. 44. *Operibus pleriſque quæ a fidelibus fiunt ut Dei mandatis pareant, cujuſmodi ſunt obedire Parentibus, depoſitum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abſtinere, juſtificantur quidem homines, quia ſunt legis obedientiæ, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.*

VII.

Peccata autem, extra caſum neceſſitatis, aut martyrii, non remitti ſine actuali ſuſceptione Sacramenti, docet Prop. 68. his verbis:

Prop. 68. Prop. 68. *Per contritionem, etiam charitate perfectam, & cum voto ſuſcipiendi Sacramenta conjunctam, non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis, aut martyrii, ſine actuali ſuſceptione Sacramenti.*

VIII.

Contendit quoque quod in Sacramento Baptiſmi, & in Sacerdotis abſolutione proprie dumtaxat tollatur reatus peccati, & quod miniſterium Sacerdotum ſolum liberet a reatu pœnæ.

Prop. 54. Prop. 54. *In peccato duo ſunt, reatus & actus: tranſeunte autem actu nihil manet niſi reatus, ſeu obligatio ad pœnam. Unde in Sacramento Baptiſmi, aut Sacerdotis abſolutione, proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, & miniſterium Sacerdotum ſolum liberat a reatu.*

Prop. 55. Prop. 55. *Peccator pœnitens non vivificatur miniſterio Sacerdotis abſolventis, ſed a ſolo Deo, qui pœnitentiam ſuggerens & inſpirans vivificat eum & reſuſcitat, miniſterio autem Sacerdotis ſolum reatus tollitur.*

IX.

Quod ſi nomine peccatoris intelligas eos omnes qui non operantur ex motivo charitatis, conſequens eſt, juxta principium Baji in propoſitione 38. enuntiatum, quod peccator ſemper agat ex motivo cupiditatis, ac proinde quod ſemper peccet. Illud diſerte docet in propoſitionibus ſequentibus.

Prop. 35. Prop. 35. *Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.*

Prop. 40. Prop. 40. *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati.*

Itaque mirum non eſt, Bajum nomine peccatoris non intelligere illum, qui quamvis nondum obtinuerit remiſſionem peccatorum, operatur tamen ex motivo charitatis, cum contendit in propoſitionibus modo allatis, quod vera juſtificatio, ſeparata a remiſſione peccatorum, ſit in tali peccatore; atque ideo quod in eo ſenſu non amplius ſit peccator. Sic enim exponit ipſe iſtas duas propoſitiones in Apologia ſua.

Nunc autem quo ſe ſe extulerit Bajana temeritas nemo eſt qui non videat. Nec mirum: effrænatus enim ac furens hæreſeos impetus modum habere non conſuevit. Sed ad alia properemus.

§. II.

Propoſitiones circa ſtatum Angelorum & primi hominis ante peccatum, & aliæ quæ cum iis quandam habent connexionem.

COngruenter huic principio, ratione cujus nullum admittitur medium inter laudabilem charitatem, & culpabilem cupiditatem, docent Bajaniſtæ, quod, cum Deus non potuerit creare hominem cum neceſſitate peccandi, non potuerit quoque illum creare ſine charitate, vel ſaltem ſine auxilio quodam actuali, quo potuerit in primo inſtanti ſuæ creationis diligere Deum ex motivo charitatis, ac proinde quod charitas, vel ſaltem auxilium illud actuale fuerit debitum homini ante peccatum, & conſequenter fateri debent cum Bajo, quod illud non fuerit gratuitum & ſupernaturale, ſed naturale ac debitum, quod docuit Bajus Prop. 21. 23. 24. & 27.

Prop. 21. Prop. 21. *Humanæ naturæ ſublimatio & exaltatio in conſortium Divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda eſt, non ſupernaturalis.*

Prop. 23. Prop. 23. *Abſurda eſt eorum ſententia, qui dicunt hominem ab initio dono quodam ſupernaturali & gratuito ſupra conditionem naturæ fuiſſe exaltatum, ut fide, ſpe, & charitate Deum ſupernaturaliter coleret.*

Prop. 24. Prop. 24. *A vanis & otioſis hominibus, ſecundum inſipientiam Philoſophorum, excogitata eſt ſententia, hominem ab initio ſic conſtitutum, ut per dona naturæ ſuperaddita fuerit largitate conditoris ſublimatus, & in Dei Filium adoptatus; & ad Pelagianiſmum rejicienda eſt iſta ſententia.*

Prop. 27. Prop. 27. *Integritas primæ Creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.*

I.

Ut genuinus harum propoſitionum ſenſus facilius aperiatur, præmittendum eſt ex Concilio Tridentino, Adamum, antequam peccaſſet, conſtitutum fuiſſe in ſanctitate & juſtitia. Nomine ſanctitatis in qua conſtitutus fuerat Adamus, antequam peccaſſet, (ſive in ea creatus fuerit, ut communiter docent Theologi, ſive illam acceperit a Deo, poſtquam creatus fuit, & antequam mandatum ejus tranſgrederetur, ut nonnulli alii docuerunt) intelligatur gratia illa, qua qui præditus eſt formaliter Deo gratus conſtituitur. Juſtitia vero originalis, prout a gratia ſanctificante diſtinguitur, certam quandam includit, tum animæ, tum corporis rectitu-

Conc. Trid. Seſſ. 5. Can. 1.

dinem ac perfectionem, quæ in tribus potiſſimum conſiſtit, quibus homo ſecundum omnes ſuas facultates efficiebatur rectus. 1. Præditus erat in intellectu, non tantum naturali rerum omnium cognitione conditioni ſuæ conſentanea, ſed & ſupernaturali per fidem Myſteriorum notitia, ac præſertim Dei ut finis ultimi per viſionem intuitivam, ac amorem fruitivum poſſidendi: in voluntate vero virtutibus & donis omnibus, quæ gratiam ſanctificantem comitantur, ornatus erat. 2. Pars inferior animæ ſuperiori plane ſubjecta erat, ita ut nunquam contra, vel præter ejus præſcriptum inſurgeret; & ſic nulla erat omnino in hoc ſtatu interior tentatio, ſive carnis, ſive ſpiritus, nulluſque animæ aut corporis indeliberatus motus. 3. Corpus ſpeciali quadam Creatoris beneficentia immortale erat, atque non ſolum a morte, ſed etiam a morbis, doloribus, & a cæteris hujus vitæ miſeriis & moleſtiis prorſus immune: & in hoc donorum complexu juſtitiam originalem poſitam eſſe vulgo docent Theologi.

II.

Docent præterea donum illud quod humana natura ſublimatur & exaltatur in conſortium Divinæ naturæ, ut Deum fide, ſpe, & charitate colat, & quo homo in filium Dei adoptatur, uno verbo, ſanctitatem & juſtitiam originalem fuiſſe primo homini indebitam, ideoque potuiſſe creari Adamum abſque illa: item ſanctitatem & juſtitiam illam fuiſſe ſupernaturalem eo ſenſu, quod humanæ naturæ conditio eam non requirebat. Hanc Theologorum Orthodoxorum doctrinam rejicit Bajus in Propoſ. 21. 23. 24. & 27. ſupra citatis, & contendit integritatem primæ creationis, ac conſequenter ſanctitatem & juſtitiam, in qua Adamus a Deo fuerat conſtitutus, fuiſſe naturalem humanæ naturæ conditionem, fuiſſe illi debitam, primumque hominem creari non potuiſſe ſine illa. Quæ doctrina damnata eſt in propoſitionibus ſupra allegatis.

III.

Docent etiam Theologi Orthodoxi, quod ad hoc ut quis mereatur bonis operibus vitam æternam, requiratur eum eſſe in ſtatu gratiæ, ſeu opera illa proficiſci a perſona quæ ſit juſta & grata Deo per ſpiritum adoptionis in illa habitantem; Concilium enim Tridentinum Seſſ. 6. Cap. 16. & Can. 32. ſupponit meritoria eſſe ſolummodo opera hominum juſtificatorum. Bajus tamen contendit opera bona a filiis adoptionis facta non recipere rationem meriti ex eo quod fiant per ſpiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, ſed tantum ex eo quod ſunt conformia Legi, ut patet ex ſequentibus propoſitionibus.

Prop. 13. Propoſ. 13. *Opera bona filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo quod fiunt per ſpiritum adoptionis inhabitantem corda Filiorum Dei, ſed tantum ex eo quod ſunt conformia Legi, quodque per ea præſtatur obedientia Legis.*

Prop. 12. Propoſ. 12. *Pelagii ſententia eſt, opus bonum citra gratiam adoptionis factum non eſſe regni cœleſtis meritorium.*

Prop. 15. Propoſitio 15. *Ratio meriti non conſiſtit in eo quod qui bene operatur habeat gratiam & inhabitantem Spiritum Sanctum, ſed in eo ſolum quod obedit divinæ Legi.*

Prop. 17. Propoſitio 17. *Semiunt cum Pelagio, qui dicunt eſſe neceſſarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis ſublimetur ad ſtatum Deificum.*

Et conſequenter contendit omne opus quo obeditur legi, etiam ſine gratia ſanctificante factum, ex ſe vitæ æternæ eſſe meritorium.

Prop. 2. Prop. 2. *Sicut opus malum ex natura ſua eſt mortis æternæ meritorium; ſic opus bonum ex natura ſua eſt vitæ æternæ meritorium.*

Prop. 4. Prop. 4. *Vita æterna homini integro & Angelo promiſſa fuit intuitu bonorum operum; & bona opera ex lege naturæ ad illam conſequendam per ſe ſufficiunt.*

Prop. 5. Prop. 5. *In promiſſione facta Angelo & primo homini continetur naturalis juſtitiæ conſtitutio, qua pro bonis operibus, ſine alio reſpectu, vita æterna Juſtis promittitur.*

Prop. 6. Prop. 6. *Naturali Lege conſtitutum fuit homini, ut ſi in obedientia perſeveraſſet, ad eam vitam pertranſiret in qua mori non poſſet.*

Prop. 11. Prop. 11. *Quod pie & juſte in hac vita mortali uſque in finem converſati vitam conſequamur æternam, id non proprie gratiæ Dei, ſed ordinationi naturali, ſtatim initio creationis conſtitutæ juſto Dei judicio deputandum eſt; neque in hac retributione bonorum ad Chriſti meritum reſpicitur, ſed tantum ad primam inſtitutionem generis humani, in qua lege naturali conſtitutum eſt, ut juſto Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.*

Prop. 14. Prop. 14. *Opera bona juſtorum non accipiunt in die Judicii extremi ampliorem mercedem, quam juſto Dei judicio mereantur accipere.*

Prop. 18. Prop. 18. *Opera Catechumenorum, ut fides, & pœnitentia ante remiſſionem peccatorum facta, ſunt vitæ æternæ merita, quam vitam ipſi non conſequuntur, niſi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur.*

IV.

Ex qua doctrina ſequitur quod, juxta eundem Bajum, merita, ſive bonorum Angelorum, ſive primi hominis ante peccatum, dici non debeant gratia, & ſimiliter quod gratia dici non debeat felicitas æterna conceſſa bonis Angelis & promiſſa Adamo, ſi in juſtitia perſeveraſſet, quod aſſerit idem Auctor in propoſitionibus ſequentibus.

Prop. 1. Prop. 1. *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia.*

Prop. 3. Prop. 3. *Et bonis Angelis, & primo homini, ſi in ſtatu illo perſeveraſſet uſque ad ultimum vitæ, felicitas eſſet merces & non gratia.*

Prop. 7. Prop. 7. *Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, ſed juxta modum loquendi Scripturæ Sacræ, non recte vocantur gratia; quo fit ut tantum merita, non etiam gratia debeant nuncupari.*

Prop. 9. Prop. 9. *Dona conceſſa homini integro & Angelo forſitan non improbanda ratione poſſunt dici gratia; ſed quia ſecundum uſum Sacræ Scripturæ, nomine gratiæ ea tantum munera intelliguntur quæ per Jeſum-Chriſtum male merentibus & indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces quæ illis redditur, gratia dici debet.*

V.

Sequitur etiam quod Deus non potuerit hominem creare, ſecluſo peccato, obnoxium morti, & aliis hujus vitæ miſeriis, ignorantiæ, concupiſcentiæ, &c. ut aſſerit Bajus in propoſitionibus ſequentibus.

Prop. 75. Prop. 75. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.*

Prop. 76. Prop. 76. *Falſa eſt Doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe a Deo creari & inſtitui ſine juſtitia naturali.*

Prop. 53. Prop. 53. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur.*

Prop. 69. Prop. 69. *Omnes omnino juſtorum afflictiones ſunt ultiones peccatorum ipſorum; unde Job & Martyres, quæ paſſi ſunt, propter peccata ſua paſſi ſunt.*

Hæc docuit Bajus circa ſtatum Angelorum, atque primi hominis ante peccatum. Nunc videndum quid dixerit de ſtatu hominis poſt peccatum Adami.

§. III.

Propoſitiones circa ſtatum hominis poſt peccatum, & aliæ quæ cum iis quandam habent connexionem.

HIc recenſendo quaſdam Baji propoſitiones circa ſtatum hominis poſt peccatum, & alias quæ cum iis quandam habent connexionem, ſatis patebit eundem Novatorem, non minus de homine lapſo hæretice ſenſiſſe, quam de innocente, ut jam vidimus, hæretice ſenſerit. Eidem ſemper adhærens principio quod continetur in propoſitione 38. juxta quam nullum admittitur medium inter charitatem laudabilem, & culpabilem cupiditatem, novos ſtatuit errores, non pernicioſos minus atque damnandos, quam cæteros quorum jam mentionem fecimus.

I.

Quis enim non videat quod ex doctrina propoſitionis 38. evidenter ſequatur. 1. Omnia Infidelium opera eſſe peccata; nam Infideles qui carent Fide, quandiu tales ſunt, agere nequeunt ex motivo charitatis; Deum quem non norunt diligere non poſſunt, ergo agunt ſemper ex motivo cupiditatis.

Prop. 25. Prop. 25. *Omnia opera Infidelium ſunt peccata.*

Prop. 26. Prop. 26. *Et Philoſophorum virtutes ſunt vitia.*

Prop. 22. Prop. 22. *Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli ad Rom.* 2. (Gentes quæ legem non habent, naturaliter, quæ Legis ſunt, faciunt) *intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus.*

II.

Sequitur quoque liberum hominis arbitrium, cum non poſſit abſque divinæ gratiæ adjutorio agere ex motivo charitatis, agere ſemper, abſente gratia, ex motivo cupiditatis, ac proinde fieri non poſſe, quin homo gratiæ Dei adjutorio deſtitutus peccet in omnibus actibus ſuis. Hunc errorem aſſerit in ſequentibus propoſitionibus.

Prop. 28. Prop. 28. *Liberum arbitrium ſine gratia Dei adjutorio non niſi ad peccandum valet.*

Prop. 29. Prop. 29. *Pelagianus eſt error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.*

Propoſ. 30. Prop. 30. *Non ſolum fures ſunt ii & latrones, qui Chri-*

Chriſtum viam & oſtium veritatis & vitæ negant, ſed etiam quicumque aliunde quam per ipſum in viam juſtitiæ (hoc eſt aliquam juſtitiam) conſcendi poſſe dicunt, aut tentationi ulli ſine gratiæ ipſius adjutorio reſiſtere hominem poſſe, ſic ut in eam non inducatur, aut ab ea non ſuperetur.

Prop. 37. Prop. 37. *Cum Pelagio ſentit qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit.*

Prop. 62. Prop. 62. *Non niſi Pelagiano errore admitti poteſt uſus liberi arbitrii bonus, ſive non malus; & gratiæ Chriſti injuriam facit qui ita ſentit & docet.*

III.

Vult tamen peccare eos qui tranſgrediuntur mandata, quamvis, abſente gratia, ſint ipſis impoſſibilia, unde ſic mentem ſuam aperit.

Prop. 52. Prop. 52. *Diffinitiva hæc ſententia, Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falſo tribuitur Auguſtino, cum Pelagii ſit.*

IV.

Ut autem hoc ſuum ſyſtema conciliet cum libero hominis arbitrio, docet libere fieri illud omne quod fit voluntarie, etiamſi neceſſitate fiat; & ut hunc errorem aſtruat, aſſerit primum duobus modis intelligi poſſe quod voluntas ſit libera: altero, quia qui vult quippiam habet in ſua poteſtate ut quod vult etiam poſſit nolle; quæ libertas vulgo a neceſſitate dicitur: altero modo, quia in eis quæ vult, aut facit, nulli ſervituti eſt obnoxia, & dicitur libertas a ſervitute; ſicque proſequitur cap. 7. *Huic libertatis modo impertinens eſt utrum id quod libere fieri dicitur, etiam poſſit non fieri, quia voluntas juxta hunc modum, ob id duntaxat libera dicitur, quia neque invita quoquam trahitur, neque ſub aliqua hoſtili poteſtate ſponte captiva tenetur, ſed prompte & libere id quod debet facit, & cui ſubeſſe debet, lubens obſequitur.*

Bajus in Opuſc. de lib. arbitr. C. 4 & 5.

Non reprehenditur Bajus ex eo quod hanc duplicem diſtinxerit libertatem, ſcilicet a neceſſitate & a ſervitute, neque ex eo quod aſſeruerit impertinens eſſe libertati a ſervitute, utrum actio ſit in voluntatis poteſtate: ſed illius error conſiſtit in eo quod idem aſſeruerit de libertate ad merendum & demerendum neceſſaria, de libero hominis arbitrio, videlicet quod libertas illa conſiſtere poteſt cum neceſſitate agendi. Quod autem Bajus loquatur de libertate ad merendum & demerendum neceſſaria, patet, quia de ea agit in toto hoc Opuſculo, quod inſcribitur, *de libero hominis arbitrio, ejuſque poteſtate*, de quo ait cap. 1. plures quæſtiones extitiſſe contra Catholicam fidem, refertque Stoicos, Manichæos, Lutherum, Calvinum, &c. qui omnes errarunt circa libertatem neceſſariam ad merendum & demerendum, & poſtquam in capitibus ſequentibus aſſeruit voluntatem dici liberam, vel quia libera eſt a neceſſitate, vel quia libera eſt a ſervitute, addit cap. 8. liberum arbitrium idem eſſe quod libera voluntas, & intelligendum eſſe de libero arbitrio illud omne quod ſuperius dixerat de libera voluntate: deinde hæc addit, *Auguſtinus ſecutus Evangelium, etiam liberum arbitrium in eo intellexit, quod nullius extraneæ poteſtatis ſervituti eſſet obnoxium, ſive in poteſtate haberet id quod agit omittere, ſive non.* Ex quibus evidenter colligitur docuiſſe Bajum quod liberum hominis viatoris arbitrium conſiſtere poſſit cum neceſſitate operandi, vel, ut fert tertia Janſenii propoſitio, quod *ad merendum vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiratur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficiat libertas a coactione.* Quod ad hoc punctum attinet, propoſitiones Baji ſunt iſtæ.

Prop. 39. Prop. 39. *Quod voluntarie fit, etiamſi neceſſitate fiat, libere tamen fit.*

Prop. 63. Prop. 63. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

Prop. 64. Prop. 64. *Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod neceſſario facit.*

Prop. 41. Prop. 41. *Is libertatis modus qui eſt a neceſſitate, ſub libertatis nomine non reperitur in ſcripturis, ſed ſolum nomen libertatis a peccato.*

Prop. 65. Prop. 65. *Infidelitas pure negativa, in his in quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.*

V.

Docet inſuper in propoſitionibus infra ſcriptis, motus concupiſcentiæ, quos homo invitus patitur, prohibitos eſſe Lege divina, licet in peccatum non imputentur.

Prop. 72. Prop. 72. *Motus pravi concupiſcentiæ ſunt, pro ſtatu hominis vitiati, prohibiti præcepto*, Non concupiſces: *Unde homo eos ſentiens & non conſentiens tranſgreditur præceptum*, Non concupiſces; *quamvis tranſgreſſio in peccatum non deputetur.*

Prop. 48. Prop. 48. *Prava deſideria, quibus ratio non conſentit, & quæ homo invitus patitur, ſunt prohibita præcepto*, Non concupiſces.

Prop. 49. *Concupiſcentia, ſive lex membrorum, & prava ejus deſideria quæ inviti ſentiunt homines, ſunt vera Legis inobedientia.* Prop. 49.

Prop. 73. *Quandiu aliquid concupiſcentiæ carnalis in diligente eſt, non facit præceptum*, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Prop. 73.

Prop. 71. *Concupiſcentia in renatis relapſis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum eſt, ſicut & alii habitus pravi.* Prop. 71.

VI.

Contendit quoque nullum peccatum ex natura ſua eſſe veniale.

Prop. 20. *Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.* Prop. 20.

VII.

Quod autem attinet ad peccatum originale, plura de illo ſtatuit non minus reprehenſione digna. Docent Theologi quod peccatum originale ſit voluntarium, partim voluntate Adami, partim voluntate ſingulorum, eo ſenſu quod voluntas Adami, conſiderata in ratione capitis totius generis humani, erat quodammodo voluntas poſterorum ejus, ita ut quidquid ille ſic vellet, ipſi etiam vellent, non quidem propria & perſonali ſua voluntate, ſed communi voluntate, nimirum ſui capitis. Adamus autem fuerat conſtitutus a Deo caput in eſſe, tum naturali, tum morali, omnium eorum qui ab eo deſcenſuri erant ſeminaliter; & præceptum non comedendi de ligno ſcientiæ boni & mali fuerat datum Adamo, non ut ſingulari duntaxat homini, ſed ut ſtipiti & capiti totius naturæ humanæ, ita ut ipſo illud ſervante, ejus poſteri cenſerentur ſervare, ipſo autem tranſgrediente, cenſerentur tranſgredi. Sic ſatis communiter explicant Theologi propagationem originalis peccati. Huic doctrinæ contradicit Bajus in propoſitionibus quæ ſequuntur.

Prop. 46. *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium; nec definitionis quæſtio eſt, ſed cauſæ & originis; utrum omne peccatum debeat eſſe voluntarium. Unde peccatum originis vere habet rationem peccati, ſine ulla ratione ac reſpectu ad voluntatem a qua originem habuit.* Prop. 46.

Prop. 47. *Peccatum originis eſt habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens ſine regenerationis Sacramento, quando uſum rationis conſecutus eſt, actualiter Deum odio habeat, Deum blaſphemet, & Legi Dei repugnet.* Prop. 47.

Prop. 50. *Omne ſcelus eſt ejus conditionis, ut ſuum auctorem & omnes poſteros eo modo inficere poſſit, quo infecit prima tranſgreſſio.* Prop. 50.

Prop. 51. *Quantum eſt ex vi tranſgreſſionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt qui cum minoribus naſcuntur vitiis, quam qui cum majoribus.* Prop. 51.

VIII.

Docent Theologi Orthodoxi hominem per peccatum Adami fuiſſe quidem ſpoliatum gratia originali, amiſiſſe jus quod illi competebat ad Regnum Cælorum, iis donis factum fuiſſe indignum, atque ideo recte dici quod Redemptionis gratia data eſt indignis atque male merentibus; ſed ſimul docent quod in ſtatu naturæ lapſæ homo per merita Chriſti in gratia ſanctificante conſtitutus, operibus bonis, non ſolum mereatur augmentum gratiæ atque vitam æternam, ſed etiam quod iis donis dignus ſit. Erravit itaque Bajus contrarium aſſerendo propoſitione 8.

Prop. 8. *In redemptis per gratiam Chriſti nullum inveniri poteſt bonum meritum, quod non ſit gratis indigno collatum.* Prop. 8.

IX.

Eodem fundamento nixus docet hominem juſtum per opera ſatisfactoria non mereri de condigno relaxationem pœnæ temporalis, cujus remanet debitor poſt remiſſionem peccatorum.

Prop. 10. *Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimiſſo ſæpe remanet, & corporis reſurrectio proprie non niſi meritis Chriſti adſcribenda eſt.* Prop. 10.

Prop. 56. *Quando per eleemoſynas aliaque pœnitentiæ opera Deo ſatisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis noſtris offerimus, ſicut quidam errantes autumant; (nam alioqui eſſemus aliqua ex parte redemptores) ſed aliquid facimus, cujus intuitu, Chriſti ſatisfactio nobis applicatur & communicatur.* Prop. 56.

Prop. 74. *Satisfactiones laborioſæ juſtificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem reſtantem poſt culpam condonatam.* Prop. 74.

Congruit iiſdem principiis propoſitio quæ ſequitur,

Prop. 57. Prop. 57. *Per paſſiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur noſtra delicta, ſed per communionem charitatis nobis eorum paſſiones impartiuntur ut digni ſimus qui pretio Sanguinis Chriſti a pœnis pro peccatis debitis liberemur.*

X.

Tres ſuperſunt propoſitiones in Bajo damnatæ, quæ eandem cum cæteris connexionem non videntur habere.

Prop. 70. Prop. 70. *Nemo præter Chriſtum eſt abſque peccato originali. Hinc Beata Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adam contractum, omneſque ejus afflictiones in hac vita, ſicut & aliorum Juſtorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.*

Prop. 19. Prop. 19. *Opera juſtitiæ & temperantiæ, quæ Chriſtus fecit, ex dignitate perſonæ operantis non traxerunt majorem valorem.*

Prop. 45. Prop. 45. *Sacrificium Miſſæ non alia ratione eſt ſacrificium, quam generali illa qua omne opus quo fit ut ſancta ſocietate Deo homo inhæreat.*

XI.

Hactenus de Propoſitionibus a Piana Bulla damnatis. In quo ſenſu infauſtus illarum Parens eas peperierit ac defenderit, ex iis quæ diximus jam poteſt facile intelligi; ſed ut reprobus ille ſenſus ab auctore intentus clarius adhuc pateat, conſulenda ſunt ejus Opuſcula, atque etiam Apologia illa, quam ipſe poſt editam Bullam conſcripſit, quamque Summo Pontifici examinandam obtulit: nam licet in ea aliquando errorem ſuum fucatis verbis obvolvere atque contegere tentet, ſæpius tamen mentem ſuam ſatis dilucide aperit, & quid revera ipſe de damnatis propoſitionibus ſentiat verbis expreſſioribus exponit. Reperitur hæc Apologia in Editione jam citata Operum Baji Coloniæ Agrippinæ 1696. part. 2. pag. 79. Item Breve Apoſtolicum Bajo conſequenter datum, ibidem pag. 140.

XII.

Illud præterea haberi poteſt (nimirum quis fuerit ſenſus Bajanarum propoſitionum) ex doctrinæ explicatione, quam circa propoſitiones damnatas ordinavit, ut jam diximus, Facultas Lovanienſis, jubente & promovente Nuntio Apoſtolico. Scopus enim Lovanienſium in hoc Opuſculo fuit, juxta Nuntii Apoſtolici mandata, ut definirent ſententias propoſitionibus damnatis contradictorias; ac proinde certo erui poteſt ex ea expoſitione propoſitionum damnatarum germanus ſenſus.

XIII.

Illud ulterius certo detegi poteſt (nempe quis fuerit Bajanarum propoſitionum ſenſus) ex damnatione Cornelii Janſenii Yprenſis Epiſcopi, qui plurimos, eoſque præcipuos Magiſtri ſui errores renovavit in libro, cui titulus eſt, *Auguſtinus;* quem librum Summus Pontifex Urbanus VIII. anno 1641. in Conſtitutione quæ incipit, *In Eminenti*, (ut initio hujuſce operis obſervatum eſt) proſcripſit, tanquam continentem & renovantem articulos, opiniones, & ſententias in Bulla S. Pii V. reprobatas atque damnatas. Unde inferre licet ſenſum in propoſitionibus Bajanis a S. Pio V. damnatum illum eundem eſſe quem approbat atque tuetur Janſenius in ſuo libro, cui titulus eſt, *Auguſtinus;* ac proinde erui poſſe ex libro Janſenii germanum ſenſum propoſitionum in Bajo damnatarum.

Sed cum mens noſtra non ſit in hoc tractatu omnium & ſingularum Baji propoſitionum germanum & genuinum ſenſum aperire, ſed nonnullarum dumtaxat illegitimum confutare ſenſum, earum ſcilicet quas Novatores hujus temporis ſtudioſius renovare affectant, eaſque in errorum ſuorum ſubſidium ad ſenſus extraneos detorquere; futurum ut hoc aſſequamur in articulo ſequenti, confidenter ſperamus.

ARTICULUS III.

Confutantur alieni ac detorti quarumdam Propoſitionum ſenſus, quibus præcipue hujus temporis Novatores abutuntur.

CUm jampridem intellexerint Novatores nullum ipſis ſupereſſe locum Baji doctrinam Eccleſiæ fulminibus ſubducendi, novos excogitarunt ſenſus Auctori propoſitionum prorſus ignotos, quos tamen quibuſdam propoſitionibus aſtute ac doloſe tribuunt. Has propoſitiones referemus, & quam a mente Auctoris alienus ſit ſenſus a Novatoribus iis propoſitionibus affictus, totidem Paragraphis oſtendemus.

§. I.

Confutantur alieni ac detorti ſenſus Bajanæ Propoſitionis 38. & aliarum quæ cum illa aliquo nexu cohærent.

PRæcipuum totius Bajani Syſtematis caput, ac quaſi totius doctrinæ baſis eſt Propoſitio 38. prout jam obſervatum eſt. Hanc propoſitionem tot fulminibus fauciatam, ut illæſam efficiant, nihil non moliuntur Novatores. Sed quo fundamento? Nullo prorſus, ut mox demonſtrabitur.

Propoſitio autem illa ſuperius relata, & hic iterum recenſenda, ſic habet. *Omnis amor Creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur: aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur.*

I.

Novatores ut cenſuram illius Propoſitionis effugiant, contendunt illam intelligi debere de caritate & cupiditate habituali, non autem de actuali; ideoque illius ſenſum eſſe quod omnis Amor habitualis ſit aut vitioſa cupiditas, aut laudabilis charitas, ita ut omnis actio hominis juſti ſit laudabilis, & omnis actio peccatoris vitioſa, quam fatentur in eo ſenſu jure merito fuiſſe damnatam.

Si hæc propoſitio intelligeretur de charitate & cupiditate, non actuali, ſed habituali, liceret adhuc poſt Bullam S. Pii V. aſſerere quod omnis actio ſit aut ex motivo charitatis, & eſt laudabilis; aut ex motivo cupiditatis, & eſt culpabilis; & quod nullum ſit inter ea duo medium: ſicque dici poſſet quod omnia infidelium opera ſint peccata: quod liberum arbitrium abſque gratiæ Dei adjutorio non valeat niſi ad peccandum: quod homo non potuerit creari abſque charitate, in actu, vel in potentia: quod non potuerit non deſtinari ad æternam beatitudinem in Cælo poſſidendam: quod omnis actio quæ fit, vel timore pœnæ, vel ſpe retributionis, niſi habeat pro fine ulteriori Deum charitate amatum, ſit peccatum &c. quæ omnia rite & evidenter eruuntur e principio, ratione cujus nullum admittitur medium inter opera ex motivo charitatis, & ex motivo cupiditatis facta.

Itaque ut hanc explicationem a Baji diſcipulis confictam, & a mente Magiſtri certe alienam penitus evertamus, oſtendendum eſt hanc propoſitionem 38. damnatam eſſe in ſenſu charitatis & cupiditatis, non habitualis, ſed actualis; & cum propoſitiones Baji damnatæ ſint in ſenſu ab aſſertoribus intento, nobis probandum incumbit, ab ipſomet Bajo ſic intellectam eſſe illam propoſitionem.

II.

Deſumpta eſt hæc propoſitio ex Opuſculo, cui titulus eſt, *De Charitate*. Ut autem clarius pateſcat quis ſit ſenſus illius a Bajo intentus, præmittenda videtur brevis Opuſculi Analyſis.

Quærit primum in hoc Opuſculo Bajus, quid ſit charitas, duplicemque diſtinguit, unam quæ eſt Deus ipſe, de qua Joannes, *Deus Charitas eſt;* & de hac ibi non agitur: alteram quæ eſt Dei donum, & eſt, inquit, ut jam annotavimus, *ipſe animi motus quo Deum diligimus & proximum, qui accidens eſt & qualitas, de quo dicitur*, Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis..... *An vero*, addit, *præter hunc animi motum qui charitas dicitur, alia quædam habitualis atque accidentalis qualitas in voluntate ponenda ſit, quæ etiam charitas nuncupetur, non magnopere contendendum exiſtimo*. De ea igitur charitate habituali non curat Bajus, & eam quaſi ſubdubitans & anxius charitatem appellat; *quæ etiam charitas nuncupetur*, inquit, *non magnopere contendendum exiſtimo*. Quo ergo fundamento, ne dicam, qua audacia, aſſerunt Novatores in propoſitione 38. agi de charitate habituali, non vero de actuali, cum charitatem habitualem rejicere videatur Bajus, vel ſaltem hoc genus charitatis non admittere? Bajus Opuſc. de Charit. c. 1. & 2.

III.

Quæ deinde in hoc Opuſculo ſubjungit non minus contradicunt huic adverſariorum effugio. *Nunc dicamus*, inquit, *de origine charitatis, quæ in animi motu conſiſtit.* Charitas igitur, juxta Bajum, in animi motu conſiſtit; de actu ergo loquitur, & nullatenus de habitu. Charitas habitualis conſiſtit in aliquo permanente, intrinſeco, & animæ inhærente, non vero in motu qui tranſit: cum ergo Bajus doceat charitatem illam de qua ipſe loquitur eſſe animi motum, eamque conſiſtere in motu, evidens eſt quod de charitate actuali, & non de habituali loquatur.

Præterea cap. 4. rejicit duplicem quam Theologi diſtinguunt dilectionem Dei, *alteram qua Deum tanquam futuræ Beatitudinis largitorem diligimus, quæ per Spiritum San-*

Sanctum diffunditur in cordibus noſtris, & charitas nuncupetur: alteram vero qua Deum tamquam Creatorem amamus, quæ ortum ducat ex libero hominis arbitrio; contenditque, *amorem Creatoris non minus diffundi per Spiritum Sanctum in cordibus noſtris, atque in Scripturis Sacris charitatem nuncupari, quam amorem Beatificatoris*; & conſequenter hæc addit cap. 6. *Imo ſi quis diligenter ſupra dicta Auguſtini teſtimonia conſideret, forſitan comperiet, juxta ipſius ſententiam, omnem creaturæ rationalis amorem, aut vitioſam eſſe cupiditatem qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, dum ait*, Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt; *aut laudabilem charitatem, qua Deus amatur, quam niſi Deus ipſe non donat, nec aliter niſi per Mediatorem Dei & hominum Jeſum Chriſtum.*

Quod igitur ibi quæſtio ſit, non de charitate habituali, ſed de charitate dumtaxat actuali, qua Deum aut mundum diligimus, nullus poteſt eſſe ambigendi locus ad Bajana verba pauliſper attendenti, cum ipſa ſint meridiana luce clariora.

IV.

Ne itaque amplius affirmare præſumant Novatores propoſitionem 38. de charitate habituali, & non de actuali intelligendum eſſe. Hunc profecto ſenſum præfatæ propoſitioni nunquam tribuit illius Auctor, cum e contra huic manifeſte contradicat. Quod adhuc confirmari poteſt ex ſua, quam olim S. Pio V. obtulit, Apologia. Fatetur primum hanc magna ex parte deſumptam eſſe ex modo laudato cap. 6. Libelli de Charitate, & conqueritur ſolummodo, quod Collector propoſitionum, loco verborum illorum quæ in Libello leguntur, *Charitas qua Deus amatur, quam niſi Deus ipſe non donat*, poſuerit iſta; *Charitas qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur*. Sed immerito de hac immutatione expoſtulat; cum in anterioribus capitulis eadem hæc verba ipſemet uſurpaverit, quæ hic a Collectore inſerta ſunt, præſertim cap. 2. ubi ſic habet. *Altero modo dicitur charitas, ipſe animi motus quo Deum diligimus & proximum, qui accidens eſt & qualitas, de quo ait Apoſtolus*, Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.

Deinde ſic proſequitur Bajus: *Hac igitur ſententia nihil aliud dicitur & ſignificatur, quam quod omnis amor, ratione finis in quem tamquam ultimum dirigitur, aut eſt amor mundi tamquam ultimi finis, qui vitioſus eſt & prohibetur, dum dicitur*: Nolite diligere mundum: *aut eſt amor Dei qui laudabilis eſt, quem mundus dare non poteſt, ſed Deus. Et certe cum nullus finis reperiri poſſit, quin aut Deus ſit, aut ad mundum pertineat, miror cur iſte ſenſus reprobatur.* Non ſignificat ibi Bajus quod omnia opera hominis peccatoris ſint peccata, & opera hominis juſti laudabilia; ſed quod omnia opera quæ non fiunt ex motivo charitatis, fiant ex motivo cupiditatis, & ita ſint vitioſa. Loquitur ergo de charitate & cupiditate actuali, prout ſunt motiva actionum noſtrarum, non autem de charitate & cupiditate habituali.

V.

Hic ſenſus, non ſolum eſt ſenſus ab ipſomet Bajo intentus in allata propoſitione 38. ut ex ejus Scriptis modo laudatis patet, ſed eſt etiam ſenſus proprius & rigoroſus verborum, ac conſequenter ſenſus a Summo Pontifice damnatus. In ea enim mentio fit de Amore Creaturæ rationalis, quo vel Deus, vel mundus diligitur; ergo de amore actuali potius quam habituali.

Deinde ſi quis exponere vellet hanc propoſitionem de amore habituali, non autem actuali, in illo ſcilicet ſenſu quod nullum detur medium inter habitualem, vel charitatem, vel cupiditatem; certiſſima in eo ſenſu, imo de fide eſſet propoſitio. Cum ergo Summus Pontifex, nec damnavit, nec damnare potuit propoſitionem ſic intellectam, profecto fatendum eſt, hunc non eſſe ſenſum in illa damnatum.

VI.

In eodem ſenſu eam etiam intellexiſſe Lovanienſes (de charitate ſcilicet & cupiditate actuali) patet ex explicatione 76. articulorum ſuperius laudata, juſſu Apoſtolici Nuntii concepta, atque ab eo approbata, ubi ſic loquuntur. *Siquidem omnino hoc a vero abhorrere cenſemus, omnem Creaturæ rationalis amorem, aut vitioſam cupiditatem eſſe qua mundus diligitur, quæque a D. Joanne prohibetur; aut laudabilem illam, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur, charitatem. Eſt indubie medius quidam amor, quem naturæ Auctor inſeruit, quo, non modo beatitudinem omnem expetimus, ſed & Parentes, amicos, liberos & conjuges, & quacumque alia ratione propinquos irreprehenſibiliter, ipſaque natura impellente, diligimus.*

Agnoſcunt ergo Lovanienſes, impugnando doctrinam propoſitionis Bajanæ 38. opera quæ ex motivo amoris cujuſdam medii ſint facta, ac conſequenter quæ, neque ex motivo charitatis, neque ex motivo cupiditatis vitioſæ procedant. Intellexerunt ergo eandem Baji propoſitionem in eo ſenſu quem ei tribuimus, nempe quod omnes actiones Creaturæ rationalis fiant aut ex motivo charitatis, & ſunt laudabiles; aut ex motivo cupiditatis, & ſunt vitioſæ.

VII.

In eodem quoque ſenſu eandem intellexit Janſenius, cujus Librum proſcripſit Urbanus VIII. tamquam continentem & renovantem doctrinam in Bajo damnatam; nam expreſſe docet nullum dari medium inter charitatem & cupiditatem, in eo ſenſu quod omnis actio quæ non fit ex motivo charitatis, fiat ex motivo cupiditatis, ac proinde ſit peccatum. *Cum enim*, inquit, *Creatura rationalis ad aliquod neceſſario ſua voluntate tamquam pondere inclinetur, alterutrum neceſſe eſt ſit id in quo motus voluntatis requieſcat, aut Creator, aut Creatura, aut mundus, aut Deus . . . . . Quod ſi in Creatura diligenda requieſcat, vitioſus, reprehenſibilis, adeoque culpabilis amor ſit, fons, fomes & radix omnium peccatorum: eſt enim illa vitioſa cupiditas quæ in omnibus peccatis dominatur, cui contraria eſt ſola charitas Dei: nullum quippe medium inter iſta duo datur, aut dari poteſt.* Quænam ſit autem illa charitas, ipſe exponit his verbis: *Auguſtinus igitur*, inquit, *charitatem accipere plerumque ſolet pro dilectione, qua vere, ſincere, gratis, & omnino propter ſe ipſum, nullius creaturæ, ſed ipſius ſolius intuitu diligitur Deus, ſive ad illam pertingat perfectionem ut ſupra omnia creata diligatur, ſive in ſimpliciori & inferiori affectu hæreat; nam talis amor, quantumcumque remiſſus, exilis, ac tenuis, eſt veriſſimus & caſtiſſimus fructus charitatis Dei, ſive dilectionis amicitiæ, nulla concupiſcentiæ ad ſe reflexæ pravitate diſtortus.* Nihil clarius dici poteſt. Idem quoque docet lib. 3. de ſtatu naturæ lapſæ, a cap. 14. uſque ad cap. 17. lib. ſequentis. Ibi enim totus eſt Janſenius, ut probare conetur omnia Infidelium opera eſſe peccata; quia cum agere non poſſint ex motivo charitatis, ſeu ex motivo amoris Dei quem non cognoſcunt, neceſſe eſt ut agant ex motivo cupiditatis, & ideo peccent.

Janſ. Lib. 5. de Grat. Chr. cap. 2.

Janſ. ibid. cap. 7.

VIII.

Et quidem tantum abeſt ut Janſenius veſit nullum eſſe medium inter charitatem habitualem, & cupiditatem, ut e contra doceat expreſſe ſententiam contradictoriam, nempe quod inter charitatem juſtificantem, & cupiditatem datur amor aliquis medius, ſcilicet charitas imperfecta, qua Deus diligitur quidem gratis & propter ſe, & tamen non diligitur ſuper omnia. *Falſum eſt autem*, inquit loquens de illa charitate qua juſtificatur homo, *inter iſtam laudabilem caritatem vitioſamque mundi cupiditatem nullum amorem Creaturæ rationalis eſſe medium, datur enim & alius amor bonus, qui nec eſt iſta charitas, nec iſta cupiditas, quo videlicet incipit bene Deo peccator affici ante juſtificationem per charitatem.*

Janſ. Lib. 4. de ſtatu nat. lapſæ cap. 27.

Et alibi, poſtquam aſſeruit nullum dari medium inter caritatem atque culpabilem cupiditatem, addit; *Charitatem, inquam, non illam proprie dictam, qua Deus ſuper omnia diligitur, ſed illam generalem, qua Deus gratis & propter ſe, ſive ſuper omnia, ſive nondum ſuper omnia, diligitur. Nam hoc ſenſu accepta charitate nihil dicitur aliud quam nullum eſſe medium inter amorem Dei amoremque Creaturæ; omnis enim affectus animi in alicujus rei amore, velut cardine, verſatur, qui cum non poſſit eſſe alius, niſi vel Creatoris, vel Creaturæ, & ille bonus, hic culpabilis ſit, utpote amor mundi ab Apoſtolo vetitus & juxta Auguſtinum ipſa ratio peccati, quæ in omni malefaciendi genere dominatur, profecto liquet omnem amorem, præter iſtam charitatem, eſſe illam culpabilem cupiditatem.* Ita Janſenius, cujus Librum reprobavit Urbanus VIII. tamquam continentem & renovantem Bajanas propoſitiones, & cujus conſequenter doctrinam eandem eſſe cum doctrina Baji ſatis aperte declaravit.

Janſ. ibid. cap. 19.

IX.

Stet ergo & inconcuſſum maneat, non ſolum ex ipſomet Bajo in Opuſculo de charitate, & in Apologia ſua Summo Pontifici S. Pio V. oblata, ſed etiam ex explicatione propoſitionum Baji data Nuntio Apoſtolico a Theologis Lovanienſibus, & ex Libro Janſenii, quem ſane non alio conſilio ac mente conſcriptum fuiſſe compertum eſt, quam ut doctrinæ Baji Apologiam ac defenſionem ſuſciperet: ex his, inquam, conſtat ſenſum propoſitionis 38. eſſe, quod Bajus nullum agnoſcat medium inter laudabilem charitatem, & culpabilem cupiditatem, ita ut omnis actio quæ non fit ex motivo charitatis, fiat ex motivo cupiditatis, atque ideo ſit peccatum.

Objiciet

X

Objiciet aliquis, & probare conabitur charitatem illam de qua agitur in propositione 38. esse charitatem habitualem, quia ibi agitur de charitate illa quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, atque ideo de charitate habituali, de qua sola, non autem de charitate actuali, dici potest quod diffundatur in cordibus nostris.

Respondeo 1. hanc propositionem intelligi non posse, ut jam dictum est, de charitate & cupiditate habituali, cum Summus Pontifex nec damnaverit, nec damnare potuerit propositionem in eo sensu, in quo verissima est, nempe quod in hac vita omnes homines justi sunt, vel peccatores: nullum enim inter hæc duo datur medium; & sic omnis amor habitualis, vel est vitiosa cupiditas quæ in omnibus peccatoribus regnat, vel laudabilis charitas qua præditi sunt omnes homines justi.

Si autem ut falsa & damnata reddatur ista propositio 38. velint adversarii eam intelligi debere in eo sensu, quod omnis actio peccatoris sit vitiosa, & omnis actio hominis justi sit laudabilis, falsa quidem & reprehensibilis esset in eo sensu propositio; sed ille non est germanus & legitimus illius sensus: non enim in ea dicitur de actionibus hominis justi, quod sint omnes laudabiles, vel de actionibus hominis peccatoris, quod sint omnes peccaminosæ. Perperam itaque adduntur hæc vel similia verba propositioni damnatæ, ut illi affingatur sensus omnino extraneus, sicque eludatur censura Pontificia.

Respondeo 2. Bajum per charitatem illam, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, intelligere charitatem actualem: de ea enim sæpe sæpius asserit, & præsertim in loco quodam jam laudato quod sit *ipse animi motus, quo Deum diligimus & proximum, de quo dicitur*, charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Unde licet Bajus in propositione 38. loquatur de charitate illa, *qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur*, ex eo inferri nullatenus potest exponendam esse propositionem de charitate habituali; imo patet eam exponi debere de charitate actuali, quoniam de ea sola ibi agit Bajus.

Bajus de Charit. c. 2.

Præterea illa diffusio charitatis per Spiritum Sanctum, in mente Baji, non indicat charitatem habitualem, cum, ut jam superius dictum est, se ibi de ea non loqui expressis verbis asserat.

XI.

Instabunt, quod si Bajus non loquatur de charitate habituali, loquitur saltem de charitate actuali perfecta, quæ hominem justum reddit; falsum autem est, præter istam charitatem perfectam non dari, nisi illicitam cupiditatem. Datur nimirum & alia charitas, utique vera, sed minor, qua cor hominis interdum ardere incipit, ut pedetentim ad justificationem perducatur.

Sed respondetur 1. propositionem 38. loqui de charitate generatim sumpta, scilicet, sive perfecta sit, sive solummodo imperfecta. Gratis igitur restringi eam volunt adversarii ad charitatem perfectam & justificantem; licet forsan aliæ quædam afferri possent Baji propositiones, in quibus mentio fit de charitate perfecta.

Respondetur 2. quod si hæc adversariorum expositio haberet locum, fatendum esset Summum Pontificem definiisse solummodo dari medium aliquod inter cupiditatem & charitatem perfectam, videlicet charitatem imperfectam. Quis autem ita desipiat, ut hanc fuisse Summi Pontificis mentem sibi vel aliis suadere velit?

Vide supra n. 8.

Respondetur 3. Jansenium, ut jam observatum est, ad eludendam S. Pii V. Bullam, hanc distinctionem charitatis perfectæ & imperfectæ adhibuisse, neque tamen minus illius Librum ab Urbano Papa VIII. fuisse censura notatum, utpote tamquam renovantem errores a S. Pio V. damnatos in Bajo.

Respondetur denique, propositiones Baji fuisse damnatas in sensu illius. Porro Bajus inter charitatem perfectam & cupiditatem admisit medium aliquod, nempe charitatem imperfectam: agnoscit enim in Catechumenis, & aliis pœnitentibus ante remissionem peccatorum aliquod charitatis initium, & simul negat perfectam charitatem in iis reperiri. Hæc sunt illius verba in Apologia sua prop. 31. *Adversus eos, qui in Catechumenis & aliis pœnitentibus ante remissionem peccatorum contra Concilium Tridentinum nullum omnino charitatis initium agnoscunt ..... quanta potui diligentia conatus sum ostendere, bonum animi motum qui ante remissionem peccatorum ex Christi dono in peccatoribus reperitur etiam in Scripturis Sacris nomine dilectionis seu charitatis intelligi .....* Et infra, *quasi videlicet unquam*, inquit, *somniassemus perfectam caritatem ex corde puro & conscientia bona perfectam in iis reperiri, qui peccatorum remissionem nondum sunt consecuti.* Distinguit itaque Bajus charitatis initium quæ præcedit remissionem peccatorum a charitate perfecta quæ illam remissionem comitatur vel subsequitur. Admittit ergo inter cupiditatem & perfectam charitatem aliquod medium, nempe charitatem imperfectam. Qua Baji Apologia perlecta & mature considerata Summus Pontifex doctrinam Baji iterum reprobat atque proscribit. Damnata est igitur doctrina nullum admittens medium inter cupiditatem, & charitatem, sive perfectam, sive imperfectam; non autem illa alia quæ falso tribuitur Bajo, quasi nullum admiserit medium inter cupiditatem & perfectam charitatem.

XII.

Forsan novo quodam argumento, aut potius nova quadam ineptia, obstinate reponent adversarii sensum propositioni 38. a nobis adscriptum esse illegitimum ac prorsus rejiciendum, cum ex propositionibus 35. & 40. aperte constet propositionem 38. de charitate actuali non posse intelligi, sed de charitate habituali dumtaxat. Propositiones autem illæ sic habent.

Prop. 35. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* Prop. 35.

Prop. 40. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.* Prop. 40.

Respondeo 1. quod cum propositiones a S. Pio V. damnatæ non omnes ex eodem Auctore sint excerptæ, ut dicitur in procœmio Bullæ, erui non potest certo ex una propositione seorsum sumpta sensus alterius, præsertim si constet eas non ab eodem Auctore fuisse prolatas. Atqui Bajus, qui fatetur propositionem 38. desumptam esse ex Opusculo suo de Charitate cap. 6. propositiones tamen 35. & 40. non agnoscit tamquam suas, imo expresse asserit non reperiri in Opusculis suis: Ergo ex propositionibus 35. & 40. erui non potest quis sit sensus in propositione 38. a Bajo intentus.

Respondeo 2. ut certius dignoscatur quis sit sensus in his propositionibus a Bajo intentus, ac proinde quis sit sensus damnatus, nihil convenientius fieri posse quam si consulatur Apologia quam Bajus Summo Pontifici obtulit, & quam Summus Pontifex accurate perlectam, rejiciendam judicavit. Bajus itaque in Apologia sua propositionem 35. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*, diffitetur, imo hæreticam pronuntiat, quatenus *etiam illum peccatorem comprehendit, qui a Deo juvatur ut credat, & de præteritis sceleribus doleat:* & in eo solum sensu defendi posse ait, si intelligatur de eo, *qui ita Diaboli servus est, ut ab auxilio gratiæ Dei sit prorsus alienus, quem cum Augustino existimat*, addit Bajus de sancto Fulgentio loquens, *quamdiu talis est, non posse nisi peccare.* Non ergo voluit Bajus omnes actiones hominis existentis in statu peccati mortalis esse peccata, imo hanc doctrinam reprobat tamquam hæreticam: non ergo in eo sensu damnavit eam Summus Pontifex, sed in eo sensu quod omnes actiones quæ non fiunt auxilio gratiæ ex motivo charitatis sint peccata.

Et non solum in Apologia sua, verum etiam in his Opusculis quæ Bullam S. Pii V. præcesserunt expresse asserit Bajus omnia opera ejus, qui nondum adeptus est remissionem peccatorum, non esse peccata. *In Catechumenis*, inquit, *ante remissionem peccatorum, invenitur aliquod bonum opus, quod non est peccatum.* Bajus Opusc. de Charit. c. 7. n. 16.

XIII.

Arguet iterum aliquis, quod omnis actio, quæ non fit ex amore justitiæ, non fit propter bonum finem, & ideo non caret peccato, juxta communiorem Theologorum sententiam, qui nullos admittunt actus indifferentes in individuo.

Fatemur quidem, quod, juxta Theologorum illorum sententiam, omnis actio quæ non fit propter debitum finem, & in eo sensu quæ non fit ex amore justitiæ, mala sit: sed amor ille justitiæ, in operibus solum moraliter bonis, nihil aliud est quam amor congruentiæ, quam habet aliquis actus cum recta ratione. Quisquis ergo actum moraliter bonum exercet, diligit illam honestatem, quam lex naturalis ei dictat esse diligendam; sed non propterea dicendus est diligere Deum, vel agere ex motivo charitatis, cum Infideles, qui non norunt, nec diligunt Deum, agere possint aliquando ex eo amore justitiæ & honestatis illius moralis, quæ elucet in quocunque actu moraliter bono.

XIV.

Cum Bajanas omnes propositiones vindicare, atque a censura eximere nullo modo possent adversarii, propositionem saltem 38. quam salvam habere voluissent, & quam, ut cæteras, tot anathematibus confixere Pius V. Gre-

V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. fraudulenter aliena forma induere tentaverunt. Mutatis igitur quibusdam terminis aliam contexere propositionem ausi sunt; sed si non eadem habet verba, eundem sane exprimit sensum, imo errorem damnatum clarius enuntiat. Sic habet illa propositio: *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, charitas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.* Hanc propositionem fere ab ortu suo proscripsit Alexander VIII. & inter damnatas septima enumeratur.

XV.

Eundem errorem in propositione 44. suum fecit & renovavit Quesnellius; quem errorem iterum damnavit Clemens XI. Constitutione, *Unigenitus*, data die 8. Septembris, anno 1713. Quæ propositio damnata sic habet: *Non sunt nisi duo amores, unde voliones & actiones omnes nostræ nascuntur. Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remunerat; & amor quo nosipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.*

Propositioni jam recensitæ quasdam alias ejusdem Auctoris addere liceat, cum eundem sapiant & præ se ferant errorem.

Prop. 45. *Amore Dei in corde peccatoris non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.*

Prop. 46. *Cupiditas aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt.*

Prop. 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exterius, alioquin non est nisi hypocrisis aut falsa justitia.*

Prop. 48. *Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum, sine fidei lumine, sine Christo, & sine charitate?*

Prop. 49. *Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei.*

Prop. 50. *Frustra clamamus ad Deum, Pater mi, si spiritus charitatis non est ille qui clamat.*

Prop. 51. *Fides justificat quando operatur, sed ipsa non operatur nisi per charitatem.*

Prop. 52. *Omnia alia salutis media continentur in fide, tamquam in suo germine & semine: sed hæc fides non est absque amore & fiducia.*

Prop. 53. *Sola charitas christiano modo facit actiones christianas per relationem ad Deum & Jesum Christum.*

Prop. 54. *Sola charitas est quæ Deo loquitur: eam solam Deus audit.*

Prop. 55. *Deus non coronat nisi charitatem: qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo in vanum currit.*

Prop. 56. *Deus non remunerat nisi charitatem, quoniam charitas sola Deum honorat.*

Prop. 57. *Totum deest peccatori, quando ei deest spes, & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.*

Prop. 58. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas.*

Hæc effutire, atque in his delirare non erubuit Quesnellius, Baji ac Jansenii vestigiis semper insistens. Magistrorum errores pluries ab Ecclesia profligatos renovavit: cum iis hæretice sensit: cum iis hæretice scripsit; sed cum eis pœnas hæreticæ pravitati debitas non effugit.

XVI.

Ex his omnibus luce meridiana clarius est harum omnium damnatarum a Summis Pontificibus propositionum sensum non esse, quod omnia opera hominis peccatoris gratia sanctificante destituti sint peccata, & hominis justi sint laudabilia; sed sensum esse, quod omnia opera, quæ non fiunt ex motivo charitatis, sint peccata. Unde sequitur eos contradicere Constitutionibus Summorum Pontificum, & consequenter errare qui docent omnes actiones hominis, quæ non fiunt ex motivo charitatis, fieri ex motivo cupiditatis, & esse peccaminosas: sequitur quoque eos favere erroribus damnatis, qui propositionem 38. Baji, aliasque similes exponunt de charitate habituali & sanctificante.

Cum Bajus nullum admittat medium inter opera quæ procedunt ex motivo charitatis, & ea quæ procedunt ex motivo cupiditatis, evidenter sequitur omnem veram Christi gratiam esse charitatem, aut ejus inspirationem; nam Christi gratia non potest inclinare ad actus peccaminosos; atqui juxta Bajum peccaminosus est omnis actus qui non procedit ex motivo charitatis; ergo Christi gratia non potest inclinare ad alios actus præter eos qui procedunt ex motivo charitatis.

Erroneam autem esse illam gratiæ definitionem patet præsertim ex eo quod actus fidei, timoris & spei, quibus peccatores ad justificationem disponuntur, ex Patribus Tridentinis, sess. 6. cap. 6. non oriantur ex motivo charitatis, cum præcedant initium dilectionis Dei ut Auctoris justitiæ: actus tamen illi procedunt ex gratia, utpote qui ad justificationem disponunt. Ergo non omnis gratia est charitas, aut charitatis inspiratio.

Hoc Bajanæ doctrinæ consectarium admittunt Baji discipuli; ideoque arbitrati sumus illud hic obiter proponendum, quamvis eorum Magister illud conceptis verbis non asseruerit.

§. II.

Exponitur germanus sensus Bajanæ Propositionis 27. & aliarum quæ cum illa aliquo nexu doctrinæ cohærent.

INtegritatis, seu justitiæ originalis Beneficium primævo Parenti non fuisse olim a Conditore gratuito concessum, sed ipsi fuisse debitum, docuerunt Lutherus, atque Calvinus. Horum hæresiarcharum pernicioſa doctrina infectus idem docuit Bajus propositione 27. his verbis: *Integritas primæ creationis*, inquit, *non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.* Ut hanc propositionem, quam sapienter excogitatam putavit, in scriptis suis honorifice collocaret, eam apposuit in titulum cap. 4. libri de prima hominis justitia. Ad eandem hujusce propositionis doctrinam accedunt etiam Propositiones 21. 23. & 24. Vide supra pag. 5.

I.

Nunc vero quid circa propositionem suam 27. senserit ipse Bajus dilucide, quantum fieri poterit, enodemus. Eam propositionem ut veram semper habuit Doctor noster, neque eam retractat in sua Apologia, neque eam ad sensus alienos & distortos inflectit, aut diverticula quærit ut eam defendat; sed queritur solummodo quod ejus falsitas non ipsi ostendatur. *Si probatio libelli*, inquit, *deprehendatur non esse legitima, & pars opposita convenientibus argumentis statuatur, merito hæc sententia vetatur: sed quia hoc Dominus mihi non ostendit, ideo supplico collectori, aliisque qui hanc sententiam damnandam obtulerunt, ut sua eruditione me aliosque..... juvare dignentur.*

Suam igitur propositionem, licet a Summo Pontifice damnatam, ut veram agnoscit, donec ipsi falsam esse demonstretur.

II.

Quid autem intelligat per integritatem primæ creationis audiamus eum cap. 1. ejusdem libri de prima hom. justit. ubi mentem suam hac in parte dilucidat, declaratque *primum hominem conditum esse plenum sanctificatione spiritus ..... hancque fuisse naturalem ejus conditionem.* Et cap. 3. *Consistebat autem*, inquit, *primæ rectitudinis integritas, quam initio homini datam credimus, non tantum in hoc quod mente per integram legis notitiam, & voluntate per plenam obedientiam suo Creatori adhærebat ..... sed etiam in eo quod inferiores animæ partes superioribus, & omnia corporis membra voluntatis imperio ad nutum serviebant.* Bajus Opusc. de prima hom. justit. c. 1. Bajus ibid. c. 3.

Et cap. 4. Postquam asseruit Beatum Thomam & alios fateri *hominem sic initio conditum esse rectum, ut justitia, pietate, & cæteris Spiritus Sancti charismatibus repletus fuerit*, addit, *cæterum quod hæc fuerit naturalis ejus conditio, cujus semper necessario sit absentia malum, & non potius indebita quædam humanæ naturæ exaltatio.... non facile sibi persuaderi patientur.* Deinde hanc suam sententiam, quam confitetur contrariam esse Thhologorum omnium sententiæ, probare contendit, & post allata quædam D. Augustini testimonia, addit: *Sicut ergo cum vitium oculorum dicitur cæcitas, id ostenditur quod ad naturam oculorum pertinet visus; & cum vitium aurium dicitur surditas, ad earum naturam pertinere demonstratur auditus; ita cum vitium Creaturæ Angelicæ dicitur quod non adhæret Deo, hinc apertissime declaratur ejus naturæ ut Deo adhæreat convenire: sed non minus hominum quam Angelorum vitium est, &c. ..... Et eadem est de reliquis primæ integritatis partibus demonstratio.* Ex hoc capite desumpta est prop. 21. Bajus ibid. c. 4.

Quod ut ulterius ac fusius demonstret, sic loquitur cap. 6. *Audi quod ait* (Augustinus) ..... *& facile intelliges primæ creationis imaginem, non supernaturalem & indebitam fuisse humanæ naturæ dignitatem (sicut nonnulli ex Aristotele aut Pelagianis autumant) sed potius naturalem hominis sanitatem ad integritatem ejus pertinentem.* Ibid. c. 6.

Et cap. 7. *Nisi quis forte tam absurde sentiat, ut putet statim initio creationis rerum, non tantum hominem dono quodam supernaturali & gratuito supra naturæ suæ conditionem fuisse exaltatum, ut fide, spe, & charitate Deum supernaturaliter coleret, sed etiam serpentem &c.* Ibid. c. 7.

Hæc profecto dilucida atque perspicua sunt. Hic est autem obiter observandum proscriptam propositionem Baji numero 23. ex illo loco desumptam esse.

Sed

Sed Doctorem noſtrum mira ſemper enarrantem iterum audiamus. Capite enim 8. ſic ait. *Verum qui Philoſophorum inſipientiam ſequentes nihil aliud quam conſuetudinem naturæ jam currentis attendunt, neglecta Scriptura Sacra .... id ſolum homini naturale putant quod jam naſcentes ex parentibus trahunt, cæteras vero quæ ex Scripturis Sacris diſcimus nos in Adam accepiſſe ..... non ad humanam naturam, aut primam ejus inſtitutionem, ſed ad ſuperadditam poſtea Creatoris liberalitatem referunt, putantes primum hominem ex inferiori quadam conditione, in qua creatus erat, largitate Creatoris per dona naturæ ſuperaddita fuiſſe ſublimatum & in Dei filium adoptatum ..... quaſi vero homo non fuerit naturaliter ad hoc conditus ut ſoli Deo ſerviret, & poſtea beatitudinem poſſideret; ſed ut in naturali quadam vivendi ratione, quæ neque peccatum eſſet, neque regni cœleſtis meritum, vitæ ſuæ curſum tranſigens, tandem naturalem quandam beatitudinem reciperet, cujus neque locus, neque ratio in Scripturis Sacris invenitur, ſed a vanis & otioſis hominibus, juxta Pelagii ſenſum, ex Philoſophia confingitur.* Deſumpta eſt ex eo loco Propoſitio Baji 24.

Ibid. c. 8.

Ex his omnibus locis patet integritatem primæ creationis, quam Bajus aſſerit fuiſſe primo homini naturalem atque debitam, nihil aliud eſſe quam ſanctificationem Spiritus Sancti, ſeu donum illud ſupernaturale, quo Adamus in filium Dei adoptatus fuit, ut Deum fide, ſpe, & charitate coleret, & poſtea beatitudinem poſſideret. Ex his patet etiam juſtitiam originalem poſitam eſſe, juxta Bajum, in ſubjectione intellectus & voluntatis ad Deum, partium inferiorum animæ ad ſuperiorem, & membrorum corporis ad rationem, quod idem ſatis communiter aſſerunt Theologi. Sed nunc ſupereſt inquirendum in quo ſenſu & quo titulo hæc integritas primæ creationis, hæc juſtitia originalis fuerit, juxta Bajum, primo homini naturalis & debita.

III.

Illud alicui naturale appellat quod ad integritatem ejus pertinet, & cujus carentia eſt malum, cap. 4. & 6. jam citatis. Illud etiam naturale appellat c. 6. quod ita naturæ convenit, ut ſine illo natura ſanitate & perfectione ſibi debitis careret; *nam quemadmodum*, inquit, *ſanitas corporis primarum eſt proportio qualitatum, quæ quando contra naturam vitiatur, ſtatim naſcitur infirmitas: ſic naturalis animæ ſanitas legitima eſt omnium partium ejus obedientia, quæ ſi, vel in una, vel in pluribus partibus, aliquo affectu malo perturbetur, is affectus rectiſſime paſſio, perturbatio, & animi ægritudo dicitur, naturali ejus ſanitati contraria, quæ, ut dixi, conſiſtit in legitima omnium ejus partium obedientia.* Non tamen cenſet juſtitiam originalem ita eſſe homini naturalem ut ex ipſius naturæ principiis oriatur & fluat; ſed eo tantum ſenſu quod ad naturalem ejus integritatem pertineat, ſitque ejus abſentia malum; *naturale enim*, inquit, *non cauſæ aut originis ſuæ comparatione dicitur, ſed rei cui ſic ineſt, ut ad naturalem ejus integritatem pertineat, ſitque ejus abſentia malum, ſive ex ejus principiis tamquam efficientibus cauſis oriatur, ſive aliunde accedat ..... Quapropter ſive ex naturæ principiis tamquam efficientibus cauſis orta fuerit prima hominis juſtitia, ſive a Deo illi immediate collata ..... adhuc tamen illi naturalis fuit, quia ſic ad ejus integritatem pertinebat, ut ſine ea non poſſet ſalva conſiſtere, miſeriaque carere.* Et inferius. *Quidquid*, inquit, *ad rei integritatem pertinet, ſic ut ſit ejus abſentia malum, a quacumque cauſa fiat, id omnino a Deo fieri, & naturale eſſe dicendum eſt.*

Bajus ibid. c. 6.

Ibid. c. 21.

Quanam autem ratione in ſtatu naturæ reparatæ nunc dicatur ſupernaturalis, ipſe exponit dicens; *Quando tamen juſtitia ſemel peccato perdita .....per Chriſtum nobis miſericorditer redditur, tunc quod alioqui naturale eſt, non naturaliter ſecundum vires in humana natura ſitas, ſed mirabiliter ſecundum rationes in Deo abſconditas nobis redditur..... & ea ratione nunc juſtitia noſtra ſupernaturalis dici poteſt ..... non quod res ſit ſupernaturalis, aut naturali hominis integritati ſuperaddita, ſicut prophetia, gratia ſanitatum, & alia multa quibus ſine malo caremus; ſed quod ipſe efficiendi modus atque ratio ſecundum nativam operandi conſuetudinem in rebus creatis non inveniatur, ſed ex ſuperiori quodam & inſolito atque occulto divinæ ſapientiæ conſilio proveniat.*

Bajus ibid. c. 10.

IV.

In eodem ſenſu Bajus docuit juſtitiam originalem fuiſſe debitam humanæ naturæ, in quo docuit eam fuiſſe naturalem, nempe quia ad integritatem illius pertinebat, quia hujus abſentia erat malum Creaturæ, & quia ſine ea non poſſet humana natura ſalva conſiſtere, miſeriaque carere. Unde ſequitur quod cum, juxta Bajum, Deus non potuerit hominem, ſi non peccaſſet, creare abſque perfectionibus ad ejus integritatem pertinentibus, quarum ſcilicet abſentia eſſet malum illius, & ſine quibus miſer foret, nec poſſet ſalvus conſiſtere; ſequitur, inquam, quod Deus non potuerit condere Creaturam rationalem abſque juſtitia originali. Idque patet ex toto Libro de prima hominis juſtitia, & præſertim ex cap. 11. ubi pluries aſſerit & probare conatur illi fuiſſe debitam originalem juſtitiam.

V.

Idem quoque ſequitur ex altero Baji principio, ex illo ſcilicet quod nullum admittit medium inter laudabilem charitatem, & culpabilem cupiditatem: nam ſi nullum ſit medium inter charitatem & cupiditatem, ſi omnes actiones hominis, quæ non fiunt ex motivo charitatis, fiant ex motivo cupiditatis, ut dicitur in propoſitione 38. Deus qui non potuit hominem creare cum neceſſitate peccandi, illum nec creare potuit abſque charitate, vel ſaltem abſque auxilio quodam actuali, quo ſibi charitatem & juſtitiam comparare poſſet. Sic ex eodem principio ratiocinatur, ut mox dicetur, Janſenius.

VI.

Et quoniam quod debitum eſt, & quod Deus denegare non poteſt, gratuitum non eſt, nec gratiæ nomen ſibi poteſt vindicare; ideo juſtitia originalis, in ſyſtemate Bajano, dici non debet gratia, ſaltem proprie, ſicut nomen gratiæ accipitur in Scripturis Sacris. Dixi; *proprie;* quia juſtitia originalis dici poteſt, etiam juxta Bajum, in aliquo ſenſu, gratia. *Dona conceſſa homini integro, & Angelo*, inquit propoſ. 9. *forſitan non improbanda ratione poſſent dici gratia, ſed quia, ſecundum uſum Scripturæ Sacræ, nomine gratiæ ea tantum munera intelliguntur quæ per Jeſum-Chriſtum male merentibus & indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces quæ illis redditur, gratia dici debet.*

Tripliciter enim accipi poteſt nomen gratiæ. Primo, latiſſime pro quocumque beneficio gratis collato. In eo ſenſu creatio primi hominis vocari poteſt gratia, cum ſit beneficium gratuito conceſſum a Deo, utpote quod potuiſſet non concedere. In eo etiam ſenſu omnia bona Creaturæ rationali annexa vocari poſſunt gratia, licet debita, quia una cum natura gratuito conceſſa ſunt, ſicut & ipſa natura. Strictius gratia etiam dici poteſt omne beneficium indebitum, Creaturæ conceſſum, etiamſi ordinem naturalem non excedat. Strictiſſime autem atque proprie appellatur gratia donum ſupponens naturam illique indebitum, & aliunde pertinens ad noſtram ſanctitatem & ſalutem ſupernaturalem; & in eo ſenſu accipitur, tum in Scriptura Sacra, tum in Conciliis, & apud Sanctos Patres, cum adverſus hæreticos explanant & definiunt dogmata gratiæ.

Quoniam vero Bajus contendit juſtitiam originalem, cæteraque dona ad ſalutem æternam ordinata, fuiſſe debita homini innocenti, ejuſmodi donis in ſtatu naturæ lapſæ collatis non potuit tribuere nomen gratiæ proprie dictæ, niſi in quantum conferuntur indignis & male merentibus, quod tamen falſum eſt. Ad hoc enim ut alicui dono ad ſalutem noſtram ordinato competat nomen gratiæ proprie dictæ, ſufficit quod fuerit indebitum, & collatum homini nihil merenti, nempe neque bene, neque male.

VII.

Et non ſolum juxta eundem Bajum juſtitia originalis, ſed etiam merita, ſive bonorum Angelorum, ſive primi hominis ante peccatum dici non debent gratia; ſicuti nec felicitas æterna conceſſa Angelis & promiſſa Adamo, ſi in juſtitia perſeveraſſet, ut jam diximus, quando recenſuimus propoſitiones 1. 3. & 7. Vide pag. 6.

VIII.

Præterea ex eodem Bajo prop. 69. *Omnes omnino juſtorum afflictiones ſunt ultiones peccatorum ipſorum.* Et hoc ipſe confirmat in Apologia ſua, dicens, *quod omnis pœna juſta ſit, eo quod pro peccato aliquo impendatur ..... Et quod ſemper præſupponat peccati meritum.* Unde in Propoſ. 75. aſſerit quod *immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.* Et huic doctrinæ conſentaneum eſt quod ſcribit in Apologia ſua loquens de homine, ſi conditus fuiſſet in puris naturalibus, ſine beneficio gratiæ; quod tamen fieri potuiſſe non exiſtimat. *Miror*, inquit, *an lege naturæ ſine ullius culpæ merito mortuus fuiſſet.* Et prop. 6. ſic ait: *Naturali lege conſtitutum fuit homini, ut ſi in obedientia perſeveraſſet, ad eam vitam pertranſiret in qua mori non poſſet.*

His omnibus conſentanea eſt doctrina propoſ. 53. *Deus non potuiſſet ab initio creare hominem qualis nunc naſcitur.* Et propoſ. 76. *Falſa eſt Doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe a Deo creari & inſtitui ſine juſtitia naturali.*

Tota

IX.

Tota hæc Baji doctrina circa naturalem primi parentis conditionem, omnesque errores qui ex ea necessario fluunt, & quos expressius ac audacius renovare tentant ipsius discipuli, ad tria possunt capita revocari. 1. Deus non potuit creare hominem ante peccatum absque justitia originali, nec illi denegare alia media ad adipiscendam æternam salutem necessaria. 2. Non potuit illum creare, quin eum destinarit ad visionem sui ipsius intuitivam obtinendam. 3. Non potuit creare illum obnoxium morti, concupiscentiæ, ignorantiæ, cæterisque hujus vitæ miseriis: Et hi tres errores in hac unica propositione includuntur, quæ sic solet a Theologis enuntiari, *Impossibilis est status puræ naturæ.*

X.

Observandum est tamen quosdam Theologos docuisse quod non potuerit Deus creare hominem, si non peccasset, obnoxium motibus concupiscentiæ, saltem quales nunc experimur. Ut autem hi secernantur a Bajanistis, visum est aliquibus duos status, qui nunquam extiterunt, distinguere, videlicet statum naturæ puræ in quo homo obnoxius esset concupiscentiæ motibus; & statum naturæ sanæ & integræ in quo homo esset quidem sine peccato & sine gratia ordinante ad finem supernaturalem, sed non sine auxilio quodam naturali, indebito tamen naturæ, quo immunis redderetur a deordinatis concupiscentiæ motibus. Verum quamvis impossibilitas naturæ puræ in eo sensu (licet admittatur possibilis status naturæ sanæ & integræ) asseratur a quibusdam Theologis numero pauciſſimis, nobis tamen videtur quod non effugiant censuram a S. Pio V. latam, qui hanc damnavit Baji propositionem 53. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem qualis nunc nascitur.* Ergo definivit quod potuisset Deus hunc creare talem qualis nunc nascitur, scilicet obnoxium concupiscentiæ, sicut & cæteris hujus vitæ miseriis.

Deinde sic habet propositio 76. *Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari & institui absque justitia naturali.* Quamvis autem Theologi non conveniant omnes de legitimo sensu hujus propositionis, seu in quo sensu definitum sit primum hominem potuisse creari sine justitia naturali, attamen videtur hunc assignari posse, videlicet quod Deus potuerit primum hominem creare sine justitia naturali, hoc est, neque justitiæ habitu præditum, neque injustitiæ vitio laborantem, sed utriusque capacem; item destitutum auxilio illo naturali quo immunis redderetur ab inordinatis concupiscentiæ motibus; hoc enim auxilium naturale complectitur justitia naturalis, sicuti justitia originalis complectebatur eandem immunitatem, cum hoc solum discrimine, quod illa immunitas in statu innocentiæ esset supernaturalis, & e contra naturalis in statu naturæ sanæ & integræ.

Non desunt tamen qui per justitiam naturalem, de qua agitur in hac propositione 76. intelligunt eam quam Bajus censet & asserit esse naturalem, quamvis revera sit supernaturalis.

Quidquid sit autem de hac expositione propositionis 76. non minus certum esse videtur S. Pium V. definiisse quod Deus potuerit hominem creare obnoxium concupiscentiæ, sicut illum creare potuit absque justitia originali, & cæteris donis quæ ex illa consequuntur, ubi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Quia tamen illud in controversiam vertitur apud quosdam Theologos, ideo huic agitandæ quæstioni supersedemus.

XI.

Hunc errorem de impossibilitate status naturæ puræ innovaverat Quesnellius in propositionibus sequentibus damnatis a Clemente XI. in Bulla quæ incipit, *Unigenitus Dei Filius.*

Prop. 35. *Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ sanæ & integræ.*

Prop 70. *Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones semper serviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.*

XII.

Ad eludendam autem hanc de impossibilitate status puræ naturæ censuram Pontificiam varii varias commenti sunt cavillationes, variaque effugia; & iis omnibus prævit, viamque paravit Jansenius, qui licet totam hanc, sine ulla exceptione, Baji doctrinam circa impossibilitatem status naturæ puræ revera amplexus sit, ab ea tamen in modo loquendi aliquatenus recedere videtur. Quod autem velit statum puræ naturæ esse impossibilem nemini dubium esse potest, cum tres Libros ediderit *de statu puræ naturæ*, in quibus totus est ut probare conetur hunc statum repugnare pene omnibus D. Augustini principiis.

Docet enim 1. Creaturam rationalem non potuisse produci a Deo destitutam dilectione Dei, vel saltem talibus subsidiis, ut in Deum nutum suæ voluntatis convertere, vel ab eo avertere possit. *Quia*, inquit, *creatura rationalis non potest produci cum distorta, perversa, malaque voluntate, nec voluntas ejus recta, & justa, & bona esse potest, nisi Deum finem ultimum suum..... diligat.* Hanc autem dilectionem contendit esse charitatem inter quam & vitiosam cupiditatem nullum admittit medium; asserit enim, *Omnem amorem Creaturæ rationalis esse, vel caritatem, vel cupiditatem, eo quod necesse sit creaturam rationalem in omni actione voluntaria, vel in Deo, vel in creatura ultimo conquiescere..... hoc autem ultimum*, inquit, *in quo conquiescetur, necessario est, vel Deus, vel creatura: si Deus, jam secundum Augustinum, est charitas: si creatura, cupiditas. Porro charitatem in hac divisione nullam Augustinus agnoscit aliam nisi quæ inspiratur ac diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum; neque aliam cupiditatem, nisi quæ corrumpit & vitiat creaturam rationalem.* Hunc errorem astruere contendit Jansenius toto Libro primo & duobus capitibus primis Libri secundi de statu puræ naturæ, eodem semper innixus principio nullum admittente medium charitatem inter & cupiditatem. Quantum autem hoc principium a vero abhorreat declaravit, ut jam vidimus, Facultas Theologica Lovaniensis in scripto jam alibi laudato; sed & illud idem principium anathemate perculerunt Summi Pontifices S. Pius V. Gregorius XIII. Urbanus VIII. Alexander VIII. & Clemens XI.

Jans. lib. 1. de statu puræ nat. c. 3.

Vide supra §. 1. nu. 6.

Docet 2. Jansenius Regnum Cælorum non posse puræ naturæ denegari sine injustitia, eo quod *Nemo*, inquit, *beatus esse possit, nisi habeat quod velit; ideoque quandiu non habeat quod vult certissime miser est..... creaturam autem rationalem non posse miseriis quantumvis minimis affici a Creatore sine culpa.....* non vult tamen *quod Deus immediate Regnum Cælorum, seu claram visionem in Regno suo debeat creaturæ rationali innocenti, sed hoc tantummodo*, inquit, *quod eam non possit condere cum illa phantastica beatitudine & Philosophica, quæ ei in statu naturæ puræ attribuitur, & vera miseria est, sed vel immediate in beatitudine perfecta Regni Dei, vel certe, quod ordinatius ipsemet judicavit, in quadam beatitudine decoloratiore, sine omni vitio tamen & miseria, a qua deficere possit, & in qua manere, si voluerit, utrumlibet habens in sua potestate, sine ulla interna concupiscentiali tentatione ad malum.*

Jans. ibid. lib. 2. c. 3.

Jans. ibid. c. 4.

Verum hanc Jansenii ratiocinationem reprobant omnino atque rejiciunt Theologi Lovanienses in scripto jam pluries laudato, Nuntii Apostolici jussu exarato. *Illa*, inquiunt, *gratia fuit (quia gratuitum munus & indebitum naturæ beneficium) qua primus homo usque adeo in naturæ divinæ consortium evectus est, ut Dei per adoptionem filius esset, ideoque & illius beati & cælestis regni hæres.* Deinde sic prosequuntur. *Nam & servili conditione facere hominem potuit, qui pro suis obsequiis aliam nullam mercedem expectaret; ac tametsi non potuisset alicujus suæ felicitatis fine frustrari, longe minoris tamen beatitudinis inferi potuit appetitus, ut sublimiore illa, nulla molestia, careret.* Et in cap. seq. *Ex quibus*, inquiunt, *non difficulter intelligi potest ipsam æternam vitam, quæ Angelo & homini in perseverantiæ suæ præmium promissa fuit, non tantum mercedem justitiæ, sed & gratiam dici debuisse..... quod ea divini consortii filiationisque dignitas ..... plene gratuito, sicuti antea dictum est, indebitoque divinæ erga hominem dignationis beneficio homini, cum crearetur, fuit attributa..... supernaturalem omnino legem gratuitamque ordinationem e munificentiæ divinæ erga creaturam suam fonte manantem asserimus eam, qua effectum initio est ut homini ad tam ineffabilem tamque eximiam suæ mercedis excellentiam aspirare liceret.* His validissimis momentis in antecessum everterunt Theologi Lovanienses omnia Jansenii sophismata.

Brevis explicatio cap. 1. Extat in parte 2. operum Baji pag. 163.

Docet 3. Jansenius & infert ex eodem illo principio, nimirum quod creatura rationalis non possit miseriis quantumvis minimis affici a creatore, nisi peccaverit, infert, inquam, non posse condi cum necessitate moriendi, vel obnoxiam motibus concupiscentiæ. Denique transit ad miserias corporis, & probare contendit toto lib. 3. injustum fore Deum, si eas creaturæ innocenti imponeret.

Jans. ibid. c. 5. & 7. ibid. c. 11. & seq.

Et hunc quoque errorem arguunt Lovanienses. *Talis enim*, inquiunt, *fieri potuit (homo) qualis nunc nascitur, non quod peccator, aut vitiosus pravusque, qualis modo nascitur, institui a Deo potuerit, sed quia corpore quidem fragili & mortali, quod necesse esset temporum lapsu veterascere, infirmari, ac emori; animo vero tardo he-*

Brevis explicatio c. 4. Extat in 2. parte operum Baji pag. 266.

do, hebeti, atque ad percipiendam veritatem difficili, facili autem ad errorem, & in voluptatem seu oblectamenta sensuum pendulo pronoque.

Omissa itaque hujus Jansenianæ doctrinæ ampliori censura (nam eam refellere hic non aggredimur) ex allatis illius Novatoris testimoniis colligere est, quod renovet Baji errores a S. Pio V. damnatos circa impossibilitatem status naturæ puræ, quæ ad tria capita revocari posse jam diximus: nempe hominem ante peccatum non potuisse creari sine amore charitatis. 2. Non potuisse non destinari ad visionem intuitivam & æternam beatitudinem ex ea consequendam. 3. Nec potuisse subjici necessitati moriendi, concupiscentiæ motibus, ignorantiæ, cæterisque hujus vitæ miseriis. Quoniam autem Summus Pontifex, damnando Baji propositiones, quibus asseritur justitiam originalem fuisse homini innocenti naturalem atque debitam, nec illi competere nomen gratiæ, definiit esse supernaturalem ac indebitam & nomen gratiæ illi competere; Jansenius, ut ab hac censura se expediat, eamque eludat, contendit justitiam originalem dici posse naturalem, & supernaturalem, debitam simul & indebitam, ac tribui posse illi vocabulum gratiæ; sed hac eloquendi ratione discrepat quidem a Bajo, quantum ad verborum formulam, non autem quantum ad substantiam doctrinæ.

XIII.

Sic enim loquitur lib. 1. De statu puræ naturæ, c. 15. ubi sic habet. *Prima & gravis in ipso limine hic occurrit difficultas, cujusmodi amor seu charitas dici debeat, naturalis, an supernaturalis..... mihi videtur juxta S. Doctoris principia, utrumque de illo amore Dei, sine quo Creatura rationalis recta & bona esse nequit, citra contradictionem posse dici, & naturalem, & supernaturalem. Quod supernaturalis sit, nulla inter Catholicos controversia est; nam uti beatitudo sempiterna, ita via ad illam charitas Dei omnes vires naturæ superat..... non esse in eo sensu naturalem, quia sit pars naturæ, nimis manifestum est: Dilectio enim, sicut & fruitio, hoc est, beatitudo Creaturæ, tam imperfecta, quam perfecta sunt actiones; unde non possunt esse partes Creaturæ rationalis. Perinde perspicuum est non esse naturalem, quod ex principiis naturæ, seu facultatibus naturalibus Creaturæ rationalis fiat..... dicendum arbitror, dilectionem Dei dici posse Creaturæ rationali naturalem, primo ex parte rationis, quia ratio naturalis homini dictat Deum solum super omnia creata diligendum..... secundo naturalis dici potest iste amor Dei ex parte appetitus..... quia natura ipsa ad hoc appetendum condita est, & naturaliter inclinatur, etsi..... quod appetit sibi ipsa dare non possit.* Non negat ergo Jansenius justitiam originalem fuisse naturalem in sensu Baji, nempe in eo sensu quod ad integritatem naturæ humanæ pertineret, quodque primo homini denegari non potuisset; imo expresse asserit, ut jam diximus, eam homini innocenti non potuisse denegari: sed negat solummodo fuisse naturalem, (quod & Bajus ipse docuit) in eo sensu quod sit pars naturæ, & quod ex principiis naturæ, seu facultatibus naturalibus creaturæ rationalis fiat. Asserit quoque eam fuisse naturalem in alio etiam sensu, quem Bajus ipse non rejicit, scilicet quia ratio naturali lumine illustrata dictat Deum solum super omnia diligendum, & quia *natura ipsa ad hoc appetendum condita est, & naturaliter inclinatur, etsi quod appetit sibi ipsa dare non possit.* Hæc sunt verba Jansenii jam allata.

Præterea Bajus non negat justitiam originalem fuisse supernaturalem in eo sensu quod vires naturæ superet, seu quod natura humana eam sibi propriis viribus procurare non possit. Idem ergo sentiunt Bajus & Jansenius, quamvis in verbis eorum sit quædam discrepantia.

Secundo, nec debitam fuisse primo homini justitiam originalem negat Jansenius in sensu Baji, nempe in eo sensu quod Deus eam illi non potuisset denegare, utpote quæ ad illius integritatem pertineat; in singulis enim fere paginis asserit sine amore supernaturali Dei non posse creaturam rationalem innocentem condi. In quo ergo sensu docere potest Jansenius illam fuisse indebitam? In eo sensu scilicet quod non debebatur jure creaturæ (ut mox videbitur in loco infra laudando). Non debebatur autem jure creaturæ, juxta Jansenium, quia Deus est ens omnino independens a creaturis suis, & consequenter nulla creatura jus ullum habet, vel habere potest in illum. Bajus autem, sicuti & Jansenius, nunquam in hanc impietatem prolapsus est, ut voluerit Deum pendere in aliquo a suis creaturis, ideoque vult solummodo Deum suis attributis debuisse, quod condi non potuerit creatura rationalis absque justitia originali. In hoc itaque verbis etiam solummodo, non reipsa, Bajus & Jansenius differunt.

Tertio, nec a doctrina Baji recedit Jansenius, quamvis gratiæ nomen tribuat justitiæ originali; quod aperte eruitur ex lib. 1. de statu puræ nat. c. 20. ubi sic mentem suam detegit. *Considerandum est primo,* inquit, *gratiæ propriissime dictæ non repugnare debita quælibet seu connaturalitates, decentias, & congruentias, & æquitates quæ oriuntur ex aliis capitibus quam jure creaturæ..... sæpe namque contingit ut aliquid sibi ipsi suisque attributis Deus debere dicatur, non solum justitiæ, sed etiam clementiæ, fidelitati, magnificentiæ, sapientiæ, cæterisque attributis omnibus, ipsi denique misericordiæ & liberalitati, quæ quam maxime gratuitæ sunt operationes: subinde namque secundum immutabiles rationes divinæ sapientiæ contingit, ut omnino deceat & æquum sit, Deum clementer, & magnifice, & misericorditer cum creaturis suis agere; quod si non faceret, nihil omnino faceret contra jus justitiæ in creatura, sed contra sapientiam suam, quam Deus non minus quam justitiam suam præterire non potest..... impossibile est enim Deum inconvenienter, indecenter, insipienter, contra rationem, inclementer, immisericorditer agere. Quod si ex hujusmodi attributorum decenti cadat effectus aliquis in creaturam, nil omnino de gratiæ ratione decedit..... secundo, considerandum est gratiæ propriissime dictæ solummodo, secundum doctrinam scripturarum & Augustini, repugnare opus creaturæ cui ista debeantur..... hinc est quod Augustinus non minus confidenter gratiam vocet id quod alteri dono Dei connaturaliter in rebus, sive naturalibus, sive supernaturalibus, debetur..... quam ipsum primum cui alterum connaturale est, dummodo nullum operis aut voluntatis creatæ meritum interveniat, per quod beneficentia donantis provocata ratio gratuitæ gratiæ perimatur.* Docet itaque Jansenius justitiam originalem naturæ creatæ fuisse duobus titulis indebitam: primo scilicet, non fuisse debitam jure creaturæ: secundo, neque merito aliquorum operum præcedentium: sed contendit præterea eandem justitiam originalem fuisse alio titulo naturæ creatæ debitam, titulo scilicet divinæ justitiæ. Jam vero cum impossibile sit Deum præstare quidquam quod divinis suis attributis repugnet; impossibile quoque erit Deum creare hominem sine justitia originali, quæ ipsi quidem esset debita, non jure creaturæ, aut merito aliquorum operum præcedentium, sed ratione dumtaxat divinæ justitiæ, vel aliorum attributorum; & in hoc sensu licet justitia originalis esset homini adventitia ac extranea, esset tamen ipsi necessario ac inevitabiliter debita, cum Deus non possit immutabilia suorum attributorum jura violare. Et hæc doctrina sic exposita in Bajo proscripta fuit; nam ut jam vidimus, Bajus numquam docuit quod justitia originalis debita fuerit jure creaturæ; nec etiam asseruit, aut asserere potuit debitam fuisse merito operum præcedentium, cum nulla præcesserint, nec præcedere potuerint opera naturæ nondum creatæ. Eadem est ergo quoque in hoc puncto Baji atque Jansenii sententia.

XIV.

Instabunt forsan sectatores Jansenii constare saltem ex allato illius Auctoris testimonio, nomen gratiæ propriissime dictæ competere justitiæ originali.

Sed responderi potest, primo, quod quamvis Jansenius justitiæ originali tribuat nomen gratiæ propriissime dictæ, non ideo tamen effugiat censuram Pontificiam, si simul asserat, quod & asserit, illam fuisse debitam homini innocenti, nec potuisse illi denegari a Deo: nam Summus Pontifex damnavit propositiones Baji, non solum in eo quod nomen gratiæ recuset justitiæ originali, sed etiam in eo quod debitam fuisse asseruerit primo homini, nec potuisse illi a Deo denegari. Deinde Bajus gratiæ nomen non omnino denegat justitiæ originali; asserit enim propos. 9. quod *dona concessa homini integro & Angelo forsan non improbanda ratione possent dici gratia;* nec tamen sic evasit censuram a Summo Pontifice latam.

Respondetur 2. Quod quamvis Jansenius justitiæ originali tribuat nomen gratiæ, recusat tamen illi rem isto nomine significatam: nomine enim gratiæ intelligitur donum gratis datum, donum gratuitum: nihil autem magis opponitur dono gratuito, quam donum debitum. Debitam autem fuisse primo homini docet justitiam originalem; ergo non censet esse gratuitam; ergo nomen gratiæ proprie dictæ non illi revera competit in systemate Jansenii.

XV.

Suadere tamen conatur nomen gratiæ, etiam in suo systemate, competere justitiæ originali, quamvis creationi naturæ dicatur annexa & debita; idque primo quia licet debita fuerit, suppositia in Deo voluntate creandi hominem, debita tamen non est præveniendo voluntatem condendi Creaturam rationalem, & consequenter in eo sensu gratuita est, & vocabulum gratiæ illi competit.

Sed Summus Pontifex definiendo integritatem primæ

mæ conditionis fuisse indebitam naturæ humanæ exaltationem, loquitur de natura humana, prout jam condita fuerat a Deo, & consequenter definiit integritatem primæ conditionis, etiam præsupposita voluntate illam creandi, fuisse ei indebitam. Deinde Bajus nunquam docuit Deum non potuisse abstinere a creando homine, vel creationem fuisse primo homini debitam, vel justitiam originalem fuisse debitam primo homini, præveniendo voluntatem in Deo creandi illum. Damnata ergo non est propositio Baji in eo sensu quod debita fuerit primo homini creatio, vel quod debita ei fuerit justitia originalis, etiam præveniendo voluntatem in Deo illum creandi, quod absque maxima insania dici non posset: ergo damnata fuit in eo sensu quod integritas primæ conditionis, supposita in Deo voluntate hominem creandi, debita erat primo homini. Non ergo a censura in errores Baji lata immunes esse possunt illi qui cum Jansenio fatentur concessa primo homini dona, in sensu quem ille Novator expositi, fuisse gratuita, quia cum nihil extra se facere potuisset, si nihil extra se facere voluisset, ac proinde non creare hominem, creatio fuit gratuita, gratuita quoque fuere dona quæ ex illa consequuntur; illi, inquam, a censura immunes esse non possunt si simul velint cum Bajo & Jansenio, quod, creatione hominis supposita, Deus non potuerit illa denegare.

XVI.

Enititur probare 2. Jansenius vocabulum gratiæ competere proprie justitiæ originali, etsi debitæ primo homini; quia, ut videre est in loco superius laudato, debitam esse ait, non jure Creaturæ, sed solummodo attributis divinis, vel, ut in eodem capite ejusdem Libri loquitur, quia debita est, *non tam ipsi naturæ rationali, quam ordini Dei naturali, ne natura innocentis Imaginis Dei creetur misera, antequam misericordiam mereatur.* Jan. Lib. 1. de statu puræ nat. c. 20.

Verum hic turpiter allucinatur Jansenius; nam si debitum, de quo agitur, oriatur ex eo cui donum confertur, tunc illud non confertur gratuito, ac proinde non est gratia proprie dicta. Porro debitum quod oritur ex exigentia creaturæ, quale est, juxta Bajum, donum originalis justitiæ, oritur ex eo cui confertur donum, ac proprie nec est gratuitum, nec meretur nomen gratiæ. Si autem debitum oriatur ex conferente donum, tunc ratio gratuiti potest illi competere, v. g. Deus debet sibi ipsi, & suæ fidelitati promissa adimplere: promisit autem gratiam auxiliantem, & gratiam sanctificantem in certis quibusdam circumstantiis, & virtute promissionis debitæ sunt illæ gratiæ homini in illis circumstantiis posito; in illo casu gratuita promissio, quæ præcessit, nullatenus destruere potest rationem gratiæ, quia debitum illud nullo modo oritur ex exigentia creaturæ, nullo modo oritur ex homine cui conferri debet, sed solummodo ex liberali ac gratuita promissione divina, ac consequenter ex eo qui liberaliter confert donum.

Similiter debita sunt homini ordinato ad finem supernaturalem media sufficientia ad illum consequendum; alioquin injustus esset Deus, si ab homine impotente exigeret supernaturalium præceptorum observantiam, eumque pro eorumdem transgressione supplicio addiceret æterno: sed illud debitum oritur ex gratuita ordinatione hominis ad finem supernaturalem; cumque indebita sit naturæ rationali talis elevatio & ordinatio ad finem supernaturalem, indebita quoque ipsi sunt auxilia sufficientia, ideoque sunt gratuita.

Non est quod objicias sententiam Jansenii & Baji non differre a sententia Theologorum Orthodoxorum docentium ea auxilia deberi naturæ ad finem supernaturalem ordinatæ. Respondetur maximum intervenire discrimen: nam in systemate Bajano justitia originalis debetur ipsi naturæ rationali, in quantum est natura rationalis, ideoque illi non confertur gratuito. Auxilia autem sufficientia, juxta Theologos Orthodoxos, conferuntur gratuito, sicut gratuito facta est ordinatio ad finem supernaturalem. Uno verbo, justitiæ originalis debitum oritur, in systemate Bajano, ex exigentia ipsius creaturæ rationalis: Debitum autem gratiæ sufficientis oritur solum ex ordinatione illius ad finem supernaturalem; quæ ordinatio, cum sit juxta Theologos Orthodoxos gratuita, gratuita quoque est ea quæ confertur creaturæ rationali gratia sufficiens, quia non est illi debita quatenus est creatura rationalis, sed solum quatenus est gratuito ordinata ad finem supernaturalem.

Alia quoque afferri possunt exempla, in quibus quamvis reperiatur aliquod debitum ex parte Dei, illud tamen de ratione gratiæ nihil detrahere potest, quia non est debitum nisi valde improprie. Dicitur enim aliquando quod Deus aliquid debeat suis attributis, ratione cujusdam decentiæ & congruentiæ, vel quia illud est, secundum nostrum concipiendi modum, æquius aut conformius uni attributo potius quam alteri, vel quia illud decet unum attributum divinum potius quam alterum. Sic v. g. remissio peccati decet misericordiam potius quam justitiam, illique est congruentior, atque etiam æquior, propterea que Deus dicitur hanc remissionem aliqua ratione debere misericordiæ, non justitiæ suæ: sed quia remissio peccati non est in eo sensu debita, nisi valde improprie, non est ex eo minus gratuita, ideoque nomen gratiæ illi non potest denegari.

XVII.

Nec istud valet argumentum Jansenii. *Impossibile est*, inquit, *Deum inconvenienter, indecenter, insipienter, contra rationem, inclementer, immisericorditer agere. Quod si in hujusmodi attributorum decenti cadat effectus aliquis in creaturam, nihil omnino de gratiæ ratione decedit.* Nam etsi verum sit Deum non posse agere inconvenienter, indecenter &c. attamen ex eo quod aliquod opus externum deceat unum attributum divinum, v. g. ex eo quod remissio peccatorum deceat misericordiam Dei, non sequitur quod omissio illius sit indecens & iniqua; & sic de cæteris, alioquin nulla Dei opera ad extra essent illi libera: nam cum omnia opera illius ad extra sint decentiæ & æquitati consentanea, omissio illorum esset semper indecens & iniqua: Deo autem nihil indecens aut iniquum competere potest; ergo Deus nihil aliud ad extra agere posset, quam quod revera agit: ergo opera illius non essent libera, quod est falsissimum atque hæreticum.

XVIII.

3. Contendit quoque in loco superius citato Jansenius, tribui posse ex allo capite gratiæ vocabulum justitiæ originali, cæterisque donis actualibus ex ea consequentibus, quamvis debitis creaturæ innocenti, scilicet, quia non conferuntur illi ex merito operum præcedentium quæ nulla sunt; sed vanum est & absurdum illud Jansenii effugium, cum non solum opera præcedentia, sed etiam exigentia naturæ excludat rationem gratuiti; nam non minus debitum est illud donum quod debetur naturæ, quam illud quod debetur merito præcedentium operum, & consequenter neutri debito competere potest nomen gratiæ. Jansen. lib. 1. de statu puræ nat. c. 20.

Nec est quod urgeat Jansenius, plura D. Augustini congerens testimonia, quibus S. Doctor acerrime tuetur gratiam destrui per opera antecedentia; nam vult quidem opera antecedentia obstare gratiæ, & per illa gratiam destrui: nullibi vero negat aliis titulis destrui posse; imo rationes, quibus hanc suam doctrinam persuadet, excludunt omne debitum proprie dictum, quodcumque illud sit; illud etiam quod oriretur ex exigentia naturæ, scilicet quia alioquin gratia redderetur debita, & eam haberet homo de suo, & de illa posset gloriari &c.

XIX.

Ex dictis patet Jansenii doctrinam circa impossibilitatem status naturæ puræ, quamvis errores suos multis æquivocationum involucris tegere, & quasi velis quibusdam obtendere tentet, doctrinæ Baji perfecte consentaneam esse, atque jure merito ab Urbano VIII. proscriptum fuisse illius librum cui titulus est, *Augustinus*, tanquam continentem & renovantem articulos, opiniones & sententias Constitutionibus S. Pii. V. & Gregorii XIII. reprobatas atque damnatas.

XX.

Ulterius quoque inferre licet eos qui ducem Jansenium sectantes verbis specie Catholicis errores suos circa impossibilitatem status puræ naturæ contegere nituntur, eadem cum Jansenio censuras incurrere; ii scilicet tales censuras incurrunt, qui postquam asseruerunt impossibilem esse statum naturæ puræ, vel debitam fuisse primo homini charitatem cæteraque media ad æternam salutem obtinendam necessaria, vel primum hominem non potuisse absque iis creari a Deo, aut absque ordinatione in visionem intuitivam, falso putant vibrato jam fulmini adversus Baji errores se subducere, dummodo dicant dona illa debita non fuisse naturæ secundum se inspectæ, vel tanquam proprietates naturæ, sed Deum illa debuisse solummodo sibi ipsi, suisque attributis.

Si his & similibus verbis nihil aliud dicere vellent, quam quod, supposita ordinatione Dei, qua Creaturam rationalem destinavit beatitudini æternæ in Cælis per visionem intuitivam consequendæ, illam condere non potuerit absque subsidiis ad illam consequendam necessariis, profecto in ea doctrina nihil esset reprehensione dignum, modo faterentur simul Deum, qui Creaturam rationalem de facto destinavit æternæ bea-

beatitudini in Cælis consequendæ, potuisse tamen illam huic non destinare beatitudini. Sed Novatorum error in eo situs est, quod velint Deum non potuisse creaturam rationalem condere absque hac destinatione, nec proinde absque charitate, cæterisque subsidiis ad beatitudinem consequendam necessariis.

§. III.

Exponitur germanus sensus Propositionum 34. & 36. de amore Dei naturali.

I.

DUplex distinguitur a Theologis amor Dei: alter quo Deus diligitur tanquam Auctor gratiæ, aliorumque donorum supernaturalium; alter quo Deus diligitur ut Auctor naturæ bonorumque naturalium, & ut finis ultimus qui naturæ est proportionatus. Ut autem amor iste Dei, ut est Auctor naturæ, dicatur naturalis, non satis est quod Deus diligatur præcise sub hoc respectu quatenus est Auctor naturæ, sed insuper requiritur quod sic diligatur per solas naturæ vires: nam Deus diligi potest, etiam ut Auctor naturæ amore supernaturali.

Itaque dum quæritur utrum detur aliquis amor Dei naturalis, sensus hujus quæstionis non est utrum Deus diligi possit præcise ut est Auctor naturæ bonorumque naturalium; certum est enim & indubitatum, Deum posse, per auxilium gratiæ ita diligi, præscindendo ab aliis donis, scilicet supernaturalibus, quæ liberaliter præstitit homini; sed sensus est an Deus per solas naturæ vires diligi possit ut Auctor naturæ.

II.

Utrum autem in statu naturæ lapsæ possit Deus ut Auctor naturæ diligi per solas naturæ vires, controvertitur inter Theologos: nonnulli enim asserunt Deum nullo modo posse per solas naturæ vires diligi in hoc statu; verumtamen alii probabilius docent, Deum quidem absque auxilio gratiæ non posse diligi super omnia ut Auctorem naturæ, sed tamen posse diligi aliquo modo. Hanc sententiam amplectuntur Estius, Sylvius, & alii, eamque probant auctoritate S. Thomæ & aliorum Doctorum, qui tantum in quæstione ponunt, utrum super omnia possit homo lapsus Deum diligere per sola naturalia, qua quæstionis resolutione significant se supponere quod homo lapsus possit aliqualiter diligere Deum, licet non super omnia. Quia tamen hæc quæstio disputatur in Scholis, ab ea agitanda consulto abstinemus in hoc opere, quod contra Bajum & Bajanistas unice suscepimus.

III.

Itaque Baji & Bajanistarum errorem solummodo hic aggredimur asserentium hominem, in quocumque statu consideretur, non posse per solas naturæ vires Deum ullo modo diligere; quæ doctrina planissime cohæret cum hujusce Novatoris principiis: nam si nullum sit medium charitatem inter & cupiditatem, profecto naturali dilectioni nullus datur locus. Præterea, si debeatur Creaturæ rationali ordinatio in visionem Dei intuitivam, atque charitas erga Deum ut Auctorem donorum supernaturalium, ideoque Creatura rationalis non possit condi absque illa charitate supernaturali, tanquam medio necessario ad beatitudinem æternam consequendam, manifeste patet quod non possit condi cum sola naturali dilectione Dei, imo quod nulla admitti possit dilectio Dei naturalis, cum charitas fiat in illo statu principium omnium actuum, qui alioquin possent imperari a dilectione naturali.

IV.

Longe igitur distat ab errore Baji sententia Theologorum illorum, qui asserunt quod ratione infirmitatis per peccatum contractæ homo per sola naturalia non potest ullo modo diligere Deum, etiam ut Auctorem naturæ. Bajus enim contendit quod in quocumque statu consideretur homo, Deus ab illo diligi non potest amore naturali, ac proinde rejicit omnem amorem Dei naturalem. Hic error Baji enuntiatur in sequentibus propositionibus.

Prop. 34. *Distinctio illa duplicis amoris, videlicet naturalis, quo Deus amatur ut Auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est & commentitia, & ad illudendum Sacris Litteris ac plurimis veterum testimoniis excogitata.*

Prop. 36. *Amor naturalis, qui ex naturæ viribus exoritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum injuria Crucis Christi defenditur a nonnullis Doctoribus.*

Hæ duæ propositiones quoad sensum, licet non omnino quoad omnia verba, leguntur in Opusculo de charitate. Prior cap. 4. & posterior cap. 5. *Ex quibus manifestum evadit*, ait c. 4. *quam vana sit eorum distinctio, qui ut Scripturis Sacris & jam dictis, aliisque pluribus veterum testimoniis illudant, sine ulla traditione, contendunt duplicem esse Dei dilectionem: alteram qua Deum tanquam futuræ beatitudinis largitorem diligimus, quæ per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus nostris, & charitas nuncupatur: alteram vero, qua Deum tanquam Creatorem amamus, quæ ortum ducat a libero hominis arbitrio.* Bajus O. pusc. de charit. c. 4. & c. 5.

Quin & hi, pergit idem Bajus c. 5. *qui Creatoris amorem solis liberi arbitrii viribus ascribunt, quem acquisitam vocant charitatem, imprimis fatentur, quod hæc charitas, nec ex Scripturis Sacris, nec ex Conciliorum auctoritate, nec etiam ex traditione veterum ullum habeat testimonium.* Et postea, *sicut juxta mundi hujus sapientiam sub nomine Philosophiæ, nostræ elationi persuadet humana præsumptio, præsertim si nostris conjecturis plus satis incumbamus, quæ fere in hoc propendent, ut Crucis Christi doctrinam subvertant.*

In damnatis propositionibus 34. & 36. & in Opusculo e quo desumptæ sunt, nullatenus agitur de infirmitate per peccatum contracta; sed a creatura rationali, in quocumque statu illa consideretur, excludit Bajus quemcumque amorem Dei naturalem, & solam agnoscit charitatem; ideoque rejicit distinctionem in Scholis usitatam amoris in naturalem atque supernaturalem; & hoc est quod censura dignum in propositionibus 34. & 36. judicavit Summus Pontifex.

V.

Novatores, qui ab erroribus in Bulla Piana damnatis recedere nolunt, contendunt utramque propositionem damnatam non esse ratione doctrinæ quæ in ea enuntiatur, sed solummodo ratione acrioris censuræ qua perstringunt sententiam oppositam: sunt enim nonnulli Theologi qui, ut alibi diximus, opinantur quasdam propositiones Baji damnatas esse, non quod falsa sit doctrina in iis enuntiata, sed quia in iis nimis acerbe reprehenditur sententia opposita: & juxta illos damnatæ sunt hæ duæ propositiones, non eo quod in iis nullus agnoscatur amor Dei naturalis, seu ex naturæ viribus exortus, quod Deus ametur ut Auctor naturæ, sed eo quod in illis distinctio hæc duplicis amoris, naturalis scilicet & supernaturalis, arguatur tanquam vana & commentitia, atque ad illudendum sacris Litteris, ac plurimis veterum testimoniis excogitata; incusenturque distinctionis illius assertores, quod illam hauserint ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ, & cum injuria Crucis Christi. Vide supra art. 1. n. 2.

Verum quidquid sit de hac opinandi ratione nonnullorum Theologorum, qui ab aliis contradicuntur, imo & refelluntur multis argumentis atque momentis valde urgentibus, nihilominus si in Bulla Piana damnatæ sint aliæ propositiones doctrinam propositionum 34. & 36. tantummodo enuntiantes absque ulla censura sententiæ oppositæ, tunc fatendum erit has duas propositiones damnatas esse, non solum propter acerbitatem censuræ, sed etiam quantum ad substantiam dogmatis, sicuti supra jam observavimus. Porro doctrina, quæ in his duabus prædictis propositionibus enuntiatur, damnata est, ut jam alibi probavimus, in aliis ejusdem Baji propositionibus, idque nulla habita ratione acrioris notæ qua ille afficit sententiam oppositam. Ergo propositiones Baji 34. & 36. defendi non possunt, neque quantum ad acriorem notam sententiæ oppositæ, neque quantum ad substantiam dogmatis. Ergo effugere non possunt censuram Bullæ Pianæ qui rejicere audent distinctionem illam duplicis amoris, videlicet naturalis quo Deus amatur, ut Auctor naturæ, ex naturæ viribus; & gratuiti quo Deus amatur, ut Beatificator. Vide supra art. 1. n. 2. Vide supra §. 3.

§. IV.

Exponitur germanus sensus Propositionum 25. & 26. Omnia opera Infidelium sunt peccata. Et Philosophorum virtutes sunt vitia.

UT plenius percipiatur quis sit harum duarum propositionum genuinus sensus, brevis hic Analysis subjicienda videtur Opusculi a Bajo editi, cui titulus est, *de virtutibus impiorum*; ex quo Opusculo, non quoad verba, sed quoad sensum hæ duæ propositiones desumptæ sunt; quod in sua Apologia fatetur ipsemet Bajus.

I.

Quærit primum in hoc Opusculo Bajus, *An defendendæ sint virtutes descriptæ a Philosophis*; & postquam in virtutibus distinguenda censuit officia a finibus, ita ut vertantur in vitia ratione finis virtutes illæ, quarum

officia

officia honeſta ſunt, oſtendere ſuſcipit cap. 4. *Virtutes eas quæ ab Ariſtotele deſcribuntur, id eſt virtutum officia, quæ non ob aliud, ſed propter ſemetipſa expetuntur, non recte a peccato vindicari, virtuteſque non eſſe, ſed virtutum ſimulationes, & vitia virtutes imitantia.* Deinde rejicit ſententiam D. Thomæ 2. 2. q. 23. art. 7. ubi ait S. Doctor eſſe virtutes quæ *ad verum aliquod bonum particulare referuntur, quod ad bonum univerſale ſit referibile:* additque Bajus; *Ubi in primis mirandum occurrit, quomodo D. Thomas hanc proximi finis ad univerſale bonum referibilitatem ad rationem virtutis ſufficere exiſtimet.* Et poſt prolata quædam D. Auguſtini teſtimonia, hanc ipſe ſibi objectionem proponit. *Verum forſitan tacitus animo reſpondes prædictas virtutes ob id ab Auguſtino non dici veras, quia ſteriles ſunt & ad regnum Cælorum conſequendum inutiles, non autem quia vitia ſunt & digna ſupplicio.* Cui objectioni ut ſatisfiat ait: *quæro a te utrum virtus, quæ propter ſemetipſam expetitur, propter id fit propter quod eam fieri debere vera ſapientia præcipit; Fit propter ſe, præcipitque id Ariſtotelis ſapientia, quam Apoſtolus ſtultitiam vocat: quia vera ſapientia nos ſoli Deo ſervire præcipit.*

II.

Ex his patet, juxta Bajum, a peccato non recte vindicari virtutes, aut virtutum officia quæ propter ſe expetuntur, id eſt, propter honeſtatem quam in ipſis elucere oſtendit ratio naturalis: ſed ut virtutes ſint, & non virtutum ſimulationes, & vitia virtutes imitantia, requirit quod ad Deum ipſum referantur, nec ſufficit quod ſint ad Deum referibiles; nam quod id docuerit D. Thomas miratur ipſe Bajus, & hæret attonitus. *Ubi*, inquit, *mirandum occurrit quomodo D. Thomas hanc proximi finis ad univerſale bonum referibilitatem ad rationem virtutis ſufficere exiſtimet.* Deinde collectis animis aſſerit impavide virtutes quæ fiunt, ſi propter ſe fiant, oriri ex Ariſtotelis ſapientia, quam Apoſtolus ſtultitiam vocat. Sed cum Infideles, qui Deum non norunt, propter Deum agere non poſſint, nec ignoto Deo ſacrificare, inde ſequatur neceſſe eſt omnia eorum opera eſſe peccata, & Ethnicorum Philoſophorum virtutes eſſe vitia.

III.

Hunc errorem deinde expreſſius docet Bajus in eodem capite 5. ubi aſſerit, *quod quidquid non eſt ex fide per dilectionem operante, peccatum eſt: omnis enim*, ſic ille proſequitur, *amor Creaturæ rationalis, aut eſt amor mundi, aut amor Dei, hoc eſt..... omnis amor noſter aut pravus eſt, & dicitur cupiditas vel libido: aut rectus, & dicitur charitas, ſive dilectio. Fides autem quæ bene operatur, non per timorem aut cupiditatem, ſed per dilectionem bene operatur..... & ideo quidquid non fit ex fide per dilectionem operante, ſed per cupiditatem aut timorem, ipſo non recto fine peccatum eſt.*

Idem Bajus de Infidelibus loquens in annotationibus in cenſuram Sorbonæ prop. 7. *Preceptum eſt homini*, inquit, *ut ſoli Deo ſerviat, & omnia in ejus gloriam referat.... ſed Deo ſervire non poteſt, nec quicquam in gloriam ejus facere, qui illum & cæcitate neſcit, & elatione contemnit. Igitur in omni opere ſuo peccat.*

IV.

Itaque a Bajo non diſcedunt illi qui fatentur quædam Infidelium opera eſſe quidem bona ex objecto & ex fine proximo, ſed addunt ea ex defectu ordinationis in Deum eſſe peccata. Nec enim Bajus unquam negavit quædam opera Infidelium eſſe bona ex objecto & ex fine proximo: ſed ſolummodo contendit ea omnia, ſi non fiant recto fine, id eſt juxta Bajum, cap. 5. jam citato, ſi non fiant ex fide per dilectionem operante peccata eſſe. Hic eſt error in illo Novatore damnatus, & hanc damnationem non effugiunt qui in infidelibus agnoſcunt opera ex objecto & ex fine proximo ſolummodo bona.

V.

Neque eam effugiunt illi qui nomine Infidelium intelligunt ſolos illos qui non habent fidem explicitam in Chriſtum Redemptorem, & conſequenter fatentur non eſſe peccata omnia opera illorum Infidelium, qui Deum Creatorem cognoſcentes, Chriſtum Redemptorem ignorant, ſed ſimul contendunt omnia opera illorum qui Deum Creatorem non agnoſcunt eſſe peccata.

Iſti, inquam, a Bajo non diſſentiunt, nec damnationem a S. Pio V. latam effugiunt; quando enim Bajus contendit omnia Infidelium opera eſſe peccata, hanc ſuam ſententiam nititur probare, eo quod Infidelibus deſit debita operum ſuorum ordinatio ad finem ultimum, non autem quod ipſis deſit fides in Chriſtum. Loquitur ergo de illis infidelibus qui veri Dei, etiam ut Creatoris, notitiam non habent, & de iis aſſerit quod omnia illorum opera ſunt peccata.

VI.

Nec quoque errorem damnatum in Bajo effugiunt illi qui fatentur quaſdam Infidelium actiones immunes eſſe a peccato, illas nimirum quibus cum auxilio gratiæ diſponuntur ad fidem. Has enim actiones Bajus ipſe, ſicut & illi, aſſerit immunes a peccato in Apologia ſua S. Pio V. oblata, ubi ait de illa propoſitione quæ eſt inter damnatas 35. (*Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt*) ait, inquam, quod illa propoſitio recipienda non ſit, quatenus illum etiam peccatorem comprehendit, qui *a Deo juvatur ut credat, & de præteritis ſceleribus doleat.*

VII.

His ſuppoſitis licet ſic raciocinari: ſenſus a Bajo intentus, & conſequenter a S. Pio V. damnatus, non eſt ille ſenſus quem Bajus ipſe rejicit & reprobat; atqui Bajus expreſſe negat omnia Infidelium opera eſſe peccata eo ſenſu, quod nulla ſint eorum opera ex objecto & ex proximo fine bona, vel eo ſenſu quod omnia opera illorum qui non habent fidem explicitam in Chriſtum ſint peccata, vel denique in eo ſenſu quod omnia opera Infidelium, etiam illa quibus diſponuntur ad fidem, ſint peccata; imo expreſſe aſſerit doctrinam contradictoriam; ergo illa propoſitio, *Omnia opera Infidelium ſunt peccata*, damnata non eſt in aliquo ex prædictis tribus ſenſibus jam allatis.

VIII.

Denique a Cenſura Pontificia immunes non ſunt illi qui fatentur quidem omnia Infidelium opera non eſſe peccata, ſed ſimul docent Infideles in omnibus operibus ſuis peccare defectu rectæ intentionis, quam ſibi in omnibus ſuis actionibus proponere debent, nempe amoris Dei propter ſe dilecti. Nam ſi Infideles in omnibus operibus ſuis peccant defectu debitæ intentionis, conſequens eſt quod omnia illorum opera ſint peccata, tum quia opus cui deeſt debita intentio peccatum eſt, & defectus debitæ intentionis afficit ipſum opus, illudque corrumpit; tum quia juxta Bajum & Bajaniſtas, opus cui deeſt recta intentio, nempe charitas, habet pro fine vitioſam cupiditatem. Denique ut hoc effugium Novatoribus præcludatur, damnavit Alexander Papa VIII. hanc propoſitionem, quæ eſt octava inter 31. damnatas, *Neceſſe eſt Infidelem in omni opere peccare.*

ARTICULUS IV.

Exponitur germanus ſenſus Bajanæ Propoſitionis 28. Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio non niſi ad peccandum valet.

I.

NOvatores huic propoſitioni falſo hunc tribuunt ſenſum, nempe quod ſine gratia ſanctificante liberum arbitrium non niſi ad peccandum valet, atque ideo omnia opera hominis in ſtatu peccati lethalis eſſe peccata. Verum ut demonſtremus hunc non eſſe germanum ſenſum Bajanæ propoſitionis, ſupponendum eſt id quod jam probavimus, nimirum propoſitiones Baji damnatas eſſe in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento: cum ergo ſenſus rigoroſus hujus propoſitionis, atque proprius verborum ſenſus a Bajo intentus ſit, quod ſine adjutorio gratiæ actualis liberum arbitrium non niſi ad peccandum valeat, conſequens eſt eam in eodem ſenſu a Summo Pontifice fuiſſe damnatam.

II.

Certum eſt autem primo, quod quamvis nomen *gratiæ* in genere poſſit accipi, tam pro gratia habituali & ſanctificante, quam pro gratia actuali, attamen ubi enuntiatur adjutorium gratiæ, non autem gratia ſimpliciter, nihil aliud intelligi poteſt, quam gratia actualis, qua ſcilicet homo adjuvatur ad operandum bonum, ac proinde proprius & rigoroſus verborum ſenſus hujus propoſitionis Bajanæ eſt, quod liberum arbitrium ſine gratiæ actualis auxilio non niſi ad peccandum valeat.

III.

Deinde hic eſt etiam ſenſus a Bajo intentus. Siquidem propoſitio de qua agimus deſumpta eſt ex titulo c. 8. Libri de virtutibus Impiorum, qui ſic habet. *Quod liberum arbitrium ſine Dei adjutorio non niſi ad peccandum valet.* Quod autem Bajus ibi velit liberum arbitrium ſine auxilio gratiæ actualis non niſi ad peccandum valere, demonſtrat hujus capitis & duorum ſequentium contextus; non enim hanc impotentiam vitandi peccatum tribuit Bajus ſolis peccatoribus gratia ſanctificante deſtitutis, ſed omnibus hominibus quibus deeſt auxilium gratiæ actualis. Hanc enim impotentiam exponit dicens, ſine adjutorio Dei nos liberam habere voluntatem ad male agendum, non autem ad bene agendum moraliter: Item liberum arbitrium ſibi derelictum non niſi ad peccandum valere: Item Pelagianorum vocem eſſe poteſtatem voluntatis aliquantulum ad non peccandum valere, Chriſtianorum vero profeſſionem eſſe, ſine adjutorio gratiæ ad non peccandum nihil valere voluntatis arbitrium. Hæc omnia ſane intelligi non poſſunt niſi de impotentia hominis qui caret auxilio gratiæ actualis.

Hanc deinde probat Bajus impotentiam, ſimulque gratiæ neceſſitatem ex iſta Orationis Dominicæ petitione, *ne nos inferas in tentationem*. Quis autem ita deſipiat ut audeat aſſerere hac petitione non poſtulari auxilium gratiæ actualis?

IV.

Ex his manifeſte patet errorem propoſitionis 28. in eo ſitum eſſe, quod Bajus velit liberum arbitrium ſine auxilio gratiæ actualis non niſi ad peccandum valere; non in eo quod liberum arbitrium gratia ſanctificante deſtitutum ſemper peccet: non enim docuit unquam omnia opera hominis in peccato mortali conſtituti eſſe peccata; imo eam doctrinam, ut ſupra obſervavimus, hæreticam pronuntiat in ſua Apologia; atque alibi expreſſe docet de quibuſdam Catechumenis & pœnitentibus, quod in eis inveniatur aliquod bonum opus quod non eſt peccatum, quodque de lege & admonitione Domini multum impleant, quando ad peccatorum remiſſionem aſpirantes convertunt ſe ad Dominum, pœnitentiam agunt, confitentur, baptizantur &c. Plura alia habet in eodem capite quibus hanc eandem doctrinam confirmat.

Vide ſupra §. 1. n. 9. pag. 29.

Bajus de charit. c. 7. n. 15. & 16.

V.

Sic etiam intellexit hanc propoſitionem 28. Facultas Theologica Lovanienſis, in ea quam juſſu Nuntii Apoſtolici expoſitione edidit, quamque jam citavimus, ita enim loquuntur Lovanienſes. *Non ſic tamen omnia boni principia evulſa ſunt, ut liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio non niſi ad peccandum valeret, multa quippe ſunt, quæ vel ad humanos uſus utiliter, vel ad excolendos ornandoſque vitæ mores laudabiliter, vel ad Reſpublicas conſtituendas induſtrie prudenterque ex primis honoris reliquiis protulit; neque ea inquantum hujuſmodi ſunt, peccata eſſe cenſeri ullo modo recte poſſunt. Quo fit ut vel eo nomine non recte dicendum ſit liberum arbitrium non niſi ad peccandum valere, ſive id in hominibus fidelibus, ſive in infidelibus ſpectetur..... quis autem putet liberum arbitrium non valere ad ullum vitandum peccatum, quandoquidem & per gratiam adjutum valet omne vitare peccatum, & ſine gratia etiam multa ſæpe declinet? Sive quia naturali quodam amore honeſti melioreque indole nonnulla etiam ſuggeſta repudiet: ſive quia alia quapiam occupatione quæ plus oblectet teneatur.* Doctrina ergo quam facultas Theologica Lovanienſis opponit propoſitioni 28. Baji, tamquam illi contradictoriam, ea eſt, quod liberum arbitrium aliquando abſque alicujus gratiæ auxilio vitet peccatum; exiſtimavit ergo Bajum locutum fuiſſe de actuali gratiæ auxilio, quando aſſeruit liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio non niſi ad peccandum valere.

VI.

Urbanus VIII. damnando librum Janſenii, cui titulus, *Auguſtinus*, eo quod innovet errores a S. Pio V. in Bajo damnatos, ſupponit idem eſſe Janſenii & Baji ſyſtema. Porro Janſenius multis probare conatur poſt lapſum primi hominis periiſſe, non ſolum libertatem ad agendum bonum, ſed etiam abſtinendi a peccato, imo inductam eſſe peccandi neceſſitatem, ita ut ſine gratia Salvatoris homo peccet in omnibus actibus ſuis. Contendit tamen non omnia hominis peccatoris opera eſſe peccata, ac proinde liberum arbitrium gratia juſtificante deſtitutum aliquando peccatum vitare. Docet enim in loco ſupra citato, quod *ante juſtificationem, & credit peccator Deo, & ſperat peccati ſui remiſſionem, æternamque beatitudinem, & aliquo uſque, licet imperfecte, non ſuper omnia, Deum diligit.* Et deinde. *Certum eſt autem cum Auguſtinus docet liberum arbitrium ſine adjutorio gratiæ Dei non niſi ad peccandum valere, eum nullo modo de adjutorio ſpiritus inhabitantis loqui, ſed de illo quo ſimul fides, pœnitentia, vitæ novæ propoſitum, & ſimiles boni cordis motus inſpirantur peccatori, antequam perfecta illa charitate juſtificetur, & peccatorum remiſſione purgetur.*

Janſen. de ſtat. nat. lapſæ, toto lib. 3. & 4. præſertim ejuſdem libri 4. c. 18.

Janſ. lib. 4. de ſtatu nat. lapſæ c. 27.

Stat ergo Janſenium, ſicut & Bajum, non docuiſſe liberum arbitrium gratia juſtificante deſtitutum non niſi ad peccandum valere; e contra vero docuiſſe quod ſine actualis gratiæ adjutorio non niſi ad peccandum valeat; ac proinde in eo ſenſu damnatam eſſe propoſitionem 28. Baji.

Nec omittendum eſt aliud quoddam Novatorum effugium, qui auſi ſunt aſſerere propoſitionem hanc 28. damnatam eſſe in eo ſenſu, quod liberum arbitrium non poſſit ſine gratia appetere ſuam beatitudinem naturali inſtinctu, quo volumus omnes eſſe beati, vel quod non poſſit actus indeliberatos peragere. Ille enim actus quo omnes appetimus beatitudinem in genere, & cæteri actus indeliberati nullatenus ſunt liberi. Perſpicunm eſt autem quod in illa propoſitione Bajus loquatur de actibus deliberatis, in quibus ſolis reperiri poteſt peccatum.

Inſtant tamen nonnulli Bajum contendere motus concupiſcentiæ indeliberatos eſſe culpabiles; unde inferri poteſt Summum Pontificem damnando propoſitionem 28. definiiſſe ſolummodo, quod liberum arbitrium abſque gratiæ Dei adjutorio valeat ad non peccandum in ſuis motibus indeliberatis. Quam abſurda ſit hæc expoſitio nemo non videt; nam motus indeliberati non ſunt fœtus liberi arbitrii: neque ullatenus ſerio dici poteſt quod liberum arbitrium in motibus indeliberatis aliquid valeat, ſive ad peccandum, ſive ad non peccandum.

Deinde falſum eſt Bajum aſſeruiſſe motus concupiſcentiæ indeliberatos eſſe peccata; imo licet velit eos eſſe legis inobedientiam, expreſſe negat eos in peccatum deputari. *Motus pravi concupiſcentiæ*, inquit prop. 72. *ſunt pro ſtatu hominis vitiati prohibiti præcepto*, Non concupiſces: *unde homo eos ſentiens, & non conſentiens tranſgreditur præceptum*, Non concupiſces; *quamvis tranſgreſſio illa in peccatum non deputetur.* Videri poſſunt propoſitiones 48. 49. & 73.

Alteram quoque Bajaniſtæ commenti ſunt cavillationem. Poſſunt exerceri, inquiunt, abſque gratiæ adjutorio officia quædam virtutum & præcepta aliqua impleri quoad ſubſtantiam atque etiam quoad finem proximum, licet in eis exercendis peccetur defectu debiti finis ultimi; & in hoc ſenſu concedimus liberum arbitrium abſque gratiæ adjutorio valere ad non peccandum, ſcilicet ad exercenda illa officia virtutum, tam quoad ſubſtantiam, quam quoad finem proximum, licet culpabilia ſint defectu ordinationis in ultimum finem.

Sed hac cavillatione non effugiunt ſententiam latam a Summo Pontifice, qui definiit liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio valere ad non peccandum ſaltem aliquando. Porro ſi homines, qui gratiæ Dei adjutorio ſunt deſtituti, peccent in omnibus actionibus ſuis defectu ultimi finis, quem ſibi proponere debent, & ſibi non proponunt, fatendum erit cum Bajo, liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio non niſi ad peccandum valere; atque ita eadem cum Bajo Novatores iſti inuruntur cenſura.

VII.

Hunc Baji errorem innovavit Queſnellius, cujus propoſitio 38. ſic habet. *Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſine gratia Salvatoris.*

Huc reduci poſſunt ejuſdem Queſnellii propoſitiones quæ ſequuntur.

Propoſitio 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis niſi ad aberrandum, ardoris, niſi ad ſe præcipitandum, virium, niſi ad ſe vulnerandum: eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

Propoſitio 40. *Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.*

Propoſitio 41. *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis, non poteſt venire niſi a Deo, & ſine gratia non producit niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis & amoris.*

Propoſitio 42. *Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad Sacrificium Fidei: ſine hoc nihil niſi impuritas, nihil niſi indignitas.*

Sic loquitur Queſnellius poſt Bajum, quem ſemper anteſignanum habuit, & cui unitate doctrinæ ita conjunctus eſt, ut a tali Magiſtro degenerem nunquam ſe ſe præbuerit. Docuit itaque Queſnellius peccatorem ſine gratia non eſſe liberum niſi ad malum: voluntatem quam gratia non prævenit nihil habere luminis niſi ad aberrandum, ardoris niſi ad ſe præcipitandum, virium niſi ad ſe vulnerandum: eſſe capacem omnis mali, & incapacem ad omne bonum. Juxta eundem Queſnellium, ſine gratia quidquid amare poſſumus, ad noſtram condemnationem illud amamus: omnis cognitio Dei non poteſt venire niſi a Deo, & ſine gratia non producit niſi præſumptionem, vanitatem & oppoſitionem ad ipſum Deum: ſola gratia Chriſti reddit nos aptos ad ſacrificium fidei, & ſine hac nihil eſt in nobis niſi impuritas, nihil niſi indignitas. Hæc omnia fuſiori quodam ac elegantiori ſtylo a Queſnellio dicta ſunt: Bajus autem breviori ſcribendi forma utens hos omnes errores hac unica propoſitione concluſit. *Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio non niſi ad peccandum valet.* Ex hac propoſitione fluunt omnes Queſnellii errores ſupradicti circa ſtatum hominis gratiæ adjutorio deſtituti: hos errores proſcripſit Clemens XI. huic præiverat S. Pius V. qui eandem doctrinam in Bajo damnavit.

VIII.

Diſcedunt ab hac Baji doctrina 1. illi Theologi, numero quidem pauci, erroris tamen immunes, qui cum contendant dari aliquos actus indifferentes in individuo, ſcilicet actus qui neque ſint moraliter boni, neque mali, addunt nullum ſine adjutorio gratiæ fieri poſſe actum ex omni parte moraliter bonum, diſcedunt, inquam, a damnata in Bajo doctrina, cum ſimul doceant fieri poſſe abſque auxilio gratiæ aliquos actus immunes a peccato, illos nempe actus quos ſupponunt eſſe indifferentes in individuo. Nam juxta illos liberum arbitrium ad aliquid aliud valet quam ad peccandum, ſcilicet valet quoque ad exercendos aliquos actus indifferentes.

2. Diſcedunt quoque ab hac doctrina Baji illi qui docent nullum fieri actum immunem a peccato ſine adjutorio alicujus gratiæ, quæ ſit ſaltem ordinis naturalis; nam gratia quæ eſt ordinis naturalis, non eſt gratia proprie dicta, & nomine gratiæ vulgo intelligitur auxilium aliquod ſupernaturale.

3. Nec cenſuram in Bajanas propoſitiones latam incurrunt nonnulli Theologi, qui aſſerunt ad actus moraliter bonos, atque etiam ad non peccandum, neceſſariam eſſe gratiam Dei, ſi ſimul doceant illam neceſſitatem non eſſe antecedentem, ſeu non pertinere ad ſufficientiam voluntatis, ſed conſequentem & ſpectantem ad ſolam efficaciam. Sic enim loquendo nihil aliud volunt quam hominem in ſtatu naturæ lapſæ nunquam exercere, abſque alicujus gratiæ adjutorio, actum ex omni parte moraliter bonum, licet revera illum poſſit exercere utpote præditus facultate ſufficienti ad opera quæ ſunt ordinis naturalis. Nam, juxta Theologos iſtos, licet liberum arbitrium gratiæ adjutorio deſtitutum ſemper peccet, poteſt tamen non peccare; ſicque falſa eſt iſta Baji propoſitio. *Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio non niſi ad peccandum valet.*

Quod ſi tria hæc diſcrimina quæ intercedunt inter doctrinam Bajanam, & quorundam Theologorum ſententiam, conjungantur, ſicut conjunxit Vaſquez, eo magis ab errore damnato receditur.

Cæterum licet S. Pius V. Bajaniſtarum errores circa timorem, fidem & ſpem, jam in Concilio Tridentino damnatos, nulla nova cenſura in Bulla ſua confixerit; cum nemo hos errores denuo proſcribendos ipſi detulerit; quia tamen hi Novatores contendunt omnes actus noſtros, qui fiunt ex motivo timoris, fidei, ac etiam ſpei, eſſe peccaminoſos, niſi illi actus habeant pro ulteriori motivo charitatem, ideo duximus hic ſubjungendum ſequentem articulum.

ARTICULUS V.

Errores Bajaniſtarum circa timorem, fidem, atque ſpem Chriſtianam.

I.

EX eodem principio nullum admittente medium inter laudabilem charitatem & culpabilem cupiditatem fluunt alii Bajaniſtarum errores circa timorem, fidem & ſpem chriſtianam, quos Summus Pontifex intactos reliquit, cum eorum in delatione ſua non meminerint Lovanienſes, quia forte putarunt eos jam ſatis a Tridentino fuiſſe proſcriptos: hos tamen errores hic paucis memorare non pigebit: ac primo quidem circa timorem aſſerunt Bajaniſtæ, omnes actiones & volitiones noſtras, quæ procedunt ex motivo timoris, eſſe peccaminoſas, niſi motivum illud timoris ulterius referatur ad charitatem, hoc eſt, niſi timeamus ex motivo charitatis.

II.

Ante Bajum eandem doctrinam circa actus noſtros ex timore elicitos, docuerunt Lutherus & Calvinus. In hunc errorem inſurrexere Tridentini Patres ſeſſ. 6. can. 8. ubi pronunciatur Anathema adverſus eos qui dixerint, *Gehennæ metum per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere.* Et ſeſſ. 14. can. 5. iidem Patres anathemate feriunt eos qui dixerint, *Eam contritionem quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine vitæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis & æternæ damnationis incurſum cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam & magis peccatorem.* Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 8. Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5.

Docet idem Concilium, peccatores divinæ juſtitiæ timore utiliter concuti. Docet quoque, *illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, non ſolum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verum etiam Donum Dei eſſe & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat.* Ibid. ſeſſ. 6. cap. 6. Ibid. ſeſſ. 14. cap. 4.

Jam vero ex his Tridentini locis ſic liceat reſumere. Si gehennæ metus per quem, juxta Tridentinum, ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abſtinemus, peccatum non eſt, & pejores non facit peccatores: ſi illa contritio qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine vitæ ſuæ, ponderando æternæ damnationis incurſum cum propoſito melioris vitæ, eſt verus & utilis dolor, atque præparat ad gratiam: ſi peccatores divinæ juſtitiæ timore utiliter concutiuntur: ſi illa contritio quæ ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, quæque excludit voluntatem peccandi cum ſpe veniæ, eſt Dei donum, atque Spiritus Sancti impulſus, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat, profecto actiones & volitiones noſtræ, quæ ex metu gehennæ concipiuntur, peccati expertes eſſe poſſunt, quamvis non habeant pro motivo charitatem, ut ex Tridentino evidenter eruitur.

III.

Definitioni Concilii Tridentini conſentanea eſt definitio Alexandri Papæ VIII. qui iſtam damnavit propoſitionem. *Attritio quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe non eſt bonus motus ac ſupernaturalis.* Decret. Alex. VIII. 1690. Prop. 15.

Eundem errorem profligavit Clemens Papa XI. damnando Queſnellii propoſitiones quæ ſequuntur. Conſt. Unigenitus. propoſ. 60. &c.

Si ſolus ſupplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc eſt magis violenta, eo magis ducit ad deſperationem. Prop. 60.

Timor non niſi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur. Prop. 61.

Qui a malo non abſtinet niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo. Prop. 62.

Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem
Prop. 63. *non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.*
Sub maledicto legis nunquam sit bonum, quia pecca-
Prop. 64. *tur, sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timo-*
rem evitando.
Moyses, Prophetæ, Sacerdotes & Doctores legis mor-
Prop. 65. *tui sunt, absque eo quod ullum dederint filium, cum*
non effecerint nisi mancipia per timorem.
Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum ve-
Prop. 66. *nire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instin-*
ctum naturalem, aut per timorem sicuti bestiæ, sed per
fidem & amorem sicuti filii.
Timor servilis non sibi repræsentat Deum nisi ut Domi-
Prop. 67. *num durum, imperiosum, injustum, intractabilem.*

IV.

Idem asserunt Bajanistæ circa fidem & spem Christianam, quod de timore asseruerunt, nempe quod fides & spes, ut Christianæ sint, atque immunes a peccato, debeant procedere ex motivo charitatis, ac proinde adjunctam habere charitatem, saltem actualem.

V.

Exitiosam hanc doctrinam circa virtutem fidei Anathemate percellendam censuere Summi Pontifices, ac
Decr. Alex. VIII. 1690. præsertim Alexander VIII. qui propositiones sequentes gravi censura notavit.
Prop. 32. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides divina sed humana.* Et Prop. 11. *Omne quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.*

Eidem Anathemati sequentem circa spem propositionem devovit idem Pontifex.

Ibid. prop. 10. *Intentio qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cælestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.*

Eandem doctrinam jam damnatam suam facere
Const. Unigenit. prop. 51. 52. & 57. non puduit Quesnellium; eosdemque circa fidem & spem errores tradidit in sequentibus propositionibus, quas Clemens XI. non minori censura dignas judicavit.

Fides justificat quando operatur; sed ipsa non opera-
Prop. 51. *tur nisi per charitatem.*
Totum deest peccatori, quando ei deest spes; & non
Prop. 57. *est spes in Deo, ubi non est amor Dei.*
Omnia alia salutis media continentur in fide, tam-
Prop. 52. *quam in suo germine & semine, sed hæc fides non est absque amore & fiducia.*

VI.

Hæc prava dogmata, quæ Bajanistæ, & alii ejusdem farinæ viri tradidere circa fidem, spem ac timorem a prædictis Pontificibus proscripta, jam proscripserat Tridentinum sessione 6. cap. 6. recensens dispo-
Ibid. sess. 6. cap. 6. sitiones, quibus peccatores ad justitiam sibi viam parant, asserit eos ad illam disponi, dum *fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum credentes vera esse quæ divinitus revelata & promissa sunt, & dum peccatores se esse intelligentes a Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.* Juxta enim hanc doctrinam Patrum Tridentinorum Peccatores credunt, timent, sperant, antequam Deum diligere incipiant, sicque ad justitiam disponuntur; ergo non peccant, dum hos actus eliciunt ex alio motivo quam ex motivo charitatis.

Idem Concilium eadem sess. can. 31. circa spem speciale edidit decretum, in quo anathema pronuntiat adversus eos qui dixerint *justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur.*

VII.

Hos Bajani systematis ramusculos explicuit atque dilatavit Jansenius, eosque falso adscribit S. Augustino.
L. 3. de statu nat. lapsæ c. 16. Et primo quidem de timore loquens sic ait: *Docet S. Augustinus tamquam rem in Ecclesia Christiana certissimam, nullum opus bonum, hoc est, sine peccato ab homine fieri posse, nisi ipsum benefactum diligatur, hoc est, nisi ipsa justitia præcepti delectet animum ..... ipsa vero præcepti justitia delectari non est aliud quam opus bonum ex illa cælesti charitate prosequi. Deus autem justitia est, nec illa nisi sola charitate diligitur.... qui præceptum timore servat, nondum præcepti justitiam diligit.* Idem argumentum latius pertractat Novator iste lib. 5. de grat. Ch. Salvat. a cap. 13. (quod in Edit. Rothom. falso inscribitur c. 21.) usque ad finem ejusdem libri. Eandem astruit doctrinam circa actus ex fide elicitos, quos eodem lib. 5. cap. 6. & 7. vitiosos esse contendit hoc ipso quod a charitate non imperantur; nec sui dispar, ac erroris vestigiis semper insistens idem statuit c. 8. 9. & 10. circa actus qui ex sola spe concipiuntur, & quos ut inordinatos reprobat, hoc ipso quod ex motivo charitatis non dimanant.

VIII.

Ut tamen ea quæ ipsi ex Concilio Tridentino possent objici præverteret, novas excogitat cavillationes, quibus incautos atque ignaros decipiat. Itaque contendit nihil in scriptis suis reperiri quod doctrinæ Concilii circa timorem adversetur, eo quod ipsemet fateatur expressis verbis, timorem gehennæ sive pœnæ in se consideratum, esse utilem ac bonum; *Nihil enim,* Jans. Lib. 5. de grat. Chr. Salv. c. 13. *ait, includit vel objectum ejus proprium, vel ulla circumstantia quod malitiam implicet, vel repugnet rationi, sed potius multum congruit; cum pœna odio fugaque digna sit, & ista fuga pœnæ ad ultimum finem, in quo semper animus Creaturæ rationalis requiescere debet, subordinata sit, & voluntatis intentione referri possit..... quapropter si quis in pœna fugienda, velut in termino hæreat...., non illa timoris, sed timentis culpa est.*

IX.

Hæc sunt verba Jansenii: sed his verbis nihil aliud vult Novator iste, quam Lectoris sui oculis caliginem offundere: nemo enim, nec Lutherus ipse, unquam dubitavit timorem gehennæ in se consideratum, esse utilem ac bonum: illud solummodo voluit ille Hæresiarcha, quod actiones nostræ, quæ fiunt ex timore gehennæ, nisi timor ille gehennæ oriatur ex motivo charitatis, sint omnes peccaminosæ; illudque in Luthero damnavit Concilium Tridentinum. Legantur, si lubet, ea quæ fuse differuit Illustrissimus Archiepiscopus Cameracensis in Documento Pastorali anni 1734. parte 2. pag. 158. & seq.

Et vero Patres Tridentini non solum asserunt gehennæ timorem in se consideratum, esse peccati expertem, sed etiam definiunt hunc metum per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccatis abstinemus, non esse peccatum, nec peccatores pejores facere: & non solum definiunt hunc timorem non esse peccatum, sed etiam dolorem ex hoc timore conceptum utilem esse, ac peccatorem præparare ad gratiam. Porro metus ille, qui, juxta Tridentinum, utilis est, (ad salutem scilicet) qui præparat ad gratiam, & per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, atque a peccando abstinemus, non est metus quatenus præcise in se consideratur, sed quatenus est actionum nostrarum motivum, in easque influit, & cum eis unum quid in esse morali constituit. Ex iis ergo quæ ex Tridentino adduximus sequitur evidenter Concilium, non solum definiisse metum gehennæ in se consideratum esse peccati expertem, sed hoc idem etiam statuisse de actionibus humanis quæ fiunt ex motivo talis metus.

Addit Jansenius, quod *si quis in pœna fugienda velut in termino hæreat, non illa timoris, sed timentis culpa est.* Verum hac responsione Jansenius difficultatem eludere conatur, non tamen illam solvit. Quod enim timor in se consideratus nullam involvat malitiam, quod nulla illi culpa tribui possit, sed timenti qui timendo libere peccat, quis unquam negavit?

Quod ut clarius pateat observandum est Theologos omnes docere, ipsomet etiam Jansenio non reclamante, timorem pœnæ, si aliunde nihil vitii sibi adjunctum habeat, bonum esse, cum pœna quoddam malum sit, & rectæ rationi congruat timere malum. Non tamen est moraliter bonus vel malus, nisi quatenus est motivum actionum nostrarum. Timor autem ille per quem aliquo modo convertimur ad Deum, vel ab eo avertimur, quadruplex distinguitur communiter a Theologis, post Angelicum Doctorem, atque Bea- S. Thom 2.2. q. 16. art. 2. tum Bernardum, nimirum mundanus, filialis, initialis, atque servilis.

Timor mundanus est ille quo quis ad evadendum aliquod malum temporale peccat, sive, ut ait S. Thomas, quo quis propter mala quæ timet a Deo recedit. Mundanum hunc timorem rejiciunt cum Jansenio omnes Theologi; cum Christus ipse jam eum reprobaverit apud Matthæum c. 10. his verbis: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.*

Filialis est ille, quo quis convertitur ad Deum, eique inhæret, propter timorem culpæ: ita S. Thomas. Sive ille est, quo quis peccatum refugit, ne Deo displiceat, eumque offendat quem summe diligit,

& cui

& cui ſumme metuit diſplicere; ita ut gehennam metuat ex motivo charitatis proprie dictæ, quatenus ſcilicet ipſum privare poteſt objecto ſuper omnia & propter ſe ſumme dilecto.

Timor initialis eſt ille, quo quis metuit culpam ſimul & pœnam; culpam quidem principaliter, & ſecundario pœnam.

Hoc duplex timoris genus, filialis nimirum & initialis, ab omni prorſus peccato liberum ac immune eſſe fatetur Janſenius cum omnibus Theologis. Diſputatur itaque tantum de timore ſervili, qui dicitur ille, quo quis peccatum deteſtatur ac fugit propter pœnam ipſi annexam, ſive, ſecundum Doctorem Angelicum, quo quis convertitur ad Deum, eique inhæret propter utrumque timorem, pœnæ videlicet & culpæ. Quod quidem cum dupliciter fieri queat, rurſus timor ille ſubdividitur in timorem ſerviliter ſervilem, & timorem ſervilem ſimpliciter.

Timor ſerviliter ſervilis ille eſt, quo quis ita timet pœnam, ut ad illam evadendam abſtineat quidem ab externo opere peccati, ſed tamen retineat voluntatem peccandi ſi peccare poſſet impune.

Timor ſimpliciter ſervilis dicitur ille, quo quis ita gehennam timet, ut, propter illam vitandam velit vitare peccatum, quamvis ad illud vitandum nondum moveatur amore juſtitiæ, ſed metu vindictæ.

His ita prænotatis, nemo eſt qui non fateatur peccare hominem ab opere malo abſtinentem ex motivo timoris ſerviliter ſervilis; nam cum timor ille conjunctum habeat hunc actum, peccarem, ſi poſſem impune, nec eſſent gehennæ ſupplicia ſubeunda, evidens eſt quod timor ille includat voluntatem conditionatam peccandi, cum qua voluntate homo numquam a peccato immunis eſſe poteſt: nec de hujuſmodi timore quæſtio eſt cum Bajaniſtis; hunc eſſe vitioſum omnes conſentiunt; ſed præſens quæ agitatur difficultas in eo ſita eſt, utrum ſcilicet qui gehennam metuit, & ex motivo illius timoris, abſque ulla actuali voluntate peccandi, a peccato abſtinet, aut aliquod aliud bonum opus præſtat, peccet ſi timor ille a charitate non oriatur, aut ulterius ad charitatem non referatur. Partem affirmativam tuetur Janſenius: hanc tamquam erroneam rejiciunt Catholici. Quid ultra ad hæc Janſenius? Timorem in ſe conſideratum eſſe bonum, & hoc quod ex timore oritur vitium, non timori adſcribendum, ſed ipſi timenti imputandum, non minus arroganter, quam pertinaciter reponit.

Aſſentiunt quidem omnes Orthodoxi Janſenio aſſerenti timorem in ſe conſideratum eſſe bonum, atque imputandam eſſe culpam timenti, non timori, quotieſcumque aliquis ex motivo timoris peccat.

Itaque Catholicos inter & Bajaniſtas non diſceptatur, an quando qui peccat agendo ex motivo timoris, culpa illius imputari poſſit timori, non timenti: nam quod timor in ſe conſideratus ſit omnis peccati expers, quodque culpa, quotieſcumque intervenit, ſit culpa timentis, non timoris, nullum eſſe poteſt dubium; ſed ea eſt quæ inter illos agitatur quæſtio, ſcilicet an ille omnis qui operatur ex motivo timoris ſemper peccet, niſi habeat pro ulteriori fine Deum charitate amatum. Affirmant Bajaniſtæ: negant Orthodoxi, quibus dum reſpondent Bajaniſtæ tunc culpam eſſe timentis, non timoris, in illud vitium incurrunt quod a Philoſophis appellatur *petitio principii*. Supponunt enim illud, quod in quæſtionem vertitur, nempe tunc aliquam eſſe culpam in timente.

Janſenius ergo, Bajaniſtæ & alii Novatores, dum gehennæ metum in ſe tantummodo atque præciſe conſideratum bonum eſſe dicunt; dum volunt præterea in timente pœnas æternas ex alio quam ex charitatis motivo culpam eſſe timentis, non timoris; dum ut fucum faciant hæc diverticula quærunt, docentes ſemper quidquid fit ex alio quam ex charitatis motivo peccatum eſſe, Anathema in Concilio Tridentino pronuntiatum non effugiunt.

Circa vero fidem ac ſpem Chriſtianam ut omnem hæreſeos ſuſpicionem a ſe procul amoveant, Theologos Orthodoxos errorum ſuorum ſocios ſecum habere, impudentius gloriantur. Dicunt itaque in Scholis Catholicis publice ac innoxie propugnari, quod fides non poteſt eſſe ſine pia quadam mentis affectione in Deum, quæ intellectum moveat ad aſſentiendum veritatibus revelatis; laudantque Divum Thomam. *Fides*, inquit, *quæ eſt donum gratiæ, inclinat hominem ad credendum ſecundum aliquem affectum boni, etiamſi ſit informis;* qui quidem boni affectus, amor, dilectio, & etiam, quamvis in ſenſu valde generico, charitas dici poſſunt. S. Thom. 2. 2. q. 5. art. 2. ad 2.

Alium etiam citant locum Divi Thomæ, qui de

ſpe aſſerit, quod *facit tendere in Deum ſicut in quoddam bonum finale adipiſcendum, & ſicut in quoddam adjutorium efficax ad ſubveniendum.* S. Thom. 2. 2. q. 17. art. 6. ad 3.

Præterea, inquiunt, nonne docent Theologi Deum ut Beatificatorem, eſſe objectum ſpei noſtræ, ideoque illum, qui ſperat, Deum diligere ut ſibi bonum, diligere eum amore concupiſcentiæ, quamvis amor ille non ſit charitas proprie dicta, quæ Deum diligit ut in ſe bonum, ac proinde amore benevolentiæ, non concupiſcentiæ.

Hæc ſunt vana Novatorum effugia; nam quis neſciat eos interdum verba adhibere in ſpeciem Catholica, ut ſub Catholicorum umbra quiete deliteſcant? Verum ſi nihil ipſi dicerent quam quod docent Orthodoxi, fidem ſcilicet non eſſe ſine quadam pia mentis affectione erga Deum, nec ſpem ſine amore concupiſcentiæ, ſane non eſſent reprehenſione digni: ſed contendunt, neque fidem, neque ſpem eſſe poſſe ſine amore Dei propter ſe, ac proinde ſine amore benevolentiæ. Audiamus Janſenium in iis maxime locis, ubi de fide & de ſpe Chriſtiana agit. Nullam, inquit, *& ipſe* (Auguſtinus) *agnoſcit fidem veram atque Chriſtianam, nullam itidem niſi ex Dei charitate dimanet.* Janſ. Lib. 5. de grat. chr. c. 6. Deinde hanc doctrinam ſuam revocat ad exitioſum illud principium, in quo iteratis atque iteratis vicibus multum complacet ſibi, addens quæ ſequuntur. *Non enim agnoſcit ſanctiſſimus Doctor in univerſis operibus ſuis, niſi duos amores, Creatoris & Creaturæ, ex quorum alterutro neceſſe eſt, ut quæcumque actio voluntatis oriatur. Ille charitas eſt, iſte cupiditas; quarum illa de Cælo eſt, Deo plantante: iſta ex mundo, diabolo ſeminante.* Ibid. Quod autem per charitatem intelligat amorem benevolentiæ quo Deus diligitur gratuito & propter ſe, ſive ſuper omnia diligatur, ſive non, ipſe exponit his verbis. *Auguſtinus igitur charitatem accipere plerumque ſolet pro dilectione, qua vere, ſincere & gratis ex animo propter ſe ipſum, nullius Creaturæ, ſed ipſius ſolius intuitu diligitur Deus, ſive ad illam pertingat perfectionem, ut ſupra omnia creata diligatur, ſive in ſimpliciori & inferiori affectu hæreat..... talis igitur amor Dei, niſi voluntatem hominis ad credendum flectat, non erit fides Chriſtiana, ſed vel dæmonum ex pœnarum timore, vel carnalis ex mundi amore, quarum neutra eſt fides, ex qua fideles nuncupantur.* Ibid. c. 7. Et cap. 9. probare nititur quod *ſpes Chriſtiana non oritur ex amore concupiſcentiæ, ſed genuinæ charitatis.* Ibid. c. 9. Fatentur quidem omnes cum Janſenio, quod charitati gratis diligentis Deum non repugnet reſpectus mercedis aut retributionis, ac proinde quod æterna beatitudo poſſit deſiderari atque ſperari ex motivo charitatis: ſed in eo erravit iſte Novator, quod velit hanc non poſſe ſine peccato ſperari, quatenus eſt beatitudo noſtra, niſi hæc beatitudo noſtra ulterius referatur ad Deum charitate, id eſt ad Deum gratis & propter ſe ipſum dilectum: & hæc eſt doctrina Janſenii, quam Bajus ipſi, tanquam fido & dilectiſſimo diſcipulo, hæreditario jure tranſmiſit.

Opponunt nihilominus Bajaniſtæ hunc Apoſtoli locum ex 1. ad Corint. c. 10. depromptum, ubi Divus Paulus, ut omnia opera noſtra in gloriam Dei referantur, præcipit his verbis. *Sive manducatis*, inquit Apoſtolus, *ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, in verbo aut in opere, omnia in gloriam Dei facite.* 1. Cor. 10. Atqui actiones quæ fiunt ex motivo timoris non referuntur in gloriam Dei; ergo quicumque operatur ex motivo timoris, hunc timorem non referens in gloriam Dei, agit contra hoc præceptum, ac proinde peccat.

Cum hoc ſit præcipuum ac fere unicum Bajaniſtarum propugnaculum, operæ pretium erit in eo expugnando ac evertendo aliquatenus immorari, atque exponere in quo ſenſu debeat intelligi hic locus Apoſtoli. Præterea ſi valeret Bajaniſtarum argumentum, non ſolum omnia opera quæ fiunt ex motivo timoris eſſent peccata, ſed etiam ea quæ fiunt ex motivo fidei, & ſpei, vel ex aliquo alio motivo naturali & honeſto peccata forent; quod quam falſum ſit, & a fide omnino alienum, ut demonſtretur, ſit

ARTICULUS VI.

Exponuntur verba Apoſtoli 1. *Cor.* 10. Sive manducatis, &c.

NIhil non moliuntur Bajaniſtæ ut doctrinæ ſuæ auctoritatem concilient: Scripturam Sacram, Sanctoſque Patres ſibi plurimum favere ubique prædicant; ſed quam temere id aſſerant, invicte demonſtrant omnes Theologi. Si tamen eos audias, Paulum pro ipſis pugnare manifeſtum eſt, ac præſertim in loco ſupra laudato 1. ad Corint. c. 10. ex quo loco male intellecto miſere eruunt, ut jam innui, peccata eſſe ea omnia quæ non fiunt ex motivo charita-

ritatis. Id vero quam male deducatur ex doctrina Pauli patebit adhuc ex infra dicendis. Antequam tamen genuinus Paulini illius loci sensus aperiatur, quædam præmittenda videtur.

Præmitto igitur 1. Non deesse Theologos, qui doceant ita istum Pauli locum esse exponendum, ut possint tamen esse in hac vita aliqui actus indifferentes, id est, nec boni nec mali, si ipsi spectentur, sive in se, sive in motivo. Neque adhuc aliquid ab Ecclesia definitum fuit adversus doctrinam illam, quam profecto non amplectimur. Neque etiam ab Ecclesia definitum est verba illa Pauli præceptum continere; ea enim consilii esse sentiunt D. Bonaventura, Scotus, Scotistæ & alii non pauci. Hæc omnia, si admittantur, ruit omnino ac prorsus evanescit inconcussum, ut putant, Bajanistarum argumentum. Docet tamen D. Thomas Apostoli verba, non de nudo consilio, sed de vero præcepto esse intelligenda. *Quidam*, inquit, *dicunt quod hoc est consilium; sed hoc non est verum.* A tanti quidem viri doctrina recedere nolumus; hunc ducem & in hac dissertatione Magistrum sequi non minus tutum, quam nobis gloriosum existimamus.

S. Thom. in Epist. ad Coloss. c. 3.

Præmitto 2. licet Bajanistæ velint verba Pauli veram inducere obligationem, omnia in Deum referendi, non contendunt tamen quod sub præcepto teneamur omnes actiones nostras actu in Deum referre. In hoc enim idem sentiunt cum D. Thoma asserente quod *omnia actu referre in Deum non est possibile in hac vita, sicut non est possibile quod semper de Deo cogitetur.*

S. Thom. q. de Char. ar. 11. ad 2.

Præmittendum 3. Quamvis, juxta Doctorem Angelicum, non teneamur omnia referre in Deum actu, tenemur tamen referre virtute, addit enim post verba modo allata. *Sed quod omnia virtute referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis, ad quam omnes tenentur.* Hanc autem relationem virtualem exponens sic prosequitur: *Ad cujus evidentiam considerandum est, quod sicut in causis efficientibus virtus primæ causæ manet in omnibus causis sequentibus, ita etiam intentio principalis finis virtute manet in omnibus finibus secundariis. Unde quicumque actu intendit aliqualem finem secundarium, virtute intendit finem principalem, sicut Medicus, dum colligit herbas, actu intendit efficere potionem, nihil fortassis de sanitate cogitans, virtualiter tamen intendit sanitatem, propter quam potionem dat: sic igitur cum aliquis se ordinat in Deum, sicut in finem, in omnibus quæ propter se ipsum facit manet virtute intentio ultimi finis, qui Deus est: unde in omnibus mereri potest, si charitatem habeat. Hoc igitur modo Apostolus præcipit, quod omnia in gloriam Dei referantur.*

Ibid.

Ibid.

His itaque præmissis fatendum est cum Doctore Angelico, quod omnes actiones nostras teneamur referre, saltem virtute, in gloriam Dei: sed hujus obligationis duplex esse potest interpretatio: alia a Bajanistis fraudulenter conficta: alia vero a Doctore nostro legitime tradita. Bajanistæ quidem contendunt hanc relationem operum nostrorum ad Dei gloriam ita necessario requiri, ut omnes & singulæ actiones quæ non referuntur, saltem virtute, in Deum, sint peccata. Doctor autem Angelicus vult solummodo nos teneri ad referendum, saltem virtute, opera nostra in gloriam Dei, in eo tantum sensu quod omissio illius relationis certis dumtaxat temporibus faciendæ & renovandæ sit peccatum.

Duo itaque hic nobis probanda incumbunt, secundum Doctrinam D. Thomæ; 1. Quod non teneamur referre, saltem virtute, in gloriam Dei omnes actiones nostras, ita ut semper omnes & singulæ, quæ sic non referuntur, sint peccata. 2. Quod teneamur illas referre, saltem virtute, ita ut omissio illius relationis certis tantum temporibus faciendæ & renovandæ sit peccatum.

§. I.

Omnes actiones nostras in gloriam Dei referre, saltem virtute, non tenemur, in eo sensu, quod omnes & singulæ, quæ sic non referuntur, semper sint peccata.

ET primo quidem, quod non teneamur actiones nostras referre in gloriam Dei ita, ut semper omnes & singulæ, quæ ad eum non referuntur, saltem virtute, sint peccata, satis expresse docet S. Doctor, dum hac sibi proposita quæstione, *Utrum* scilicet *modus charitatis cadat sub præcepto legis divinæ*, respondet actum charitatis dupliciter considerari posse: *Uno modo*, inquit, *secundum quod est quidam actus per se; & hoc modo cadit sub præcepto Legis, quod de hoc specialiter datur, scilicet, Diliges Dominum* &c.

D. Thom. 1. 2. q. 100. art. 10.

Cum prima hæc D. Thomæ responsionis pars non spectet quæstionem de qua nunc agitur, in ea discutienda frustra immoraremur: ad aliam ergo veniamus partem, quæ rem nostram cumulate attingit. Pergit itaque S. Doctor, & sic mentem suam aperit, *Alio modo potest considerari actus charitatis, secundum quod est modus actuum aliarum virtutum, hoc est, secundum quod actus aliarum virtutum ordinantur ad charitatem, quæ est finis præcepti .... Et hoc modo verum est ..., quod modus charitatis non cadit sub præcepto, hoc est dictum quod in hoc præcepto, honora Patrem, non includitur quod honoretur Pater ex charitate, sed solum quod honoretur Pater: unde qui honorat Patrem, licet non habeat charitatem, non efficitur transgressor hujus præcepti, etsi sit transgressor præcepti quod est de actu charitatis, propter quam transgressionem meretur pœnam.*

Itaque juxta D. Thomam, modus charitatis non cadit sub præcepto legis divinæ, in eo sensu quod in præceptis legis divinæ, v. g. in hoc præcepto, honora Patrem, includatur, quod honoretur Pater ex charitate, sed præcipitur solum quod honoretur Pater, atque ideo qui honorat Patrem, etsi forte sit transgressor præcepti quod est de actu charitatis, non efficitur transgressor illius quod est de honorandis parentibus. Verum quia opponi posset quod præceptum charitatis obliget ad honorandum parentes ex charitate, ideoque ille actus quo honoratur Pater, etsi non sit peccatum contra præceptum de honorandis parentibus, sit tamen peccatum contra præceptum quod est de charitate, si Pater non honoretur ex motivo charitatis saltem virtuali. Hoc idem ipse sibi objicit S. Doctor, & respondet præceptum referendi omnes actiones nostras in gloriam Dei esse affirmativum, & non obligare pro semper, atque ita posse contingere quod ille qui implet præceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur præceptum referendi in Deum omnes actiones nostras.

Ea verba S. Doctoris objicientis sibi textum Apostoli. *Ad modum charitatis*, ait, *proprie pertinet ut omnia fiant propter Deum: sed istud cadit sub præcepto; dicit enim Apostolus: Omnia in Dei gloriam facite. Ergo modus charitatis cadit sub præcepto.* S. Thom. ibid. ad 2.

Sic autem respondet. *Ad 2. dicendum quod sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum; & ideo præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum. Sic ergo qui honorat Parentes tenetur ex charitate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod est, honora Parentes, sed ex vi hujus præcepti, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde. Et cum ista sint duo præcepta affirmativa non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare; & ita potest contingere, quod aliquis implens præceptum de honoratione Parentum, non tunc transgrediatur præceptum de omissione modi charitatis.*

Ex hoc loco evidenter colligitur homines non peccare in omnibus actionibus quas ad Deum non referunt: si enim illud præceptum referendi omnes actiones ad Deum, cum sit affirmativum, non obliget ad semper, ergo assignari potest tempus in quo non obliget, & in quo non peccent ii qui hanc relationem omittunt. Sic enim ratiocinatur ipsemet Doctor Angelicus. *Cum ista sint duo præcepta affirmativa, ait, non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare; & ita potest contingere, quod aliquis implens præceptum de honoratione Parentum, non tunc transgrediatur præceptum de omissione modi charitatis.*

Sensus igitur doctrinæ D. Thomæ ulterior est, præceptum diligendi Deum obligare ad offerendum se, suos actus, suaque omnia Deo ex motivo charitatis; atque ita eum qui honorat parentes ex bono alio quam charitatis motivo nunquam peccare quidem contra præceptum colendi parentes, aliquando tamen peccare contra præceptum amandi Deum, si nempe tunc utriusque præcepti obligatio, scilicet & Deum amandi, & parentes colendi, concurrat; aliquando autem non peccare parentes colendo, si præceptum amandi Deum, quatenus est affirmativum, tunc non obliget.

Sed opponet forsan aliquis, quod præceptum illud, de quo asserit Doctor Angelicus non obligare ad semper, sit præceptum actiones nostras referendi in Deum actu, ac proinde quod ex illo loco non sequatur præceptum referendi, saltem virtute, actiones nostras in Deum, non obligare ad semper.

Inane profecto effugium: nam juxta S. Doctorem in loco supra laudato, cui consentiunt omnes Orthodoxi, nullum extat præceptum referendi semper actu omnes actiones nostras in Deum, cum hoc non sit possibile in hac vita. Quando ergo asserit S. Thomas ad præceptum charitatis pertinere ut omnia referantur in Deum, loquitur de relatione virtuali, non actuali. Vult ergo præceptum referendi, *saltem virtute*, omnes actiones nostras in Deum non obligare ad semper, ac conse-

quen-

quenter non peccare homines in omnibus actionibus, quas non referunt ad Deum, saltem virtute.

Objiciunt alii: hæc verba, *Omnia in gloriam Dei facite*, continent istud præceptum negativum, nihil facite quod non sit, vel non cedat in gloriam Dei; ergo in hoc sensu obligat ad semper, sicut & cætera præcepta negativa; ergo omnis actio quæ non est, vel non cedit in gloriam Dei, peccatum est.

Respondetur 1. quod hæc interpretatio contraria est expositioni D. Thomæ, cujus doctrinam suscepimus hic investigandam. Si enim omnes actiones nostræ quæ non referuntur in gloriam Dei, saltem virtute, nova essent peccata, præceptum Apostoli obligaret pro semper, quod verbis expressis negat Angelicus Doctor. Deinde si præceptum illud affirmativum velimus reducere in negativum, sic intelligendum est juxta B. Thomam: *Nihil contra Deum faciatis*, hoc est, nullum perpetretis peccatum. *Dicendum*, inquit S. Doctor, *quod hoc quod dicitur, omnia in gloriam Dei facite, potest intelligi dupliciter, vel affirmative, vel negative: si negative, sic est sensus, nihil contra Deum faciatis; & hoc modo præceptum est: & sic præceptum hoc præteritur, vel per peccatum mortale quod contra Deum fit, vel per peccatum veniale quod præter præceptum & præter Deum fit.* S.Thom. in 2.dist. 40.art. 5. ad 7.

Respondetur 2. quod etiamsi admittamus in hoc præcepto, *omnia in gloriam Dei facite*, contineri istud præceptum negativum, nihil facite quod non sit, vel non cedat in gloriam Dei, non inde sequeretur quod omnia & singula opera quæ non referuntur, saltem virtute, ad gloriam Dei, essent nova peccata: ad hoc enim ut nihil faciamus quod non sit, vel non cedat in gloriam Dei, satis esse fatentur omnes Orthodoxi, quod omnia opera nostra ad Dei gloriam semel retulerimus, eamque intentionem certis quibusdam temporibus renovemus, ita ut censeantur omnes actiones subsequentes ad Dei gloriam ordinari. Peccant quidem qui actiones suas sic ad Dei gloriam referre omittunt; sed omissio illius relationis, quamvis sit peccatum, non vitiat omnes & singulas actiones subsequentes; cum Deus non præcipiat homini omnes & singulas actiones ad sui gloriam referre in eo sensu, quod tot peccata committant, quot actiones omittunt referre ad Deum, sed solummodo in eo sensu, quod illam intentionem certis quibusdam temporibus renovare teneantur. Est autem illa omissio solummodo peccatum, quando instat præceptum illius intentionis renovandæ. Non ergo novum peccatum committunt homines, quotiescumque aliquid agunt, quod ad Dei gloriam non refertur, saltem virtute.

Ex his omnibus luce meridiana clarius est, quod sequatur, 1. præceptum referendi, saltem virtute, actiones nostras in Deum, juxta D. Thomam, esse præceptum affirmativum, nec aliter intelligi posse negative quam in eo sensu, nullum perpetretis peccatum. 2. Præceptum illud, cum sit affirmativum, non obligare ad semper, sed obligare solummodo certis quibusdam temporibus, ac proinde non peccare in omnibus actibus suis eos qui illud servare aliquando omittunt, quando scilicet non urget tale præceptum.

Quamvis hæc plene & abunde sufficiant ut persuasum habeamus quod, juxta Doctorem Angelicum omnia opera nostra, quæ ad Deum non referuntur, saltem virtute, non sint nova peccata, attamen ut magis assequamur tanti Doctoris mentem, quædam alia adhuc momenta afferre juvabit, quibus magis ac magis luceſcat catholica doctrina.

Et vero Doctor Angelicus constanter docet omnia Infidelium opera non esse peccata. Atqui si peccarent homines in omnibus actionibus quas ad Deum non referunt, saltem virtute, (accipiendo relationem virtualem in sensu quem illi tribuunt Novatores) peccarent etiam Infideles qui Deum non norunt in omnibus operibus suis, cum ea ad Deum, quem ignorant, referre non possint: consequens adversatur evidenter Divi Thomæ principiis, juxta cujus principia Infidelium opera omnia non sunt peccata; ergo juxta eundem Doctorem, neque peccata sunt omnes cæterorum hominum actiones quæ ad Deum non referuntur, saltem virtute.

Dixi, *accipiendo relationem virtualem in sensu quem illi tribuunt Novatores*; contendunt enim relationem virtualem illam esse, qua actiones nostras referimus in Deum virtute alicujus voluntatis præcedentis, quæ quamvis transierit, moraliter tamen perseverat. Hanc relationis virtualis expositionem nullus eorum diffitetur. Patet autem quod Infideles, qui Deum non norunt, non possunt actiones suas referre in illum virtute alicujus voluntatis præcedentis, qua actu voluerint in operibus suis intendere gloriam Dei. Itaque si ostendamus quod, juxta D. Thomam, omnia opera Infidelium non sunt peccata, probatum quoque remanebit non esse peccata omnia illa opera quæ non referuntur, saltem virtute, in Deum.

Porro Doctor Angelicus constanter docet omnia opera Infidelium non esse peccata. Hanc enim sibi proponit quæstionem; *Utrum omnis actio Infidelis sit peccatum*; & respondet negative. *Cum Infidelitas*, inquit, *sit quoddam peccatum mortale, Infideles quidem gratia carent, remanet tamen in eis aliquod bonum naturæ. Unde manifestum est quod Infideles non possunt operari bona opera quæ sunt ex gratia, scilicet opera meritoria: tamen bona opera, ad quæ sufficit bonum naturæ, aliqualiter operari possunt. Unde non oportet quod in omni opere suo peccent; sed quandocumque aliquod opus operantur ex infidelitate, tunc peccant.* Et postea, *Infidelis*, inquit, *potest aliquem actum bonum facere in eo quod non refert ad finem Infidelitatis.* S.Thom. 2. 2. q. 10. art. 4.

Et in respons. ad 1. exponens illud effatum glossæ, omnis Infidelium vita est peccatum, *Verbum illud est intelligendum*, inquit, *vel quia vita Infidelium non potest esse sine peccato, cum peccata sine fide non tollantur: vel quia quidquid agunt ex infidelitate peccatum est.* Et alibi. *Cum dicitur*, Omnis vita Infidelium peccatum est, *non est intelligendum hoc modo, quod omnis actus eorum peccatum sit; sed quia semper cum peccato vivunt, quia infidelitas est tale peccatum, quo retento nullum aliorum dimittitur: vel dicendum quod intelligitur de illis actibus, ad quos ex sua infidelitate impelluntur, ut est adorare Idola, & abstinere a cibis prohibitis a lege, quasi non sit eis licitum vesci.* S.Thom. ibid. ad 1. S.Thom. in 2.dist. 41. q. 1. art. 2. ad 1.

Et cum sibi istud objecisset, *Fides*, inquit, *intentionem dirigit, sed nullum bonum potest esse quod non est ex intentione recta; ergo in Infidelibus nulla potest esse actio bona*; hanc adhibet responsionem. *Ad 2. dicendum, quod fides dirigit intentionem respectu finis ultimi supernaturalis; sed lumen etiam naturalis rationis potest dirigere intentionem respectu alicujus boni connaturalis.* Et alibi, nimirum in Commentariis suis in Magistrum Sententiarum, eodem modo eandem solvit objectionem. *Dicendum*, ait, *quod fides dirigit intentionem in finem ultimum; sed ratio naturalis, vel prudentia potest dirigere in aliquem finem proximum; & quia ille finis proximus est ordinabilis in finem ultimum, (etsi actu non ordinetur) ideo in Infidelibus, quorum actus per vim rationis in talem finem diriguntur, possunt aliqui actus esse boni, sed deficientes a perfecta bonitate secundum quam actus est meritorius.* S.Thom. 2. 2. q. 10. art. 4. ad 2. S.Thom. in 2 dist. 41. q. 1. art. 2. ad 2.

Eandem itaque quæstionem expendit & in sua Summa, & in Commentariis suis in Magistrum Sententiarum, in quibus hanc sibi proponit quæstionem, *Utrum*, scilicet, *aliquis actus hominis infidelis possit esse bonus*, & ita respondet. *Quamvis ab Infidelium actibus*, inquit, *subtrahatur ista bonitas, secundum quam actus meritorius dicitur, remanet tamen bonitas alia, vel virtutis politicæ, vel ex circumstantiis, vel ex genere. Et ideo non oportet quod omnis eorum actus sit malus, sed solum quod sit deficientis bonitatis.* S.Thom. in 2. dist. 41. q. 1. art. 2. in Corp.

Et cum postea sibi adhuc objecisset, quod *cum actus Infidelium in ultimum finem non referantur, in quem fides dirigit, videtur quod omnis actus Infidelium sit malus*, ita respondet. *Dicendum quod non obligamur ad hoc quod quilibet actus actu dirigatur in finem illum, in quem non potest nisi fides dirigere; quia præcepta affirmativa non obligant ad semper, quamvis semper obligent; & ideo non oportet ut actus Infidelium, qui in finem illum non est ordinatus, semper sit peccatum, sed solum pro tempore illo in quo tenetur actum suum in finem ultimum dirigere.* S.Thom. ibid. ad 4.

Idem quoque docet in responsione ad 5. *Dicendum*, inquit, *quod Infideles non semper ex infidelitatis errore finem sibi præstituunt; sed aliquando ex vero & recto judicio rationis: & ideo non oportet quod in quolibet actu peccent, sed tunc solum quando ex errore sibi finem præstituunt.* Ibid. ad 5.

Et in Epistolam ad Romanos sic habet. *In homine infideli*, inquit, *cum infidelitate est bonum naturæ; & ideo cum aliquis Infidelis ex dictamine rationis aliquod bonum facit, non referendo ad malum finem non peccat.* S.Thom. in Epist. ad Rom. c. 14. lect. 3.

Hæc testimonia evidentissime demonstrant quæ sit mens Angelici Doctoris de operibus Infidelium. Ibi autem non solum conceptis verbis asserit omnia opera Infidelium non esse peccata, verum etiam anteoccupat ea quæ a Novatoribus opponuntur, eorumque cavillationes omnes, atque suffugia omnia in anteccessum detegit atque evertit. Dixerunt enim aliqui, omnia quidem Infidelium opera non esse peccata, sed in iis omnibus peccare Infideles, peccato saltem omissionis, scilicet ea ad Deum non referendo. D. autem Thomas utrumque asserit, & omnia Infidelium opera non esse peccata, & Infideles non peccare in omnibus operibus suis. *Cum dicitur*, inquit, S.Thom. in 2.dist. 41. q. 1 art. 2. ad 1.

quit, *omnis vita Infidelium peccatum est, non est intelligendum hoc modo quod omnis actus eorum peccatum sit*. Et alibi. *Non oportet*, inquit, *quod in omni opere suo peccent: non oportet quod in quolibet actu peccent.* Alii Novatores dicunt, Infideles non peccare in omnibus operibus suis ratione objecti & finis proximi, eum opera eorum possint habere objectum bonum, & finem proximum immunem a peccato, sed peccare ratione finis ultimi quem sibi præstituere omittunt in omnibus operibus suis. Verum Doctor Angelicus huic quoque objectioni in antecessum occurrit. Docet enim Infideles non peccare quando opera sua referunt ad finem proximum, si ille ordinabilis sit ad finem ultimum, quamvis ad illum actu non ordinetur. *Ratio naturalis vel prudentia*, inquit, *potest dirigere in aliquem finem proximum, & quia ille finis proximus est ordinabilis in finem ultimum (etsi actu non ordinetur) ideo in Infidelibus, quorum actus per vim rationis in talem finem diriguntur, possunt aliqui actus esse boni, sed deficientes a perfecta bonitate secundum quam actus est meritorius.*

S. Thom. 2-2. q. 10. art. 4.
S. Thom. in 2. dist. 41. q. 1. art. 2. ad 5.
S Thom. in 2. dist. 41. q. 1. art. 2. ad 2.

Nec desunt qui ausi sunt dicere S. Thomam, dum asserit omnia Infidelium opera non esse peccata, loqui de Infidelibus qui Deum cognoscunt, sed Christum ignorant. Sed ii quoque turpiter allucinantur; nam illi qui Deum norunt, quamvis Christum ignorent, non censentur Infideles. Deinde Doctor Angelicus loquitur conceptis verbis de Infidelibus qui adorant Idola, ac proinde de Infidelibus qui Deum non norunt.

Præterea, ad hoc ut aliquis actus sit immunis a peccato, Doctor Angelicus requirit solummodo quod Infideles illum non referant in finem infidelitatis. *Infidelis*, inquit in loco supra laudato, *potest aliquem actum bonum facere ex eo quod non refert ad finem infidelitatis*. Et alibi. *Cum aliquis Infidelis ex dictamine rationis aliquod bonum opus facit, non referendo ad malum finem non peccat.*

S Thom. 2.2.q. 10. art. 4.
S Thom. in Epist. ad Rom. c. 5. lect. 3.

Nonnulli, ut concilient hanc D. Thomæ de operibus Infidelium doctrinam cum præcepto Apostoli, contendunt illud præceptum pertinere ad solos fideles, quibus Christi fides sit annuntiata: sed hoc utriusque doctrinæ conciliationis genus videtur a mente S. Doctoris prorsus alienum; docet enim omnes homines, sive Fideles, sive Infideles, teneri omnia opera sua referre in Deum, illumque sibi constituere tamquam finem ultimum, ita ut quilibet homo, cum usum rationis habere inceperit, peccet mortaliter, si non ordinet se ipsum ad debitum finem, ut mox dicemus. Deinde nec vult S. Doctor, illo præcepto teneri Fideles in hoc sensu, quod omnia illorum opera, si non referantur, saltem virtute, in Deum, sint semper peccata, ut jam diximus; imo docet conceptis verbis, illud præceptum non obligare ad semper, ut patet ex testimoniis jam allatis. Non ergo præceptum hoc restringi debet ad solos Fideles, ne in Bajanismi notam incurratur.

S. Thom. 1. 2. q. 89. art. 6.

Iisdem principiis incumbens S. Doctor constanter asserit in Infidelibus reperiri veras virtutes, quæ quamvis sine charitate non sint simpliciter veræ, hoc est, ut ipsemet exponit, quamvis non sint meritoriæ æternæ beatitudinis, quia tamen nihil eis deest ad meritum quam ut charitate informentur, ideo veræ sunt virtutes, ac proinde immunes a peccato. Quærit enim *utrum sine charitate possit esse aliqua vera virtus*; & antequam huic quæstioni directe faciat satis, duplex distinguit bonum: *Unum quidem*, inquit, *ultimum & universale, & aliud proximum & particulare. Ultimum quidem & principale bonum hominis est Dei fruitio .... Et ad hoc ordinatur homo per charitatem. Bonum autem secundarium & quasi particulare hominis potest esse duplex: Unum quidem quod est vere bonum, utpote ordinabile, quantum est in se, ad principale bonum quod est ultimus finis. Aliud autem est bonum apparens & non verum, quia abducit a finali bono.* His autem distinctionibus suppositis, respondet, *quod virtus vera simpliciter est illa quæ ordinat ad principale bonum hominis.... Et sic*, ait, *nulla vera virtus potest esse sine charitate. Sed si accipiatur virtus secundum quod est in ordine ad aliquem finem particularem, sic potest aliqua virtus dici sine charitate, in quantum ordinatur ad aliquod particulare bonum. Sed si illud particulare bonum non sit verum bonum, sed apparens, virtus etiam quæ est in ordine ad hoc bonum non erit vera virtus, sed similitudo virtutis.... Si vero illud bonum particulare sit verum bonum, puta conservatio Civitatis, vel aliquid hujusmodi, erit quidem vera virtus, sed imperfecta, nisi referatur ad finale & perfectum bonum.*

S. Thom. 2. 2. q. 23. art. 7.

Vera ergo virtus potest esse, ex S. Thoma, quamvis non referatur ad finale & perfectum bonum, modo referatur ad bonum aliquod particulare, quod sit ordinabile ad finem ultimum: ideoque in responsione ad 1. duplicem distinguit actum in eo qui charitate caret, *Ad primum dicendum*, inquit, *quod actus alicujus charitate carentis potest esse duplex: unus quidem secundum hoc quod charitate caret, utpote cum facit aliquid in ordine ad id per quod charitate caret: & talis actus semper est malus, sicut Augustinus dicit in 4. contra Julianum, quod actus Infidelis, in quantum est Infidelis, semper est peccatum, etiamsi nudum operiat, vel quidquid aliud hujusmodi faciat ordinans ad finem suæ infidelitatis. Alius autem potest esse actus charitate carentis, non secundum quod charitate caret, sed secundum quod habet aliquod aliud donum Dei, vel fidem, vel spem, vel etiam naturæ bonum, quod non totum per peccatum tollitur, ut supra dictum est: & secundum hoc sine caritate potest quidem esse aliquis actus bonus ex suo genere, non tamen perfecte bonus, quia deest debita ordinatio ad ultimum finem.*

Ibid. ad 1.

Infideles ergo ex D. Thoma, semper quidem peccant, quando opera sua, etiam ex objecto bona, referunt ad finem suæ infidelitatis: non peccant autem in iis quæ non referunt ad finem suæ infidelitatis; quin imo veras virtutes exercent, si ea quæ faciunt sint ordinabilia ad finem ultimum, quamvis tamen virtutes illæ dici non possint perfectæ, aut simpliciter veræ.

Idem quoque alibi docet, hanc quæstionem exponendo; *Utrum*, scilicet, *virtutes morales possint esse sine charitate*. Cui quæstioni ita respondet. *Dicendum*, inquit, *quod virtutes morales, prout sunt operativæ boni in ordine ad finem, qui non excedit facultatem naturalem hominis, possunt per opera humana acquiri; & sic acquisitæ, sine charitate esse possunt, sicut fuerunt in multis gentibus. Secundum autem quod sunt operativæ boni in ordine ad ultimum finem supernaturalem, sic perfecte & vere habent rationem virtutis, & non possunt humanis actibus acquiri, sed infunduntur a Deo: & hujusmodi virtutes morales sine charitate esse non possunt.*

D. Thom. 1. 2. q. 65. art. 2.

Ecce eadem ubique doctrina Angelici doctoris. In gentibus esse possunt, & revera fuerunt virtutes morales, prout sunt operativæ boni in ordine ad finem, qui non excedit facultatem naturalem hominis, quas potuerunt acquirere per opera humana; & licet sic acquisitæ sine charitate esse possint, sunt tamen virtutes morales, quamvis non fuerint in illis secundum quod sunt operativæ boni in ordine ad ultimum finem supernaturalem. Non ergo omnia illorum opera sunt peccata: non ergo peccant homines in omnibus actionibus quas non referunt actu, vel virtute, in Deum: ergo omnia opera quæ non referuntur actu, vel virtute, in Deum, non sunt peccata. Censet tamen D. Thomas peccare eos qui certis quibusdam temporibus omittunt actiones suas referre in Deum, eamque relationem renovare: & hæc est altera Doctrinæ D. Thomæ pars, quam probandam suscepimus.

Priorem proposuimus contra Bajanistas tamquam certissimam. Istam autem posteriorem, quamvis proponamus etiam tamquam indubitatam, nihilominus ad hanc enucleate exponendam necesse fuit quasdam adjicere Theologorum opiniones, quæ licet ab aliis non omnino admittantur, videntur, tamen nobis probabiliores, principiis D. Thomæ congruentiores, atque ad refellenda ea quæ nobis a Novatoribus opponuntur magis idoneæ.

§. II.

Omnes actiones nostras in gloriam Dei tenemur referre, saltem virtute, in eo sensu, quod omissio illius relationis certis temporibus faciendæ & renovandæ, sit peccatum.

COnstans est D. Thomæ Doctrina, homines teneri omnes actus suos in Dei gloriam, vel, actu, vel virtute, referre. Quod eos semper referant actu, jam vidimus, juxta mentem D. Thomæ, hoc non esse in hac vita possibile: quod autem talis nobis incumbat obligatio, omnia scilicet opera nostra ad Deum referendi, saltem virtute, ita ut omissio illius relationis certis temporibus faciendæ aut renovandæ sit peccatum, hoc expresse asserit S. Doctor loco superius citato, *sed quod omnia*, inquit, *virtute referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis, ad quam omnes tenentur*. Ad hanc autem relationem virtualem requirere videtur S. Doctor, quod præcesserit aliquis actus, quo in Deum retulerimus actiones nostras: vult enim quod illa intentio principalis finis virtute maneat in omnibus finibus secundariis; manere autem non posset, si non præcessisset: sic enim habet in loco jam alibi laudato. *Intentio principalis finis virtute manet in omnibus finibus secundariis. Unde quicumque actu intendit aliqualem finem secundarium, virtute intendit finem principalem: sicut Medicus, dum colligit herbas, actu intendit facere potionem, nihil fortassis de sanitate cogitans, virtualiter tamen intendit*

S. Thom. q. de Char. art. 11. ad 2.

dit sanitatem propter quam potionem dat. Sic igitur cum aliquis se ordinat in Deum sicut in finem, in omnibus quæ propter se ipsum facit, manet virtute ultimus finis, qui Deus est.... Hoc igitur modo Apostolus præcipit quod omnia in gloriam Dei referantur. Requirit ergo S. Doctor, ad hoc ut quis referat virtute actiones suas in gloriam Dei, quod prius ordinaverit seipsum in Deum sicut in finem, ita ut illa intentio postea maneat virtute in cæteris operibus suis: non ergo satis esse existimat ad hoc ut aliquod opus censeatur referri virtute in Deum, quod sit ordinabile in illum, nisi præcesserit actus ille, quo quis se prius ordinavit in Deum, sicut in finem.

S. Th. in 1. Cor. c. 10. lect. 7.

Objicitur tamen a quibusdam Theologis ille locus S. Doctoris, ubi respondendo iis, qui ex præcepto Apostoli, *Omnia in gloriam Dei facite*, colligi contendebant, nullum actum esse indifferentem, asserit quod relatio hæc in gloriam Dei intelligitur, vel in actu, vel in aptitudine referendi, quæ non est solum, ait, in bonis, sed etiam in indifferentibus.

S. Th. 1. 2. q. 18. art. 8. & 9.

Sed ad assequendam Doctoris Angelici mentem, supponendum est illum nullos admittere actus indifferentes in individuo; admittere vero actus indifferentes in specie: unde evidenter patet quod loquatur hic de actibus indifferentibus in specie. Asserit autem dari actus indifferentes in specie, id est, qui ex objecto, neque sint boni, nec mali: sicut levare festucam de terra, ambulare, manus abluere &c. nullos autem esse indifferentes in individuo, quia omnis actus qui fit ex deliberatione, & qui propterea vocari solet humanus, (nam de iis qui fiunt sine ulla deliberatione hic non agitur) vel ordinatur ad debitum finem, rationi videlicet consentaneum, vel non ordinatur. Si ordinetur & alium non habeat defectum, congruit cum ordine rationis, & est bonus: si non ordinatur ad finem rationi consentaneum, hoc ipso repugnat rationi, & est malus. Vult ergo solummodo D. Thomas quod ex illo loco Apostoli, *Omnia in gloriam Dei facite*, non possit recte colligi nullos esse actus indifferentes in specie, quoniam hoc præceptum non impedit quominus quidam actus possint esse tales, utpote qui non referantur actu, & tamen sunt referibiles in gloriam Dei. Hæc autem aptitudo referendi, quæ sufficit, juxta S. Thomam, ut actus aliquis sit indifferens in specie, non sufficit ad implendum præceptum Apostoli, de referendis, saltem virtute, omnibus operibus nostris in gloriam Dei: longe ergo diversa est relatio virtualis, ab aptitudine referendi. Illa requiritur & sufficit ad præceptum adimplendum omnia referendi in Deum: ista non sufficit, sed quando adest, constituit actum indifferentem in specie. Itaque hæc duo loca S. Thomæ non sunt sibi invicem contraria, imo perfecte concordant inter se, nimirum quod teneamur omnes actiones nostras referre, saltem virtute, in Deum, & quod aptitudo referendi, quæ ad hoc præceptum implendum non sufficit, sufficiat tamen ad constituendum actum indifferentem in specie.

Opponunt alii quædam D. Thomæ loca, ubi asserere videtur relationem habitualem sufficere ad hoc ut quis non agat contra præceptum Apostoli. *Sufficit ergo*, inquit, *quod aliquis habitualiter referat se & omnia sua in Deum, ad hoc quod non semper mortaliter peccet, cum aliquem actum non refert in gloriam Dei actualiter.* Similia habet q. 7. de malo, & in c. 3. Epist. ad Coloss.

S. Th. 1. 2. q. 88. art. 1. ad 2.

Sed in iis locis nihil aliud vult Doctor Angelicus, quam eum qui peccat venialiter, non peccare mortaliter, quamdiu manet habitualiter conversus ad Deum, seque & omnia sua habitualiter refert in illum, seu, quod idem est, quamdiu retinet charitatem habitualem & gratiam sanctificantem. Longe abest igitur ut S. Doctor ibi doceat hanc relationem habitualem sufficere, & virtualem non requiri, ut quis impleat præceptum referendi omnes actiones suas in Deum; quod clarius adhuc patebit, si loca integra S. Thomæ hic referamus.

S. Th. 1. 2. q. 88. art. 1.

In loco modo laudato Doctor Angelicus quærit, *Utrum veniale peccatum convenienter dividatur contra mortale*; & respondet affirmative. Deinde istud sibi opponit argumentum. *Apostolus dicit*, 1. Cor. 10. sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite: *sed contra hoc præceptum facit quicumque peccat; non enim peccatum fit propter gloriam Dei. Cum ergo facere contra præceptum sit peccatum mortale, videtur quod quicumque peccat, mortaliter peccet.*

Observandum obiter hic quod juxta S. Doctorem; peccatum mortale dicitur esse contra præceptum: peccatum autem veniale esse præter, non tamen contra præceptum: quæ tamen explicatio ab omnibus Theologis non admittitur. Sed quidquid sit de hac peccatum veniale inter & mortale distinctione, sic solvit objectionem. *Ad 2. dicendum quod illud præceptum Apostoli est affirmativum; unde non obligat ad semper, & sic non facit contra hoc præceptum quicumque non actu refert in gloriam Dei omne quod facit. Sufficit ergo quod aliquis habitualiter referat se & omnia sua in Deum ad hoc quod non semper mortaliter peccet, cum aliquem actum non refert in gloriam Dei actualiter. Veniale autem peccatum non excludit habitualem ordinationem actus humani in gloriam Dei, sed solum actualem, quia non excludit charitatem quæ habitualiter ordinat in Deum. Unde non sequitur quod ille qui peccat venialiter, peccet mortaliter.*

Eo itaque recidit hæc D. Thomæ doctrina, quod qui peccat venialiter non peccat mortaliter, quia cum peccato veniali consistit relatio habitualis in Deum, non autem cum peccato mortali. Si quis autem ex eo velit inferre quod hæc relatio habitualis sufficiat ad hoc ut impleatur præceptum referendi actiones nostras in Deum, profecto ad mentem D. Thomæ se parum apposite argumentari demonstrabit.

Nihil ulterius dicit Angelicus Doctor in duobus aliis locis quæ etiam objiciuntur. Eandem enim in utroque loco proponit objectionem, & eam eodem modo solvit. Ad 9. *Dicendum*, inquit, q. 7. de malo, *quod cum illud præceptum Apostoli sit affirmativum, non obligat ad hoc quod semper observetur in actu: observatur autem semper in habitu quamdiu homo habitualiter habet Deum sicut ultimum finem; quod non excluditur per peccatum veniale.*

S. Th. q. 7. de malo art. 1. ad 9.

Et in Commentariis Epistolæ Pauli ad Colossenses; *Dicendum est quod non est necessarium quod omnia in Deum referantur actu, sed habitu. Qui enim facit contra gloriam Dei, & præcepta eius facit contra hoc præceptum. Venialiter autem peccans non facit contra hoc præceptum simpliciter, quia licet non actualiter, tamen habitualiter omnia refert in Deum.*

S. Th. in Epist. ad Colos. c. 3. lect. 3.

Ubique sibi constat S. Doctor. Relatio habitualis actionum nostrarum in Deum sufficit ad hoc ut excludatur peccatum mortale: sed quia cum hac relatione habituali consistere potest peccatum veniale, nullatenus dici potest quod talis relatio sufficiat ad implendum præceptum referendi actiones nostras in gloriam Dei.

Instant tamen iidem Theologi, & proferunt alium D. Thomæ locum, quem jam supra protulimus, cum de Infidelium operibus ageretur, in quo asserit quod ad hoc ut aliquis actus sit immunis a peccato, satis est eum esse ordinabilem in Deum. *Ratio naturalis*, inquit, *vel prudentia potest dirigere in aliquem finem proximum, & quia ille finis proximus est ordinabilis in finem ultimum, (etsi actu non ordinetur) ideo in Infidelibus, quorum actus per vim rationis in talem finem diriguntur, possunt aliqui actus esse boni.*

S. Th. in 2. dist. 41. q. 1. art. 2. ad 2.

Sed hic locus probat quidem contra Bajanistas illud idem quod jam probavimus, nempe omnes & singulas actiones quæ non referuntur in Deum, saltem virtute, non esse peccata, etsi ad illum non ordinentur actu, modo sint in illum ordinabiles; sed ex hoc loco nullatenus colligi potest relationem habitualem sufficere ad hoc ut satisfiat præcepto referendi actiones nostras in Deum; imo S. Doctor expresse docet non sufficere. Cum enim hanc sibi proposuisset objectionem. *Præcepta legis sunt de actibus virtutum: habitus autem non cadit sub præcepto: non ergo præceptum Apostoli intelligitur de habituali relatione nostrorum actuum in Deum, sed de actuali:* ita respondet. *Ad 2. dicendum quod aliud est habitualiter referri in Deum, & aliud virtualiter. Habitualiter enim refert in Deum etiam qui nihil agit, nec aliquid intendit, ut dormiens. Sed aliquid virtualiter referri in Deum est agentis propter finem ordinatum in Deum. Unde habitualiter referri in Deum non cadit sub præcepto charitatis, cum hoc nihil aliud sit quam habere Deum ultimum finem.*

S. Th. de charit. art. 1. ad 3.

Unde ulterius colligi potest, primo, quod quilibet homo, cum usum rationis habere inceperit, peccet mortaliter, si non ordinet se ad debitum finem. *Cum vero*, inquit, *usum rationis habere inceperit..... si non ordinet se ipsum ad debitum finem, secundum quod in illa ætate est capax discretionis, peccabit mortaliter non faciens quod in se est.* Debet itaque elicere actum amoris Dei supra omnia propter se, & ad illum se, suaque omnia ac totum vitæ cursum referre. Quod tamen intelligi debet moraliter de illo qui rationis usum jam adeptus est, & habet sufficientem Dei notitiam, quam tunc quisque sibi comparare tenetur, *secundum quod*, inquit S. Thomas, *in illa ætate est capax discretionis.*

S. Th. 1. 2. q. 89. art. 6.

2. Tenentur omnes homines, etiam Infideles, hunc actum toties renovare, quoties adest necessitas illum repetendi ad hoc ut censeatur moraliter perdurare.

3. Quamvis peccent omnes Infideles peccato omis-

omissionis, quod in iis habitualiter perdurat donec verum Deum agnoscant, eique se subjiciant, attamen peccatum illud habituale omissionis non vitiat omnes illorum actus, qui si sint in Deum referibiles, licet in illum non referantur, immunes sunt a peccato, juxta S. Thomam, cujus testimonium jam protulimus.

S. Th. in 2. dist. 41. q. 1. art. 2. ad 2.

4. In iis qui Fideles sunt amor ille, ad quem tenentur omnes, est amor charitatis, amor supernaturalis. *Sub præcepto charitatis*, inquit S. Doctor in loco jam supra laudato, *continetur ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum; & ideo præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum.*

S. Th. I. 2. q. 100. art. 10. ad 2.

5. Præceptum illud, cum sit affirmativum, non obligat ad semper; ideoque non peccant Fideles contra hoc præceptum referendi in Deum actiones suas, si illæ sint ad ipsum referibiles, licet actu non referantur, modo præceptum illud referendi tunc temporis non instet; atque ideo omnes actiones, quibus deest ista relatio etiam virtualis, non sunt nova, nequidem omissionis, peccata; eodem enim modo ratiocinandum est de Fidelibus, sicut de Infidelibus, quorum actus etsi non referantur ad Deum, si tamen ad illum sint referibiles, a peccato sunt immunes; cum omnes sive Fideles, sive Infideles teneantur eodem præcepto referendi opera sua in Deum.

S. Th. ibid.

6. Ut satisfiat præcepto referendi omnes actiones nostras in gloriam Dei, necessaria est quidem relatio virtualis, ad hoc tamen ut sint immunes a peccato, sufficit quod sint referibiles in Deum, nullaque prava vitientur circumstantia; atque ideo immunes sunt a peccato omnes illæ quæ fiunt ex motivo fidei, spei, timoris, vel etiam ex motivo solius honestatis moralis, licet nec actu, nec virtute referantur in gloriam Dei.

Quamvis hæc omnia puncta non pertineant ad fidem & quædam ex illis solum protulerimus tanquam probabiliora, alia tamen sunt quibus absque gravi censura contradici non potest. Erroneum enim est asserere omnes actiones nostras, quæ non fiunt ex motivo charitatis, fieri ex motivo cupiditatis & esse peccata. Erroneum est asserere homines teneri ad referendum omnes & singulas actiones suas ad Deum ex motivo charitatis, ac consequenter omnia Infidelium opera esse peccata. Erroneum est asserere actus fidei, timoris, & spei, imo actus moraliter bonos esse peccata, nisi fiant ex motivo charitatis.

Quandonam autem, & quoties teneamur, vi hujus præcepti, elicere actus charitatis quibus omnia referamus in Deum, non definit Doctor Angelicus. *Si quæratur*, inquit, *quando oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud est quam quærere quando oportet habitum charitatis exire in actum, quia quandocumque habitus charitatis in actum exit fit ordinatio totius hominis in finem ultimum, & per consequens omnium eorum quæ in ipsum ordinantur ut bona sibi.* Asserit quidem quod teneamur aliquando actu referre, sed ultra non progreditur. *Dicendum*, inquit agens de merito actionum nostrarum, *quod non sufficit omnino habitualis ordinatio actus in Deum, quia ex hoc quod est in habitu nullus meretur, sed ex hoc quod actu operatur. Nec tamen oportet quod intentio actualis ordinans in finem ultimum sit semper conjuncta cuilibet actioni quæ dirigitur in aliquem finem proximum, sed sufficit quod aliquando actualiter omnes illi fines in finem ultimum referantur, sicut fit quando aliquis cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere: tunc enim quidquid ad se ipsum ordinat in Deum ordinatum est.*

S. Th. in 2. dist. 40. art. 5. ad 6.

Omissio illius relationis actualis certis temporibus faciendæ atque renovandæ est, juxta D. Thomam, aliquando mortale, & aliquando veniale peccatum. *Dicendum*, inquit, *quod hoc quod dicitur, omnia in gloriam Dei facite, potest intelligi dupliciter, vel affirmative, vel negative. Si negative, sic est sensus: Nihil contra Deum faciatis; & hoc modo præceptum est; & sic præceptum hoc præteritur, vel per peccatum mortale quod contra Deum fit, vel per peccatum veniale quod præter præceptum & præter Deum fit. Si autem intelligatur affirmative, hoc potest esse dupliciter: aut ita quod actualis relatio in Deum sit conjuncta actioni nostræ cuilibet, non quidem in actu, sed in virtute, secundum quod virtus primæ ordinationis manet in omnibus actionibus sequentibus, sicut & virtus finis ultimi manet in omnibus finibus ad ipsum ordinatis; & sic adhuc præceptum est, & contingit omissionem ejus esse venialem, vel mortalem, sicut dictum est: vel ita quod ordinatio actualis in Deum sit actu conjuncta cuilibet actioni nostræ: & potest intelligi dupliciter, vel distributive, vel collective. Si distributive, sic est sensus: quamcumque actionem facitis, melius est si eam actu in Deum ordinetis; & sic est consilium: si autem sumatur collective, sic est sensus; omnia opera ita faciatis, quod nullum eorum sit, quin actu in Deum ordinetis: & hoc nec præceptum, nec consilium est.*

S. Th. in 2. dist. 40. art. 5. ad 7.

Etsi S. Doctor non definiat quando teneamur actiones nostras actu referre in Deum, ex locis tamen allatis colligunt nonnulli Theologi hanc intentionem ita frequenter iterari debere, ut censeatur moraliter perdurare, atque ita in omnes & singulas actiones nostras virtualiter influere.

Quamvis autem hi Theologi a Bajanistis minus quam alii recedere videantur, ab iis tamen omnino dissentiunt, cum simul doceant omnia opera ex alio quam charitatis motivo facta non esse peccata: Et quidem obligatio referendi omnes actiones ad Deum charitate amatum non cadit super omnibus & singulis actionibus nostris, sed afficit tantummodo ea temporis momenta, quibus instat præceptum sic referendi; unde manifestum est ea opera, in quibus sola deest ulterior ordinatio in Deum charitate amatum, non esse peccata, si tunc non instet præceptum eliciendi actum charitatis.

Itaque non peccant ii qui operantur ex motivo fidei, spei, timoris, & aliarum virtutum, sive supernaturalium, sive etiam moralium, etsi illud motivum non ulterius referatur ad Deum charitate amatum. Peccant tamen quotiescumque, urgente præcepto renovandi actum charitatis, illum renovare omittunt; sed peccatum illud omissionis non vitiat alias actiones eorum qui actum charitatis omiserunt renovare, licet ratione illius omissionis nequidem virtualiter referantur ad Deum charitate amatum.

Ad hanc autem relationem virtualem non requiritur actus dilectionis Dei qui sit expressus ac reflexus: verum satis est quod, dum quis animum colligit atque ad proprium cor redit, advertat aut advertere possit hanc dilectionem esse motivum actionum suarum. Exemplum afferunt illi Theologi cujusdam Matris familias, quæ ardenter diligens unicum filium morbo aliquo periculoso laborantem omni cogitatione curaque noctu & interdiu incumbit, ut eum sublevet atque ad salutem perducat. Profecto hæc mater continuo agit ex motivo dilectionis qua filium suum prosequitur, licet illi conceptis verbis non dicat, *diligo te*, nec etiam hæc aut similia interius recogitet aut proferat. Eodem modo ratiocinari possumus de homine Deum super omnia ardenter diligente, qui licet hæc verba non proferat, *Domine diligo te super omnia*, operatur tamen ex motivo charitatis, dum in omnibus operibus suis illi placere studet.

Operari quoque censetur ex motivo charitatis ille, qui v. g. tentatione quadam pulsatus, sibi ipsi diffidens, & Deo displicere timens, attendit ad æterna supplicia quæ peccatoribus minitatur Deus, atque ad sempiternæ beatitudinis mercedem quam justis promittit, ut iis rationibus atque motivis inimici insidias evadat. In hoc etenim casu amor Dei est ulterius motivum, quod eum ad superandam tentationem impellit.

S. Th. q. de charit. art. 11. ad 2.

Huic Theologorum sententiæ favere videtur comparatio quam adhibet S. Thomas cujusdam medici, qui dum colligit herbas actu intendens efficere potionem, nihil fortassis de sanitate cogitans, habet tamen sanandi ægroti intentionem moraliter perseverantem.

Quandonam autem relatio actualis ad Deum charitate amatum censeatur moraliter perdurare, sunt qui existimant, quod ea moraliter perduret donec retractetur, aut contrario actu, aut peccato letali. Verum hæc responsio accuratiori indiget expositione: nam retractari potest prior illa intentio, vel explicite, vel implicite. Retractatur enim explicite, aut per actum expressum ipsi formaliter oppositum, aut per peccatum mortale; implicite autem retractatur, quando operans prioris illius intentionis nullam habet memoriam, illiusque nullum in ipsius mente extat vestigium. Cum autem relatio actualis in Deum charitate amatum dicitur retractari peccato mortali, inde tamen non sequitur quod peccato veniali nullatenus retractetur. Agnosci enim & admitti debet relatio aliqua totalis quæ omnes & singulos actus nostros, quicumque illi sint vel esse possint, complectitur, ita ut nihil omnino in nobis sit quod in Dei gloriam non referatur. Relatio tamen illa totalis aliquatenus restringitur, & partim retractatur per peccatum veniale: sed non penitus destruitur, nec totaliter revocatur, nisi per actum contrarium, aut per gravem & mortalem Dei offensam; atque ideo S. Thomas in loco jam alibi laudato docet præceptum referendi actiones nostras in gloriam Dei præteriri vel per peccatum mortale, vel per peccatum veniale.

S. Th. in 2. dist. 40. art. 5. ad 7.

Notandum est autem quod si nihil esset, vel in nobis, vel extra nos, quod ab hoc charitatis amore nos aver-

averteret, illius actus non ita frequenter repeti deberent, ut relatio actualis operum noſtrorum in gloriam Dei moraliter in nobis perſeveraret; ſicut ille qui longum aggreditur iter, vi prioris illius intentionis, qua viam cepit, moraliter perſeverantis, ſingulis diebus ire pergit, abſque eo quod illam intentionem renovet. Verum in moralibus res aliter ſe habet: nam concupiſcentia propria, diabolus, atque mundus ſine ulla fere interruptione nos retrahunt ab iis operibus quæ Deo placent, vel etiam humana quædam atque peccaminoſa nobis ſuggerunt motiva, quibus vitiatur etiam in bonis operibus intentio noſtra. Quapropter ut hæc varia & prope innumera tela detorqueamus, frequenter iterari debent, tum actus charitatis, tum actus cæterarum virtutum.

Quoties autem & quando renovare debeamus hos charitatis actus, ſub pœna ſive mortalis, ſive venialis peccati, vix præfiniri poteſt: cum autem movetur hujuſmodi quæſtio, idem videtur eſſe ac ſi quæreremus quanta requiratur ligni copia ad alendum ignem ut jugiter ardeat. *Senſus enim*, ait Dominus, *& cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua*. Geneſ. 8. 21.

Ex his patet quam enormiter aberraverint illi, qui ſequentes propoſitiones ab Innocentio Papa XI. damnatas auſi ſunt in medium adducere. Decret. 2. Martii. 1679.

An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret condemnare non audemus. Propoſ. 5.

Probabile eſt ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum. Propoſ. 6.

Tunc ſolum obligat quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam qua juſtificari poſſimus. Propoſ. 7.

PARS ALTERA.

FRATRES BELLELLI ET BERTI

BAJANISMI CONVINCUNTUR.

IN quo consistat Bajanum systema a S. Pontificibus pluries damnatum hactenus exposuimus: nunc idem systema in Scriptis P. F. Bellelli & P. F. Berti redivivum demonstrandum suscipimus. Et quidem reviviscit, & nimium reviviscit pestifera Baji doctrina in F. Bellelli Opusculo Lucernæ Typis edito 1711. sub hoc titulo, *Mens Augustini de statu Creaturæ rationabilis ante peccatum*. Reviviscit & in altero ejusdem Auctoris grandiori Libro Romæ evulgato 1737. qui sic inscribitur, *Mens Augustini de modo reparationis humanæ naturæ post lapsum*, duo volumina complectente. Reviviscit etiam in Libro F. Berti, quem in quatuor volumina divisit, & cui Titulus est, *de Theologicis Disciplinis*. Licet vero id exploratum satis quisque habere possit ex sola horum Librorum lectione, nonnulla tamen horum Auctorum hic congeremus testimonia, ex quibus liquido patebit quam perfecte cohæreat cum Baji ipsiusque Discipulorum erroribus Fratrum Bellelli & Berti exitialis doctrina.

Itaque incumbit tunc nobis in hac altera hujus nostri operis parte demonstrandum Fratres Bellelli & Berti præcipuos Baji errores in Scriptis suis docuisse, ac proinde Bajanismum in ipsis revivíscere: quod pluribus distinctis Articulis demonstrare conabimur.

ARTICULUS I.

Fratres Bellelli & Berti errorem in Propositione 38. Baji contentum renovasse ac docuisse convincuntur.

IN prima hujus operis parte diximus præcipuum Bajani systematis fundamentum contineri in Propositione Baji 38. quæ sic habet: *Omnis amor Creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.*

I.

Bellelli de statu creat. ration. post pec. catum l. 1. c. 28.

Nullus profecto, ait F. Bellelli agens de dispositionibus in Sacramento Pœnitentiæ requisitis, *deliberatus & supernaturalis animi motus irrequietus & sine fine esse potest; ergo aut in Creatore, aut in creatura ultimum sibi finem præstituit. Quod si in Creatore, est charitas: si in creatura, est cupiditas.*

Ibid. lib. 3. c. 1.

Et cap. 1. libri tertii statuere volens impossibilitatem status puræ naturæ, sic ait: *Creatura rationalis, quæcumque conderetur, sine ullo amore esse non potest. Ejusmodi autem amor finem habeat necesse est. Ergo erit aut fruitio Dei, aut creaturæ; nec medium inter ista duo cogitabile est, ut liquido, constitit. At vero utrumlibet cogitetur pura natura repugnat, quoniam si creatura fruatur, perversa est & mala, adeoque nec pura: sin vero fruatur Deo, nec pura erit; quoniam Deus sine gratiæ adjutorio diligi omnino non potest.*

II.

Nullum itaque Theologus iste agnoscit cum Bajo medium inter Deum charitate amatum, & Creaturam cupiditate dilectam, ac proinde neque ullum admittit medium inter actiones quæ fiunt ex motivo charitatis, & illas quæ fiunt ex motivo cupiditatis: sed hunc errorem, quem Frater Bellelli defendendum suscepit, jam in propositione 38. Baji damnatum vidimus. Verum quidem est & indubitatum inter Creatorem & Creaturam nullum esse medium, & consequenter finem, quem in actionibus nostris nobis proponimus, esse vel Deum, vel Creaturam. Certum quoque est teneri omnes Deum sibi ut finem ultimum constituere, illique se & omnia sua devovere; sed quia, ut jam diximus, præceptum illud non obligat pro semper, hanc oblationem & relationem in Dei gloriam non tenemur semper in singulis actionibus nostris iterare atque renovare; & ideo non peccant qui habent aliquando pro fine secundario creaturam, modo cæteroquin hæc eorum actio sit ad Deum referibilis, & nulla prava vitietur circumstantia.

Præterea fides & spes habent actus proprios, qui immunes sunt a peccato, licet non fiant ex motivo charitatis, neque ulterius ad charitatem referantur; atque etiam homo, saltem in statu naturæ puræ, potuisset diligere Deum, ut Auctorem naturæ, amore naturali, ut alibi dictum est; ergo ex his capitibus datur adhuc aliquod medium inter Deum charitate amatum, & creaturam cupiditate dilectam.

III.

Error itaque Fratris Bellelli non in eo situs est quod velit nullum reperiri medium inter amorem Dei, & amorem creaturæ, sed in eo quod contendat, nullas creaturas, etiam illas quas Lex naturalis dictat esse diligendas, posse absque peccato diligi, nisi hæc dilectio actu, vel virtute referatur in Dei gloriam; imo errat etiam in eo quod contendat actus fidei & spei, aliosque qui Deum habent pro objecto, peccaminosos esse, nisi ulterius referantur in Deum charitate amatum.

IV.

Sed ne quis suspicetur quod nomine charitatis intelligat charitatem improprie dictam, scilicet vel amorem concupiscentiæ qui convenit spei, vel piam illam affectionem quæ fidem semper comitatur, vel amorem Dei naturalem, propriis viribus comparatum, totus est in septem primis capitibus Libri tertii, ut probet charitatem, inter quam & perversam cupiditatem nullum agnoscit medium, illam esse qua Deus diligitur propter se, quæque omnes superat naturæ vires. Postquam enim cap. 1. amplexus est doctrinam in propos. 38. Baji damnatam, nimirum omnem amorem creaturæ rationalis esse aut charitatem bonam, aut cupiditatem malam, asserit c. 2. Deum, ut Auctorem naturæ sine dono gratiæ diligi non posse. Et post allata c. 3. 4. & 5. duo argumenta, seu potius sophismata, tertium conficit argumentum ex his duabus propositionibus, una scilicet Deum perverse amari si non diligatur propter se: altera autem, Deum non posse omnino amari propter se sine veræ gratiæ adjutorio.

Ibid. c. 17.

Et cap. 17. postquam denuo asseruit, *non posse creaturam rationalem Deum ullo pacto diligere sine supernaturali gratiæ Dei adjutorio, quo semel destituta, omni etiam destitueretur charitate, hanc infert ipse consequentiam; ergo dominanti cupiditati serviret.*

Ex his manifeste patet hunc Theologum, dum nullum agnoscit medium inter actiones quæ fiunt ex motivo charitatis, & illas quæ fiunt ex motivo cupiditatis, nomine charitatis intelligere amorem Dei supernaturalem, amorem quo diligitur Deus *gratis* propter se ipsum, sicut & intellexere Bajus, Jansenius & Sectatores eorum; ac proinde etiam manifeste patet horum Novatorum doctrinam a Fratre Bellelli expressis verbis fuisse renovatam.

V.

Non tamen satis fuit ipsi hunc errorem tot Anathematibus confixum in medium denuo adducere, sed ut definitiones Summorum Pontificum eludere tentet non solum eadem adhibet effugia, quæ illi præbuerunt Jansenius ejusque Sequaces, verum etiam nova ipse confingit, quæ erroneam & dolosam ejus mentem magis ac magis aperiunt.

Ibid. c. 28.

Primum itaque contendit propositionem 38. non fuisse in se absolute damnatam, sed solummodo relative ad propos. 31. & 32. quasi vero damnatæ non sint in se omnes & singulæ Bajanæ propositiones. *Hæc scilicet propositio damnata est*, inquit, *correlative ad alias ejusdem Auctoris sententias; dum enim scribit, laudabilis illa charitas, illam significat, quæ ex propos. 31. & 32. est perfecta & sincera, &*

est

est Legis plenitudo, atque de corde puro & conscientia bona, & non ficta. Porro falsum est, addit idem Theologus, *præter istam charitatem quæ hominem justum reddit, non dari nisi illicitam cupiditatem. Datur nimirum & alia charitas, utique vera, sed minor, qua cor hominis interdum ardere incipit, ut pedetentim ad justitiam perducatur.*

Hæc est autem Baji propositio 31. *Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quam Pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.* Propositio autem 32. sic habet, *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.*

VI.

Hujus effugii fallaciam jam alibi demonstravimus, tum quia Bajus in propositione 38. loquitur de charitate generatim sumpta, sive perfecta sit, sive imperfecta, non autem de sola charitate perfecta: tum quia nec Bajus, nec Jansenius illius discipulus, quorum errores proscripsere Summi Pontifices in sensu ab assertoribus intento, unquam asseruere nullum dari medium inter charitatem perfectam & cupiditatem: agnovit enim uterque, ut ibi annotavimus, charitatem quamdam imperfectam distinctam a charitate perfecta, quæ hominem justum reddit, & conjuncta est semper cum remissione peccatorum.

Vide supra part. 1. art. 3. §. 3. & præsertim n. 11.

VII.

Addere tamen liceat quod genuinus sensus propositionis 38. erui non possit ex propositionibus 31. & 32. istæ enim duæ propositiones nullam habent cum propositione 38. connexionem, imo continent sensus valde diversos. Propositio 38. ait de charitate generatim sumpta, nullum inter illam & cupiditatem dari medium: Propositiones autem 31. & 32. loquuntur de charitate perfecta, quam asserunt non esse semper conjunctam cum remissione peccatorum. Nihil ergo fingi potest absurdius, quam eruere velle, uti insipienter tentat F. Bellelli, sensum propositionis 38. ex propositionibus 31. & 32. præsertim si attendatur quod Bajus ipse in Apologia sua ex una parte confiteatur propositionem 38. extractam esse ex Opusculo suo de charitate, atque ita se esse illius Auctorem, & ex altera perneget propositiones 31. & 32. esse suas, asseratque firmiter eas in Opusculis suis non haberi: Nemini sane ante Fratrem Bellelli venerat in mentem quærere quis fuerit alicujus propositionis sensus ab Auctore intentus in aliis propositionibus quas idem Auctor diffitetur esse suas.

VIII.

Hac occasione quæri merito potest quis sit sensus damnatus in ptopositionibus 31. & 32. Respondetur quod cum nomine charitatis illius quæ est plenitudo legis, quæ est perfecta, quæ est ex corde puro, ex conscientia bona, & fide non ficta, intelligatur illa dilectio, qua Deus super omnia & propter se diligitur; de hac charitate definit Summus Pontifex quod semper conjuncta sit cum remissione peccatorum. Bajus autem, quamvis in Opusculis suis has notas atque supradictas proprietates non expresse tribuat illi charitati quam asserit reperiri posse sine peccatorum remissione, hanc tamen variis titulis exornat, qui nulli alteri charitatis speciei competere possunt, quam soli charitati perfectæ, qua Deus super omnia & propter se diligitur; ait enim de charitate illa quæ præcedere potest remissionem peccatorum, quod sit animi motus a quo boni esse dicimur: quod sit plenitudo Legis: quod illi quibus concessa est surrexerunt a mortuis & vivunt &c. Si in Catechumenis & Pœnitentibus ante remissionem peccatorum initium aliquod charitatis solummodo agnovisset, nec ulterius fuisset progressus, nihil asseruisset reprehensione dignum; sed cum in iis, antequam remittantur peccata, agnoscat charitatem antedictis præditam dotibus, & quæ etiam justificat ante remissionem peccatorum, ut id ipse asserere non erubuit in propositionibus 42. & 43. hoc sane novitatis genus censura atque Anathemate dignum Summis visum fuit Pontificibus.

Bajus Opus. de Char. c. 7.

IX.

Sensit tamen F. Bellelli miras quas adhibuit artes, ut propositionem 38. Baji ad alienum sensum detorqueret, irritas fore ac prorsus inanes, ad eludendam eodem modo censuram, quam Alexander VIII. in propositiones triginta & unam tulit die 7. Decembris 1690. quarum septima inter proscriptas sic habet. *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, charitas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis est, hoc est, mala.* Cum autem hæc propositio nullatenus de charitate perfecta possit intelligi, nec consequenter deflecti in alienum sensum quem F. Bellelli propositioni 38. Baji falso adscripsit, ideo novum artificium priori non minus absurdum atque ineptum adhibere conatus fuit, ut errorem suum censuræ ab Alexandro VIII. latæ subduceret.

Prop. 7. damnata ad Alex. VIII.

Optimo quidem jure, ait F. Bellelli, *rejectam esse* hanc propositionem; *nam imprimis falsum est*, inquit, *omnem humanam actionem deliberatam esse dilectionem Dei, vel mundi, quasi vero non alias operationes aliarum virtutum, facultatum & potentiarum habeat nisi solius voluntatis, cujus est deliberate diligere. Debuisset ergo Auctor restrictius loqui dicendo: Omnis actio libera voluntatis est Dei dilectio, vel mundi; dantur enim præter voluntatis dilectiones aliæ actiones, quæ tametsi subjaceant voluntatis imperio, ipsius tamen actiones non dicuntur.*

Bellelli de statu creat. ration. l. 3. c. 28. p. 506.

X.

Juxta igitur F. Bellelli, Auctor ipsius propositionis damnatæ in eo tantum erravit, quod voluerit nullas esse deliberatas hominis actiones, præter actiones voluntatis elicitas, nullasque actiones a voluntate imperatas agnoverit. En totum crimen hujusce Auctoris, si F. Bellelli fides adhibeatur, quod absit! Ergo Summus Pontifex damnando propositionem 7. quam supra retulimus, definiit tantum quod actiones hominis deliberatæ non sint omnes elicitæ, & præterea quod debeant agnosci aliæ actiones a voluntate imperatæ? Ergo Summus Pontifex sensum hæreticum in propositione contentum non proscripsit?

Quis enim mortalium, ac præsertim Catholicorum, hæc ferre ac patienter audire valeat?

XI.

Pergit tamen F. Bellelli, nec reliquum certe propositionis damnatæ sensum felicius interpretatur. *Deinde*, ait, *quæ mundi dilectio est, non semper est illa mala concupiscentia carnis, cum sæpe diligatur mundus, & ordinate diligatur, scilicet non propter se, sed propter eum qui fecit illum. Pro eo igitur quod dixit, omnis humana actio, rectius dixisset, omnis humana fruitio.*

Bellel. ibid.

Auctor igitur propositionis ab Alexandro VIII. damnatæ ex alio etiam capite culpandus videtur Fratri Bellelli, ex eo scilicet quod docuerit mundum & ea quæ in mundo sunt non posse diligi ordinate propter Deum. Summus ergo Pontifex damnando propositionem 7. debuit tantum definire amorem creaturæ posse in Deum referri? Hæ & similes ineptiæ, quæ risum pariter ac indignationem movent, merentur quidem despici, sed non refelli.

XII.

Eandem responsionem adhibet F. Bellelli in lib. de modo reparationis humanæ naturæ post lapsum. *Rejicitur*, inquit, *hæc propositio*, scilicet 7. ab Alexandro VIII. damnata, *quoniam adæquate dividit actionem humanam deliberatam in Dei dilectionem per charitatem, & mundi malam concupiscentiam. Ultra enim charitatis actum, fidei etiam, spei, timoris, pœnitentiæ, religionis, aliarumque virtutum officia agnoscenda sunt, & admittenda. Nec quicumque mundi amor mala concupiscentia est, quia sæpe homines mundum honeste ordinateque diligunt, opere, virtualiter saltem, in Deum relato.*

Sed error Baji & Bajanistarum non in eo consistit quod nullos admittat actus fidei, spei, timoris, pœnitentiæ, Religionis, aliarumque virtutum; tales siquidem actus libenter agnoscunt. Error autem eorum in eo situs est, quod doceant tales actus, si non habeant pro motivo Deum charitate amatum, esse peccaminosos, utpote a mala concupiscentia prodeuntes. Similiter amorem mundi innoxium admittunt, si referatur in Deum ex motivo charitatis. Nihil ergo docet F. Bellelli quod cum erroribus Baji penitus non concordet.

XIII.

Quam pateat adhuc Fratris Bellelli mala fides haberi potest ex modo quo explicat propositionem Quesnelli 44. quæ sic exprimitur. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur, amor Dei qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remunerator: & amor quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod*

quod ad Deum referendum eſt non refert, & propter hoc ipſum fit malus. Damnatio hujus propoſitionis, quæ non ſolum actus elicitos, ſed etiam actus a voluntate imperatos complectitur, funditus evertit imaginariam F. Bellelli interpretationem, quæ, ut jam vidimus, damnatam ab Alexandro VIII. propoſitionem 7. ad actus tantum elicitos perperam reſtringit. Alio itaque ſe vertere neceſſe fuit: ſed quam ineat viam, ut ſeſe expediat, videamus.

F. Bellelli ibid. tom. 2. prop. 44. §. 1.

Reſpondet ergo F. Bellelli, quod *pravus ſenſus ipſius* (propoſitionis, ſcilicet Queſnellii) *eſt quod velit Queſnellius amorem Dei juſtificantem, ſeu charitatem, quæ habitualiter in juſti hominis corde regnat, actiones, volitioneſque omnes ipſius ad Deum referre & meritorias facere. Contra vero amorem noſtri, ſeu cupiditatem, quæ habitualiter regnat in corde hominis impii, omnes ipſius corrumpere actiones, & in peccata convertere.* Verum quantopere aberret hæc expoſitio a germano ſenſu propoſitionis Queſnellianæ, imo a mente ipſius Queſnellii, Janſenii, atque Baji, jam vidimus in prima parte hujus operis. Itaque ne quod jam confutatum eſt iterum confutemus, ab ampliori hac de re diſputatione cum F. Bellelli ſuperſedendum exiſtimamus. Paucis tamen videndum eſt an ipſius ſocius F. Berti rectius ſentiat.

Vide ſupra art. 3. §. 1.

XIV.

Quamvis F. Berti iiſdem verbis non tueatur propoſitionem 38. in Bajo damnatam, doctrinam tamen illius evidenter amplectitur dum aſſerit de quocumque actu humano, quod *niſi adſit charitas, per quam referatur in Deum, in praxi operans non operabitur propter æquitatem, cujus habet ideam ingenitam; ſed aut ſibi placens, aut fruens bonis commutabilibus, & ideo opus erit pravum atque perverſum.*

Berti tom. 4. lib. 21. c. 2.

Præterea idem error evidenter colligitur ex ejus principiis; docet enim 1. Quod gratia eſt mentis illuſtratio & inſpiratio charitatis, quæ magis, inquit, in delectatione, quam in illuminatione ſita eſt. Docet quoque 2. Quod homo lapſus magis ſe delectat ſe ipſo, quam ſummo bono, ſi non ei ſancta delectatio inſpiretur; quoniam ſine hujus delectationis dono prævalet rationi concupiſcentia cujus deſideriis non obedire abſque gratia Salvatoris non poſſumus. Ex quibus locis ſic argumentari licet.

Berti tom. 3. l. 14. c. 7. Ibid. lib. 18. c. 3.

Gratia eſt inſpiratio charitatis, ſeu ſanctæ delectationis: hæc eſt prior hujus Theologi propoſitio; atqui, ex eodem, ſine hac ſancta delectatione concupiſcentia prævalet rationi; ergo ſine hujus delectationis dono homo ſemper obedit concupiſcentiæ; ac proinde peccat: ergo juxta illum omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, aut laudabilis charitas, ut loquitur Bajus.

XV.

Hunc tamen errorem emollire ſimulat verbis ſequentibus; docet enim quod ad hoc ut actio quædam ſit immunis a peccato non neceſſaria ſit gratia fidei, ſive quod Deus ſe manifeſtet tamquam Auctorem ſupernaturalium donorum, ſed ſatis eſt quod homo operetur ob intimam, naturalem, & ingenitam ideam honeſtatis. *Dico*, inquit, *opera hujuſmodi regulæ conſentanea, etſi in Deum non referantur explicite, quod neceſſarium eſt ut ad vitam æternam perducant, referri implicite, non quod intrinſeca bonitas honeſtorum operum ſe ipſa referatur in ſummum bonum; id enim neceſſarium & naturale eſt, non liberum & morale; ſed quia intentione animi opera illa fiunt ob intimam legem honeſtatis, quæ implicite eſt ipſe Deus, atque hoc arbitror ſufficere ad opus bonum morale ordinis naturalis, quia ne ſit vitii labes ſufficit uniformitas legi naturaliter nobis inditæ.*

Ibidem.

Verum hoc lenimento, ſpecie quidem Catholico, obtegitur error, non devitatur; cum ſimul velit cupiditatem inficere veneno ſuo omnia illa opera quæ fiunt ob intimam legem honeſtatis, ideoque niſi fiant ex ſpeciali gratia, id eſt, ex inſpiratione charitatis, eſſe peccata: addit enim abſque ulla intermiſſione, quod licet *hæc ſpeculative vera* ſint, *practice* tamen *loquendo, nunquam hominem lapſum agere convertendo ſe ad illam intimam legem abſque cupiditate & Philautia, ideoque quodlibet opus bonum fieri a ſpeciali gratia.* Si ergo homo lapſus practice loquendo numquam agat convertendo ſe ad illam intimam legem abſque cupiditate & Philautia; ſi quodlibet opus bonum fiat ex ſpeciali gratia, id eſt, juxta F. Berti, ex inſpiratione charitatis, inde ſequitur quod omnis actio, quæ ex motivo charitatis non procedit, procedat evidenter ex motivo cupiditatis, ac ulterius ſit verum peccatum; qui error damnatus eſt in propoſ. 38. Baji, in propoſ. 7. damnata ab Alexandro VIII. & in prop. 44. Queſnelli.

XVI.

Expreſſius adhuc Theologus noſter nullum inter hæc duo alibi agnoſcit medium, ſcilicet inter opera quæ fiunt ex charitate, & ſunt laudabilia, & opera quæ fiunt ex cupiditate, & ſunt peccata, dum docet nullum dari humanum opus indifferens, expers ſcilicet, tam nequitiæ, quam probitatis. Contendunt quidem plurimi Theologi nullum dari opus indifferens, in eo ſenſu quod nullum ſit opus ex deliberatione procedens, quod nec moraliter bonum ſit, nec moraliter malum, ſicque ſit indifferens; ſed iidem ſimul aſſerunt non omnia opera moraliter bona, ac proinde a peccato immunia, procedere a charitate; quod tamen affirmat Theologus noſter; nam licet admittant opera moraliter bona, nempe illa quæ per ideam illam incommutabilis æquitatis rectæ rationi deprehenduntur convenire: addit tamen quod niſi adſit charitas per quam referantur in Deum, in praxi operans non operabitur propter æquitatem, cujus ideam habet ingenitam, ſed aut ſibi placens, aut fruens bonis commutabilibus, & ideo opus erit pravum atque perverſum. Quod ut ulterius pateat, locum integrum illius Theologi hic liceat referre.

Bert. tom. 4. l. 21. c. 2.

Dixi, inquit, *omnium menti ineſſe regulam quandam incommutabilem æquitatis, ſed hominem lapſum magis movere, atque ad agendum trahere imagines rerum ſenſibilium, & inſeminatam peccato primi hominis noxiam cupiditatem; ad hanc comprimendam divinitus nobis inſpirari gratiam ſanctæ delectationis. Ad propoſitam ergo quæſtionem ex hac mea opinatione conſequens habetur reſponſum. Vel humanus actus dirigitur per charitatem & gratiam ſanctæ delectationis in Deum, & eſt bonus undequaque: vel per ideam illam incommutabilis æquitatis rectæ rationi deprehenditur convenire, & eſt bonus moraliter: vel peragitur ob inanem gloriam, & eſt inflatum typho ſuperbiæ: vel propter res ſenſibiles & creatas, & cupiditate marceſcit. Igitur in individuo nullus datur humanus actus indifferens.* Si nihil aliud diceret iſte Auctor, videretur admittere actus moraliter bonos qui non ſint peccata, eos ſcilicet qui rectæ rationi deprehenduntur convenire per ideam illam incommutabilis æquitatis; ſed hunc verbis illius ſenſum adſcribere non licebit, ſi advertantur ſequentia. *Ad. do*, ait, *quod niſi adſit charitas, per quam referatur in Deum, in praxi operans non operabitur propter æquitatem, cujus ideam habet ingenitam, ſed aut ſibi placens, aut fruens bonis commutabilibus, & ideo opus erit pravum atque perverſum.* Ut igitur actus humanus ſit undequaque bonus, juxta F. Berti, debet dirigi per charitatem in Deum: actus humanus poteſt quidem eſſe juxta illum moraliter bonus, ſi deprehendatur rectæ rationi convenire; ſed niſi adſit charitas, in praxi operans non operabitur propter æquitatem: inſuper niſi adſit charitas, operans, aut ſibi placebit, aut fruetur bonis commutabilibus; & ideo niſi adſit charitas, opus erit pravum atque perverſum. Ergo omnis actio quæ fit, & oritur ex motivo charitatis, eſt undequaque bona, ſed ſi non adſit charitas in praxi oritur ex ſui complacentia, aut ex fruitione bonorum commutabilium, id eſt, ex motivo cupiditatis, & eſt mala atque perverſa. Non poſſet ſane expreſſius ac diſertius renovari error propoſitionis 38. Baji a S. Pio V. damnatus.

Hic tamen mens noſtra non eſt inquirere quid ſentiendum ſit de doctrina illa qua aſſeritur nullum bonum opus morale fieri poſſe ſine gratia; de hac enim agetur inferius; ſed animus noſter eſt eam ſolummodo carpere opinionem quæ negat ullum opus immune a peccato fieri poſſe abſque gratia, quæ ſit inſpiratio charitatis; ex hac enim ſequitur nullum dari medium inter opera quæ fiunt ex motivo charitatis, & illa quæ fiunt ex motivo cupiditatis.

XVII.

Diximus in priori hujus operis parte, unum e conſectariis Bajani principii nullum admittentis medium inter charitatem & cupiditatem, eſſe quod omnis vera Chriſti gratia ſit charitatis inſpiratio. Hoc autem non ſolum docet F. Bellelli, ſed & probare nititur pluribus Auguſtini teſtimoniis perperam intellectis, ex quibus hanc infert erroneam propoſitionem. *Hactenus Auguſtinus perſpicue docens*, inquit, *gratiam Dei, ſine qua nihil boni facere poſſumus, & quæ a nullo merito bono prævenitur, imo quæ prævenit omne meritum, & ſine qua quodcumque opus non recte bonum opus vocatur, charitatem eſſe & dilectionem, quæ Dei miſericordia, qua prior dilexit nos, per Spiritum Sanctum ſuum diffunditur in cordibus noſtris.* Quam doctrinam Theologi iſtius prænuntiaverat ipſemet titulus ejuſdem capitis 14. his verbis

Vide ſupra part. 1. art. 3. §. 1. in fine. Bellelli de ſtatu creat. ration. lib. 1. c. 14.

Oſten-

Oſtenditur gratiam prævenientem omnia bona opera noſtra non eſſe niſi charitatem actualem.

XVIII.

Hanc eandem doctrinam fuſiori ſtylo conatur quoque aſtruere F. Berti; contendit quippe, ut jam ſuperius occaſione data adnotavimus, quod gratia ſit inſpiratio charitatis: cum enim hanc ſibi propoſuiſſet quæſtionem, *quid ſit gratia*, ſequenti concluſione reſpondet: *Gratia*, inquit, *eſt actus intellectus & voluntatis, ſive mentis illuſtratio & inſpiratio charitatis; ſed magis in delectatione quam illuminatione ſita eſt. Efficitur autem motione Dei, quæ eſt ipſa Dei voluntas ſubminiſtrans hanc delectationem & charitatem.* Licet autem inſpirationi charitatis adjungat illuſtrationem mentis, hæc tamen additio nullatenus illum ſecernit a Bajaniſtis. Siquidem docent Bajaniſtæ, ſicut & Theologi Orthodoxi, inſpirationi charitatis ſemper conjunctam eſſe illuſtrationem intellectus, quia voluntas, juxta Philoſophos, eſt potentia cæca, quæ non fertur in incognitum: ſed in eo diſſident Orthodoxi a F. Berti & a cæteris Bajaniſtis, quod gratia voluntatis, juxta Orthodoxos, conſiſtat non ſolum in inſpiratione charitatis, ſed etiam in inſpiratione fidei, timoris, ſpei, cæterarumque virtutum ſupernaturalium, quarum actus immunes ſunt a peccato, etiamſi ulterius non referantur ad finem charitatis.

Vide ſupra n. 14.

Berti tom. 3. l. 14. c. 7.

ARTICULUS II.

De impoſſibilitate ſtatus puræ naturæ.

QUoniam materia quam in hoc articulo tractaturi ſumus fuſiorem poſtulare videtur diſſertationem, illum in plures Paragraphos diſtribuemus.

§. I.

De debita ordinatione Creaturæ rationalis in viſionem Dei intuitivam, deque debitis mediis ad illam obtinendam neceſſariis.

TErtiam partem & amplius Libri de Creatura rationali ante peccatum adhibet P. Bellelli, ut probare conetur, cum Bajo & Janſenio, impoſſibilem eſſe ſtatum puræ naturæ, iiſdemque fere omnibus, quas Yprenſis Epiſcopus in medium jam adduxerat, utitur rationibus atque auctoritatibus. Hanc impoſſibilitatem ſtatim prænutiat capitis primi titulus qui ſic habet. *Statuitur impoſſibilis ſtatus puræ naturæ*, quam continuo ſic exponit. *Natura pura nihil aliud ſonat*, inquit, *quam natura rationalis ſine gratia, & ſine culpa, aut habitu vitioſo.*

I.

Patet ex dictis in articulo præcedenti F. Bellelli nullum admittere medium inter cupiditatem & charitatem proprie dictam qua Deus diligitur propter ſe, quæque omnes ſuperat naturæ vires, ita ut omnes actus qui non fiunt ex motivo charitatis fiant ex motivo cupiditatis, & ſint peccaminoſi. Quoniam autem Deus non potuit condere Creaturam rationalem in neceſſitate peccandi, manifeſte ſequitur quod juxta hunc Theologum non potuerit illam condere abſque gratiæ auxilio, ac proinde nec in natura pura.

Hanc eandem pluribus in locis refert ipſe F. Bellelli ratiocinationem. *Creatura rationalis*, inquit, *quæcumque conderetur, ſine ullo amore eſſe non poſſet: ejuſmodi autem amor finem habeat neceſſe eſt. Ergo erit, aut fruitio Dei, aut Creaturæ; nec medium inter iſta cogitabile eſt, ut liquido conſtitit. At vero utrumlibet cogitetur, pura natura repugnat: quoniam ſi creatura fruatur, perverſa eſt & mala, adeoque non pura: ſin vero fruatur Deo, nec pura erit, quoniam Deus ſine gratiæ adjutorio diligi omnino non poteſt.* Quod ſi huic ratiocinationi addas hanc propoſitionem: Atqui Deus non potuit creare illam ſine adjutorio, quo poſſet ſeſe avertere a Creatura & convertere ad Deum, evidenter ſequitur Deum non potuiſſe condere Creaturam rationalem abſque adjutorio gratiæ. Porro Deum hoc non potuiſſe, imo injuſtum fore, ſi conderet Creaturam rationalem tali auxilio deſtitutam plurimis in locis expreſſe docet, & præſertim c. 7. *Non enim potuit Deus*, inquit, *Creaturam condere, quæ ſemper perverſa eſſet: nec niſi perverſa eſſe potuit ſine gratiæ adjutorio, quoniam quidquam aliud magis quam ſe ipſam amare non valet.* Hanc autem propoſitionem hoc argumento ſtabilire conatur. *Quoniam*, inquit, *in quocumque ſtatu non potuiſſet Deus Creaturam rationalem condere, niſi a ſe ipſo diſtinctam. Porro Creatura diſtincta a Deo & ſecum ipſa identificata arctiori vinculo amoris ad ſe ipſam fertur, quam ad alterum amandum & appretiandum ſupra ſe, ut ſi detur optio ſe malit ſervatam quam vitæ diſpendium ſubire, ut alterius honor glorificetur.... igitur creatura in puris naturalibus conſtituta ſe ipſam appretiative magis amaret quam Deum, & magis Philautia, ſeu amore proprio, quam cujuſquam alterius amore quantumvis excellentioris delectaretur. Vidit hoc providentiſſimus rerum omnium conditor, & vidit magnam inde mentis rationalis perverſitatem neceſſario ſuborituram, quam rectiſſimo rerum diſpoſitu impedire, ne ad ipſam culpa rediret, lege ſua ordinatiſſima teneretur. Ita ergo Creaturam rationalem condidit, nec aliter potuit, attenta ſuprema lege Providentiæ ſuæ, ut illa quæ in ſe relicta ſe magis amaret tamquam conjunctiorem ſibi propter ſecum ipſa identitatem, dono adjutricis gratiæ perfuſa ſupra ſe efferretur ad amandum atque appretiandum incommutabile bonum a ſe diſtinctum, ſcilicet Deum ipſum .... nihil ergo juſtius ad divinam providentiam ſpectat, ut non niſi hac perverſitate dono gratiæ ſublata innocentem creaturam condere poſſit.* Et infra. *In quo* (ſtatu ſcilicet puræ naturæ) *deficiente gratia, media quoque neceſſaria defeciſſent, quibus rationalis mens magis ad Creatorem quam ad ſe ipſam amandam afficeretur, proindeque fuiſſet neceſſario perverſa; ideo etiam ex hoc capite ſtatum illum rati ſumus eſſe impoſſibilem.*

Bellel. li de ſtatu creat. ration. ante pec. lib. 3. cap. 1.

Ibid. c. 7.

Ibid.

II.

Hæc vana ac tædioſa Bellellina argumenta pluribus ſcatent ſophiſmatibus. Ut enim ſuadeat F. Bellelli nullum eſſe medium inter vitioſam cupiditatem atque ſupernaturalem Dei propter ſe amorem, ſeu charitatem, falſo ſupponit 1. Deum nullatenus diligi poſſe amore naturali, argumentumque ſumit, non ex infirmitate humanæ naturæ per peccatum contracta, (quod factitant nonnulli Theologi contendentes Deum in ſtatu naturæ lapſæ non poſſe viribus naturæ diligi amore, nequidem imperfecto). Verum hanc diligendi Dei impotentiam eruit ex naturali ipſiuſmet Creaturæ conſtitutione, ita ut creatura rationalis in quocumque conſideretur ſtatu, nunquam poſſit viribus naturæ diligere Deum. Porro hunc errorem fuiſſe a S. Pio V. damnatum diximus ſupra, part. 1. art. 3. §. 3.

Supponit perperam 2. F. Bellelli homines ſibi præſtituere creaturam, tamquam finem ultimum, in omnibus & ſingulis actionibus, in quibus Deum non intendunt tamquam ultimum finem. Quæ ſententia quam falſa ſit & abſurda, patet ex eo quod, ſi vera eſſet, omnia opera eorum qui non præſtituunt ſibi Deum, ut finem ultimum omnium actionum ſuarum, eſſent peccata, non ſolum venialia, ſed etiam letalia.

Dicendum itaque cum Theologis Orthodoxis, qui ducem habent D. Thomam, quod homo non conſtituit ſibi creaturam ut finem ultimum in omnibus & ſingulis actionibus in quibus Deum non habet ultimum finem, vel actualiter, vel virtualiter, aut etiam habitualiter. *Non eſt neceſſe*, inquit Sylvius, *quod omnia quæ vult homo, etiam deliberate ea velit propter Deum, vel alium ultimum finem particulariter apprehenſum; ſed aliqua poteſt velle, quæ nec actu, nec virtute, nec habitualiter referat in aliquem particularem finem.... quamvis fieri non poſſit quin ea ordinet in ultimum finem ſub communi ratione boni.*

Sylvius in 1. 2. q. 1. art. 6. ad 2.

Ex eo autem quod homo in quadam actione ſingulari Deum non habeat ut ultimum finem, non ſequitur quod fruatur creatura, quando ſcilicet creaturam non ſibi conſtituit tamquam finem ultimum; nam fruitio non dicitur niſi de ultimo fine, quem tunc homo non conſtituit in creatura. *Fruitio*, inquit Angelicus Doctor, *importat quietem quæ eſt in fine, quod pertinet ſolum ad ultimum finem.*

S. Th. 1. 2. q. 12. art. 2. ad 3.

Fruſtra igitur F. Bellelli, ut errorem ſuum de impoſſibilitate ſtatus naturæ puræ adſtrueret, contendit creaturam rationalem, in quocumque illa ſtatu conſideretur, non poſſe diligere Deum, niſi ex ſupernaturali amore charitatis: fruſtra contendit hominem frui creatura, eamque ſibi finem ultimum conſtituere in omnibus operibus ſuis, quotieſcumque ultimum finem non conſtituit in Deo. Futiles ſunt admodum ejuſmodi argutiæ, aut potius ineptiæ. Quid enim, niſi inſulſum ac ineptum, proferri poteſt, ad enervandam Bullarum Pontificiarum adverſus errores Baji auctoritatem?

III.

Præterea alio quoque nixus fundamento docèt F. Bellelli Deum non potuiſſe denegare Creaturæ rationali auxilia gratiæ, quibus valeat æternam beatitudinem in Cælis conſequi; nempe eo quod non potuerit illam non deſtinare ad viſionem ſui ipſius intuitivam, & conſequenter nec illi denegare auxilia quibus hanc ſempiternam vitam poſſit comparare.

Ibid. lib. 3. c. 8. Ibid. c. 12. *Quidquid ei,* (creaturæ rationali) inquit, *neceſſarium eſt ut beatitudinem ſuam conſequatur ex Lege Providentiæ & Juſtitiæ Dei, qui nihil niſi rectum facere novit, eidem nequit denegari.* Et poſtea. *Quoniam rationalis natura, eo ipſo quod imago Dei eſt, excellentiſſimum finem habet, qui ejuſdem viribus longo intervallo ſuperſtat, ideo Lege Providentiæ & Juſtitiæ Conditoris eidem media ſupernaturalia debentur ad finem ſuum conſequendum; niſi per culpam indigna adjutorio reddatur .... merito hujus Providentiæ & naturalis ordinationis contendimus ſupernaturalia media pro beatitudine conſequenda eſſe debita rationali creaturæ, ut proinde pura natura repugnet.*

Hic abutitur Theologus noſter hac voce, *Imago Dei*, ſi enim per imaginem Dei intelligatur creatura rationalis a Deo liberaliter & gratuito ad finem ſupernaturalem ordinata, certum eſt atque indubitatum illi deberi media ad hunc finem conſequendum neceſſaria, ſed quia gratuita fuit hæc deſtinatio ad cæleſtem beatitudinem, gratuita ſunt quoque media quibus illa obtinetur, quamvis, ſuppoſita prædicta ordinatione ad finem ſupernaturalem ſint debita. Non tamen ita cenſet F. Bellelli: contendit enim Creaturæ rationali, eo ipſo quod eſt rationalis, deberi deſtinationem ad viſionem Dei intuitivam, nec eam illi denegari poſſe a Deo abſque injuſtitia: unde ex hoc quoque capite eruit impoſſibilitatem ſtatus naturæ puræ. *Rationalis creatura*, inquit, *imago Dei eſt viva & vera, quæ utique propter aliquam felicitatem eſt condita; non enim miſera & propter miſeriam condi potuit, quin eo ipſo Deus rectiſſimus perverſitatis arguendus eſſet, omniſque, quod abſit, creaturæ perverſitas & defectio in ipſum eſſet conditorem revocanda. Si ergo imago Dei condi non potuit, niſi ut beata fieret, profecto aut in creatura, aut in Deo ipſo ſuam potuit requiem invenire, & alterutrum contingere neceſſe fuit. Nulla autem creatura finis & requies ipſius eſſe poteſt.*

P. Bellelli de ſtat. creation. ante pec. lib. 2. c. 8.

IV.

Quia autem Theologi Orthodoxi docent potuiſſe Deum ordinare creaturam rationalem in beatitudinem quamdam aliam a viſione ipſius intuitiva, ſcilicet in beatitudinem ordinis naturalis, & viſionem ſui ipſius, quam Theologi vocant abſtractivam, hanc illorum ſententiam hic rejicit F. Bellelli. *Nec ſufficit*, inquit, *ad imaginis Dei quietem & beatitudinem, ut dumtaxat ipſi conjungatur cognitione quæ dicitur abſtractiva. Illa ſiquidem cum ſolummodo indicet Deum eſſe, nec ipſius faciem aperiat, aptior eſt inquietudini augendæ, quam requiei inducendæ.* Et poſt pauca ſic proſequitur. *Imago igitur Dei, quæ rationalis creatura eſt, nec condi poteſt, niſi imago Dei ſit, nunquam quieta, imo nec perfecte ſimilis & conformis ei eſſe poteſt, niſi uſque ad videndum ſuum exemplar pertingat.* Deinde, *Cum ergo*, ait, *ſit hominis ita conſtituta natura, ut naturaliter imago Dei ſit, nec niſi in ipſo Deo beata eſſe poſſit, & ſi a conjunctione cum exemplari ſuo impediatur, ſit miſera, magna ipſius pœna, magnuſque dolor eſt, ſi ſempiterno mulctata exilio e regno ſuo, ſuoque patrimonio, vita, hæreditate & beatitudine, ut æternum inquieta & miſera ſit, arceatur ..... Nunquam igitur ſub Deo juſto creatura rationalis miſera eſſe poteſt, ſi non peccet, & culpa ſua miſeriam tamquam pœnam mereatur.*

Ibid.

Captioſam hanc ratiocinationem mutuatus eſt F. Bellelli ab ipſomet Bajo; ideoque ſatis ſit opponere Diſcipulo, quod Magiſtro oppoſuit Facultas Theologica Lovanienſis in ſcripto jam toties laudato. *Servili conditione*, inquiunt Lovanienſes, *facere hominem potuit* (Deus) *qui pro ſuis obſequiis aliam nullam mercedem expectaret, ac tametſi non potuiſſet alicujus ſuæ felicitatis fine fruſtrari, longe minoris tamen beatitudinis inſeri potuit appetitus, ut ſublimiore illa, nulla moleſtia, careret.*

Brevis explicatio c. 1. Extat in parte 2. operum Baji p. 163.

Quia autem Fratris Bellelli doctrina, non ſolum habet Facultatem Theologicam Lovanienſem ſibi inſenſam, ſed & a Summis Pontificibus fuit pluries reprobata, ut tantum pondus excutiat, varia commentus eſt effugia, de quibus in ſequentibus paragraphis agendum, antequam de immunitate a morte cæteriſque hujus vitæ miſeriis diſſeramus, quam immunitatem fuiſſe quoque debitam creaturæ rationali docet noſter Theologus.

§. II.

Præcluditur primum F. Bellelli effugium.

I.

EX variis Baji principiis, variiſque ipſius propoſitionibus deducitur evidenter, ut in prima hujus Opuſculi parte oſtenſum eſt, ordinationem ad intuitivam Dei viſionem, ac conſequenter media ad illam conſequendam neceſſaria fuiſſe primævo parenti debita, nec ea illi potuiſſe denegari a Deo. Eandem doctrinam renovandam atque defendendam ſuſcepit F. Bellelli. Sed quia hæc doctrina fuit pluries proſcripta, id non ignorans Theologus noſter, novum commentus eſt effugium, quo revera Bajum defendere non plurimum ſatagit, modo erroneam ipſius doctrinam tueatur atque incolumem ſervet. Imo ut Bajaniſmi ſuſpicionem magis ac magis a ſe procul amoveat, a Bajo diſcedere fingit, eum quandoque objurgat, arguit, increpat: ſed quam fraudulenta ſit illa objurgatio, facile perſpiciet quiſquis Fratris Bellelli ſcripta, modica cum attentione, perlegerit: Verbis inter ſe quandoque diſcrepant; re quidem ac doctrina interius conſentiunt. Ut propoſitum ſuum facilius ac ſecurius exequatur, quatuor recenſet Baji propoſitiones, quæ rem præſentem attingunt, & quas nos hic ſubjicere congruenter duximus, ut Fratris Bellelli dolus ac fraus dilucidius innoteſcat.

Bellelli de ſtatu creat. ration. l. 2. c. 22.

Prop. 21. *Humanæ naturæ ſublimatio & exaltatio in conſortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda eſt, non ſupernaturalis.*

Prop. 23. *Abſurda eſt eorum ſententia qui dicunt hominem ab initio, dono quodam ſupernaturali & gratuito ſupra conditionem naturæ ſuæ fuiſſe exaltatum, ut fide, ſpe, & charitate Deum ſupernaturaliter coleret.*

Prop. 24. *A vanis & otioſis hominibus ſecundum inſipientiam Philoſophorum excogitata eſt ſententia, hominem ab initio ſic conſtitutum, ut per dona naturæ ſuperaddita, fuerit largitate conditoris ſublimatus, & in Dei filium adoptatus, & ad Pelagianiſmum rejicienda eſt iſta ſententia.*

Prop. 27. *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.*

Quatuor has propoſitiones in Scriptis ſuis refert F. Bellelli. Sed quo animo? Ut ſcilicet fallacis cujuſdam cavillationis ſubſidio doctrinam erroneam in quatuor his propoſitionibus contentam atque proſcriptam, quam ſuam fecit Theologus iſte, cenſuræ Pontificiæ ſubduceret. Supra memoratis enim propoſitionibus quemdam tribuit ſenſum a doctrina Baji propriiſque ipſius verbis omnino alienum; quem ſenſum reprobat quidem F. Bellelli; ſed hunc non habent Baji propoſitiones, nec in eo ſenſu fuere damnatæ. In quo igitur ſenſu illas proſcripſere Summi Pontifices? In ſenſu quem propoſitiones Baji præ ſe ferunt, & quem eumdem intendit F. Bellelli, licet contrarium fraudulenter mentiatur, ut mox videbimus.

II.

Contendit itaque F. Bellelli, quod quamvis debita fuerit creaturæ innocenti deſtinatio ad viſionem Dei intuitivam, debita quoque ipſis fuerint media ad illam beatitudinem conſequendam neceſſaria, debita tamen non fuerit ipſi gratia habitualis & virtutes infuſæ. Poſtquam enim varias enumeravit, quas complectebatur juſtitia originalis, prærogativas, hanc ita concludit enumerationem. *Hinc vero liquet*, ait, *quam falſo Bajus originalem juſtitiam totam naturalem commentus ſit; conſtat enim eam fuiſſe ſupernaturalem, ex parte ſaltem, ſeu, ut dici ſolet*, inadæquate, *qua parte ſcilicet gratiam ſanctificantem & virtutes infuſas tamquam præcipua ornamenta includebat. Quapropter non immerito hæ ipſius propoſitiones a Pio V. proſcriptæ fuere.* Deinde recenſet propoſitiones 21. 23. 24. & 27. quas paulo ante jam memoravimus.

Bellelli de ſtatu creat. ration. l. 2. c. 22.

III.

Hic obiter prænotemus Fratrem Bellelli, dum vult adverſus Bajum, gratiam habitualem & virtutes infuſas fuiſſe ſupernaturales, eo ipſo velle eas fuiſſe indebitas; nam vox iſta, *naturale*, idem ſonat ac debitum; ſimiliter iſta, *ſupernaturale*, idem ſignificat ac indebitum.

IV.

Jam vero ſi Fratri Bellelli fidem adhibere fas ſit, damnatæ ſunt Baji propoſitiones, non quod aſſerant debi-

debitam fuiſſe creaturæ innocenti deſtinationem ad viſionem Dei intuitivam, vel debita fuiſſe media ad illam conſequendam neceſſaria, ſed ſolummmodo quod aſſerant naturalem fuiſſe, ac proinde debitam creaturæ innocenti gratiam ſanctificantem ſeu habitualem, & naturales etiam ſeu debitas, ut ipſe vult, illi fuiſſe virtutes infuſas.

Verum debitam fuiſſe creaturæ rationali gratiam ſanctificantem, aut, quod idem eſt, gratiam habitualem, atque debitas etiam illi fuiſſe virtutes infuſas, nunquam docuit Bajus; ac proinde hoc in Bajo non damnavit Summus Pontifex: tantum enim abeſt ut gratiam habitualem & virtutes infuſas velit eſſe debitas, ut contra in dubium revocet an Deus illas revera conceſſerit homini. (Vide quæ diximus 1. parte hujus operis art. 3. §. 1. n. 1. & ſeq.) Qua ergo fronte potuit F. Bellelli hanc Bajo doctrinam falſo adſcribere, ut propoſitiones damnatas in alienum ſenſum detorqueret, & errores in iis contentos a cenſura Pontificia liberaret?

V.

Et vero neque in quatuor ante dictis, neque in cæteris Baji propoſitionibus reperire eſt ullum omnino verbum, quod aliquatenus faveat expoſitioni commentitiæ & fictæ, quam perperam S. Pii V. Conſtitutioni tribuere vellet F. Bellelli. Imo luce meridiana clarius eſt Summum Pontificem quatuor antedictas damnando propoſitiones definiiſſe dogmata illis contradictoria, nempe quod primæ conditionis integritas debita non fuerit creaturæ rationali: quod illi debita non fuerit humanæ naturæ ſublimatio & exaltatio in conſortium divinæ naturæ: quod homo, dum largitate conditoris in filium Dei fuit adoptatus atque exaltatus, ut illum fide, ſpe & charitate coleret, hæc habuerit per dona naturæ ſuperaddita, & conſequenter quod Deus potuerit illum non deſtinare ad viſionem ſui ipſius intuitivam, nec illi conferre media ad obtinendam æternam beatitudinem neceſſaria.

Hic nihil de charitate habituali, quæ & gratia ſanctificans dicitur, de qua an ſit admittenda dubitat Bajus, nec de ea magnopere contendendum exiſtimat. Sed etſi de ea, ſicut & de donis actualibus mentionem feciſſet in antedictis quatuor propoſitionibus, quid inde? Error Baji de debita creaturæ rationalis ordinatione in viſionem Dei intuitivam, deque debitis mediis ad illam conſequendam neceſſariis, eſſet-ne minori cenſura dignus, eo quod iſte error ſimul cum aliis, qui iiſdem Baji propoſitionibus ineſſe poſſent, eodem Anathemate percuteretur? Nequaquam ſane. Turpiter ergo fallitur F. Bellelli, cum talibus effugiis nos putet fallere.

Bajus Op. de charit. c. 2.

§. III.

Alia quædam F. Bellelli effugia recenſentur atque refelluntur.

EXhauſta non ſunt omnia F. Bellelli effugia, omneſque cavillationes. Etenim, & ea omnia venditat, quæ jam uſurpaverant Janſenius, ejuſque ſectatores, & nova ipſe comminiſcitur atque ſuperaddit non minus futilia atque inepta.

I.

Naturalem dixerat Bajus integritatem primæ creationis, & humanæ naturæ ſublimationem & exaltationem in conſortium divinæ naturæ, & propterea anathemate confixæ ſunt propoſitiones ipſius 21. & 27. eandem quam Bajus doctrinam docuit & Janſenius; quam tamen explicare & temperare nititur, ut a cenſura ſe liberet. Contendit itaque naturalem dici poſſe ſimul & ſupernaturalem illam charitatem, ſeu illum amorem Dei ſine quo, juxta illum, creatura rationalis recta & bona eſſe nequit, ac proinde nec ſine illo condi potuit: naturalem quidem in ſenſu Baji: ſupernaturalem autem, quia omnes ſuperat naturæ vires. Verum Bajus nunquam negavit charitatem ſuperare vires naturæ ſecundum ſe inſpectæ; & Janſenius charitatem dicens eſſe in illo ſenſu ſupernaturalem, a doctrina & ab erroribus Baji nullatenus diſcedit, & idcirco nec cenſuram a S. Pio V. latam effugere poteſt.

II.

Janſenii veſtigiis inhærens F. Bellelli eodem utitur artificio, eademque ambiguitate verborum. Primum itaque docet elevationem ad viſionem Dei intuitivam eſſe naturalem, eo quod ad naturam creaturæ rationalis pertineat: ſupernaturalem vero eſſe elevationem ad media, quibus æterna beatitudo comparari poteſt, quia gratia eſt naturæ adjuncta. *De naturalitate autem elevationis*, inquit, *eſt diſtinguendum; nam elevatio alia eſt ad finem nobiliſſimum, alia autem ad media quibus eſt comparandus. Illa ad naturam ipſam pertinet, quæ imago Dei eſt, & in nullo niſi in Dei poſſeſſione poteſt eſſe quieta .... Sed quoniam beatitudinem tam excellentem magnitudini & capacitati Imaginis Dei congruentem adipiſci mens creata non poteſt ſine ſupernaturali adjutorio, caſtoque amore, quo Deo adhærens in ipſius adoptionem filiorum collocetur.... Hinc eſt quod elevatio ad media naturalis creaturæ dicenda non eſt, cum ſit gratia naturæ adjuncta.* Bellel. li de ſtatu creat. rationalis lib. 3. c. 12. Ibid.

Non tamen omnino ſibi conſtare videtur; contendit enim capite ſequenti, viſionem intuitivam eſſe connaturalem creaturæ rationali, ſimul & ſupernaturalem. Sic autem mentem ſuam enuntiat. *Non enim aſſequi illum poteſt*, inquit loquens de fine ultimo qui Deus eſt, *naturalibus mediis, adeoque cohærentiſſime media ſupernaturalia eidem neceſſaria ſtatuuntur. Quod ſi quæras quo jure poſſit ſtatui connaturalis creaturæ finis ſupernaturalis? Reſpondeo, jure Providentiæ divinæ, quæ imaginem ſuam miſeram creare non poteſt.* Deinde ait, *appetitum hominis naturalem inclinare in viſionem Dei ſupernaturalem, quia ſola eſt ipſius requies & beatitudo.* Et poſtea ſubjungit. *Neque ita in illam propendit tamquam naturæ viribus aſſequibilem, ſed per ſuperaddita naturæ adjutoria.* Ex quo loco colligitur Theologum noſtrum viſioni intuitivæ tribuere quod ſit connaturalis ſimul & ſupernaturalis: connaturalis, quia creaturæ rationali debetur jure Providentiæ: ſupernaturalis autem, quia viribus naturæ non eſt aſſequibilis. Mediis quoque ad obtinendam hanc viſionem neceſſariis tribuit, quod ſint ſupernaturalia, quia naturalibus mediis finem ſuum aſſequi non poteſt creatura rationalis.

III.

Hoc effugio F. Bellelli ſuadere vellet doctrinam ſuam a Baji doctrina toto cælo diſtare. Sed quis inani verborum fuco perlectari ſe ſinet? Fatetur quidem loco citato ſupernaturalem eſſe intuitivam Dei viſionem, ſupernaturalia quoque eſſe media ad illam comparandam neceſſaria. Id etiam fatetur in eodem ſenſu Bajus, nec contrarium uſquam docuit, nec unquam ita deſipuit ut contenderet, & intuitivam Dei viſionem & media ad illam obtinendam neceſſaria poſſe ſolius humanæ naturæ viribus obtineri. Damnatus eſt itaque Bajus non quod voluerit integritatem primæ Creationis, atque humanæ naturæ ſublimationem & exaltationem in conſortium divinæ naturæ, eſſe naturæ viribus aſſequibiles; ſed quod voluerit eſſe debitas, eaſque creaturæ rationali non potuiſſe denegari: quæ omnia plane cohærent cum Fratris Bellelli doctrina, ut ex ejus Theologi locis ſupra citatis jam demonſtratum eſt. Sed ad alia Bellellina effugia properemus, quibus ſemper innuere tentat doctrinam ſuam a Baji doctrina multum diſcrepare; ſed irrito prorſus atque inani conatu.

IV.

Aſſeruit, ut jam vidimus, Bajus in ſupradictis propoſitionibus 21. & 27. integritatem primæ creationis, atque humanæ naturæ ſublimationem & elevationem in conſortium divinæ naturæ fuiſſe creaturæ rationali, non ſolum naturalem, ſed etiam debitam, & quoniam idem docuit Janſenius, & poſt illum F. Bellelli, neceſſe fuit utrique, ne Bullæ Summi Pontificis videantur refragari, quædam comminiſci effugia, quibus propoſitiones damnatas in alienos ſenſus deflecterent: Idque, Janſenium imitando, perfecte conſecutus eſt F. Bellelli: ſed ejuſmodi cavillationibus, nec a doctrina Baji recedunt, nec cenſuram Pontificiam declinant.

Docet quidem Janſenius integritatem primæ creationis, & primævi Parentis elevationem in conſortium divinæ naturæ fuiſſe ipſi creaturæ multiplici ſenſu indebitas. Primo enim, juxta Janſenium, debitæ non fuerunt merito operum præcedentium. Neque 2. potuit creatura prærogativas illas exigere, jure præciſe creaturæ. Neque 3. debitæ ſunt tamquam pars naturæ, aut tamquam proprietates, quæ ex naturæ principiis, vel facultatibus naturalibus fluunt. Hoc nullus inficiatur Catholicus. Sed in hoc errat Janſenius, quod velit præterea, prærogativas illas aliis titulis creaturæ eſſe debitas, nec potuiſſe Deum illas creaturæ denegare abſque manifeſta attributorum ſuorum læſione. Nam quoquo titulo creaturæ debeantur prærogativæ illæ, hoc ipſo

quod neceſſario debentur, licet titulo divinæ juſtitiæ, bonitatis, miſericordiæ &c. Miſerrima hac evaſione non eluditur Romanorum Pontificum cenſura.

Eodem tamen modo, & eadem fere arte vellet F. Bellelli cenſuris jam latis ſe ſubducere; at ne ullam præmeditatæ fraudis ſuæ ſuſpicionem moveat, Bajum incipit licentius adoriri, ipſi mendaciter ac calumnioſe adſcribendo errores quos non docuit, nec docere poBellel. li de ſtatu creat. ration. ante pec. lib. 3. c. 19. tuit. *Hinc vero*, inquit, *evidenter apparet, quam enormiter Bajus a recto veritatis tramite exorbitaverit. Quia enim vidit gratiam conditoris debitam eſſe innocenti creaturæ, juxta doctrinam Auguſtini, ſtatim intulit gratiam fuiſſe naturam in illo ſtatu. Sed fallitur: non enim gratia illa ita debita fuit naturæ, ut aliquod opus meritorium eandem præceſſerit, aut ſicut naturæ ſunt debitæ ejuſdem proprietates, quæ ex ejuſdem viſceribus enaſcuntur; ſed debita fuit ex Lege Providentiæ Divinæ, quæ in neceſſariis non deficit abſque cauſa; quoniam ſcilicet erat tunc gratia medium neceſſarium ſine quo divina mandata omnino ſervari non poterant. Quod autem ita debetur a veræ gratiæ ratione non deficit, nec gratiæ nomen amittit; etenim non tam egenæ naturæ, quam Divinæ Providentiæ debita eſt.* Eadem fere habet tract. de modo reparat. tom. 2. in prop. Queſnellii 35.

Nunc autem indicet F. Bellelli, quo in loco ſcriptorum Baji intulerit Bajus gratiam fuiſſe naturam? Quo in loco docuerit gratiam illam debitam fuiſſe naturæ, ut aliquod opus meritorium eandem præceſſerit: aut eandem gratiam debitam eſſe, ſicut naturæ ſunt debitæ ejuſdem proprietates, quæ ex ejuſdem viſceribus enaſcuntur? Bajum nihilominus redarguit quod enormiter a recto veritatis tramite exorbitaverit. Et hoc verum eſt; ſed non in ſenſu F. Bellelli: nam Bajus nunquam docuit gratiam fuiſſe naturam, aut gratiam debitam eſſe merito operum præcedentium, aut debitam eſſe naturæ ſicut ipſi debitæ ſunt proprietates, quæ ex ipſius viſceribus enaſcuntur. Sed a recto veritatis tramite enormiter Bajus exorbitavit, docendo, titulo juſtitiæ, ac divinæ bonitatis, aut aliorum attributorum primo homini debitam eſſe integritatem ac elevationem ſuam; quaſi Deus non potuiſſet homini, cum primum conditus eſt, omnia denegare, niſi labefactatis ac ſolutis ſuorum attributorum juribus. Hoc docuit Bajus, & propter hoc cenſuram incurrit. Nonne eadem cenſura dignus erit F. Bellelli, qui idem ſimul cum Bajo tuetur ac propugnat? *Vidit*

Bellell. de ſtatu creat. ration. lib. 3. cap. 7. p. 386. *hoc*, inquit, (nempe creaturam rationalem abſque adjutorio gratiæ non poſſe diligere niſi ſe ipſam) *Providentiſſimus rerum omnium Conditor, & vidit magnam inde mentis rationalis perverſitatem neceſſario ſuboriturarn, quam rectiſſimo rerum diſpoſitu impedire, ne ad ipſum culpa rediret, lege ſua ordinatiſſima teneretur. Ita ergo creaturam rationalem condidit, nec aliter potuit, attenta ſuprema lege Providentiæ ſuæ* &c.

Nec multum diſcrepat a Janſenio F. Bellelli quoad modum erroneam hanc doctrinam defendendi: ſolum quod inter eos diſcrimen intercedit in eo eſt quod Janſenius velit prærogativas primæ creationis eſſe creaturæ debitas, quia Deus ſibi ipſi eas debet, & ſuis attributis: Frater vero Bellelli contendat eas creaturæ deberi jure Providentiæ. Sed licet in terminis differant; quoad rei ſubſtantiam plane concordant. Uterque enim docet, & debitam eſſe viſionem intuitivam, & media ad illam conſequendam neceſſaria; quin imo Deum injuſtum fore ac perverſitatis arguendum, ſi ea denegaret, contumelioſe & impie pronuntiat F. Bellelli. Nihil ſane ſignificantius a Janſenio proferri potuit, ut probaret intuitivam Dei viſionem eſſe creaturæ debitam, quam quod protulit iſte Theologus. Ad renovandam ergo Baji doctrinam videntur ambo communi conſilio conſpiraſſe: nec iterum ſe ab omni culpa liberos eſſe præſumant, eo quod aſſerant viſionem Dei intuitivam deberi titulo divinorum Attributorum. Hoc ſane effugium merito contempſit Urbanus VIII. cum Yprenſis Epiſcopi librum, tamquam continentem doctrinam in Bajo proſcriptam reprobavit.

§. IV.

Quantopere conveniant inter ſe Bajus & F. Bellelli circa impoſſibilitatem ſtatus puræ naturæ.

HIc quot in punctis ſibi adhuc conſentiant Bajus & F. Bellelli, diſtinctis quibuſdam numeris expendemus, unde Bellellinam doctrinam a Bajana nullatenus diſcrepare quiſque poterit facile dijudicare.

I.

1. Quando Bajus docet debitam eſſe creaturæ rationali deſtinationem ad viſionem Dei intuitivam, & debitam quoque eſſe ei charitatem, tanquam medium ad hanc obtinendam beatitudinem neceſſarium, loquitur de charitate actuali, non autem de charitate habituali, imo ipſius exiſtentiam in dubium revocare videtur, nec de ea contendendum exiſtimat. *An vero*, Baji Opuſc. de charit. c. 2. ait, *præter hunc animi motum, qui charitas dicitur, alia quædam habitualis atque accidentalis qualitas in voluntate ponenda ſit, quæ etiam charitas nuncupetur, non magnopere contendendum exiſtimo.* Unde ſequitur quod, juxta Bajum, neceſſaria non ſit gratia habitualis, ut quis mereatur vitam æternam; & hæc Baji doctrina damnata eſt in propoſitione 13. quæ ſic habet. Prop. 13. *Opera bona a filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo quod fiant per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, ſed tantum ex eo quod ſunt conformia legi, quodque per ea præſtatur obedientia legis.* Et in propoſitione 15. cujus hæc ſunt verba. Prop. 15. *Ratio meriti non conſiſtit in eo quod qui bene operatur habeat gratiam & inhabitantem Spiritum Sanctum, ſed in eo ſolum quod obedit Divinæ legi.* Videri etiam poſſunt propoſitiones 12. & 17.

Eorumdem autem errorum reus eſt F. Bellelli, dum docuit ex una parte, debitam eſſe creaturæ rationali viſionem Dei intuitivam, & ex altera debitam illi non fuiſſe gratiam ſanctificantem, quæ etiam dicitur charitas habitualis. Si enim debita non fuit creaturæ rationali charitas habitualis, ſeu gratia ſanctificans, profecto illa non eſt medium neceſſarium ad obtinendam viſionem Dei intuitivam, & viſio Dei intuitiva obtineri poteſt ſine illa; non ergo accipient rationem meriti opera bona ex eo quod fiant ab homine in ſtatu gratiæ conſtituto, ſed ex eo quod procedant ex motivo charitatis actualis, hæc autem ſententia ea eſt quæ damnatur in propoſitionibus modo recenſitis.

II.

2. Bajus non ſolum docet hominem poſſe mereri vitam æternam cum ſola charitate actuali, abſque habituali, verum etiam contendit opera bona ex motivo charitatis actualis facta mereri ex ſe viſionem Dei intuitivam. *Sicut opus malum*, inquit Bajus prop. 2. *ex* Prop. 2. *natura ſua eſt mortis æternæ meritorium; ſic opus bonum ex natura ſua eſt vitæ æternæ meritorium.* Videri quoque poſſunt propoſitiones 4. 5. 6. 11. 14. & 18.

In hoc etiam F. Bellelli ejuſdem eſt cum Bajo ſententiæ. Contendit enim debitam eſſe viſionem Dei intuitivam creaturæ rationali, præciſe quatenus rationalis eſt, & independenter ab ulla promiſſione divina, ut patet ex dictis. Quoniam autem debita non eſt immediate, ſed ſolummodo mediante medio ad illam obtinendam neceſſario, mediante ſcilicet charitate actuali, inde manifeſte ſequitur quod vita æterna debeatur charitati actuali, ſeu operi bono procedenti ex charitatis actualis motivo independenter ab ulla promiſſione Divina, ac proinde quod opus bonum ex natura ſua ſit vitæ æternæ meritorium, quod damnatum eſt in Bajo.

III.

3. Ex eo quod opera bona, juxta Bajum, mereantur ex ſe vitam æternam, ſequitur quod *juſtitia*, ut dicitur in prop. 42. *qua juſtificatur per fidem impius*, Prop. 42. Baji. *conſiſtit formaliter in obedientia mandatorum, quæ eſt operum juſtitia, non in gratia aliqua animæ infuſa.* Et ut in prop. 66. quod *juſtificatio impii fit formali-* Prop 66 *ter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem & inſpirationem gratiæ, qua per eam juſtificatos faciat implere Legem.*

Horum autem articulorum doctrinam arguunt Lovanienſes in ea explicatione jam alibi ſatis laudata, quam ediderunt articulorum a S. Pio V. damnatorum, quamque gratam habuit Nuntius Apoſtolicus. *Nec verum eſt*, inquiunt, *imo etiam Divinarum Litterarum doctrinæ contrarium eſt, juſtitiam, qua per fidem juſtificatur impius, ita conſiſtere formaliter in obedientia mandatorum, quæ operum juſtitia eſt, & non in gratia aliqua animæ infuſa, qua adoptatur homo in filium Dei, & ſecundum interiorem hominem renovatur, & divinæ naturæ conſors efficitur, ut ſic per Spiritum Sanctum renovatus deinceps bene vivere & Dei mandatis obedire poſſit. Gratia ſiquidem infuſa divinitus, qua interior ille homo noſter renovetur, peccatorem juſtificare declarat ille Pauli ad Titum locus, ubi ait, quum apparuit benignitas &c.*

Brevis explicatio cap. 10. in part. 2. operum Baji p. 174.

Spreta tamen Summi Pontificis definitione atque cenſura propoſitionum 42. & 66. Baji, quarum legitimum ſenſum expoſuerunt atque impugnaverunt

Bellelli de ſtatu creat. ration. lib. 1. c. 11.

verunt Lovanienſes, F. Bellelli expreſſis verbis docet charitatem actualem juſtificare. *Ex his omnibus jam liquidum eſt*, inquit, *actualem charitatem juſtificare. Nam ut arctius argumentum perſtringamus, poterit illud ſic invicte proponi. Conſimili omnino judicio Auguſtinus enuntiat de converſione ad creaturam, ſive perverſa fruitione, quæ dicitur cupiditas, ea quæ pertinent ad faciendam animam iniquam, perverſam, peccatricem & malam, ac enuntiat de converſione ad Deum incommutabile bonum, ſeu de ordinata fruitione, quæ charitas dicitur, ea quæ pertinent ad faciendam animam bonam juſtam, beatam in hac vita & ſanctam; atqui meridiana luce clarius eſt in Auguſtino converſionem actualem ad creaturam reddere animam iniquam & injuſtam; igitur manifeſtum eſt converſionem actualem ad Deum, ſeu charitatem actualem reddere animam ſanctam & juſtam.*

IV.

Quia autem Theologi Orthodoxi fatentur charitatem actualem juſtificare diſpoſitive non formaliter, hanc quæ ipſi opponi poſſet diſtinctionem rejicit his verbis, Ibid. *Enim vero converſio actualis ad creaturam, relicto incommutabili bono, animam hominis peccatricem & injuſtam reddit, non diſpoſitive dumtaxat, etiam formaliter, imo formaliſſime. Igitur non ſolum diſpoſitive, ſed formaliter etiam, & vi ſua & natura ſua animam juſtam reddit actualis converſio ejuſdem ad incommutabile bonum, dum avertitur a bonis commutabilibus.* Nihil audacius, nihil expreſſius unquam aſſerere auſus eſt Bajus; ideoque has propoſitiones quas modo retulimus (nempe 13. 15. 2. 42. & 66.) ſilentio prætereire maluit F. Bellelli, quam novo quodam ac inani effugio eas ad ſenſus mere commentitios deflectendo ſic eludere cenſuram Summi Pontificis.

V.

4. Docet conſequenter Bajus propoſitione 43. quod Prop. 43. *in hominibus Pœnitentibus ante Sacramentum abſolutionis, & in Catechumenis ante Baptiſmum eſt vera juſtificatio, ſeparata tamen a remiſſione peccatorum.* Et hoc Bellelli de ſtatu creat. ration lib. 1. c. 15. idem docet F. Bellelli. *Notanter inſpiciendum eſt*, inquit, *nomen juſtificationis, quod hoc tempore ſoli gratiæ remiſſionis peccatorum tribuitur, latiori olim ſignificatione ab Auguſtino donatum.* Hic falſo adſcribit D. Auguſtino Theologus noſter quod ille nunquam docuit. Sed mendaces atque confictas, quæ tanti Doctoris teſtimoniis tribuuntur, interpretationes refellere nimis operoſum eſſet; ideoque ab iis confutandis conſulto abſtinemus, præſertim cum definitionibus Summorum Pontificum adverſus Bajum & Janſenium latis tamquam unicæ regulæ noſtræ adhærere nobis propoſuerimus. Et poſt pauca, iterum ad vomitum redit F. Bellelli, & novis momentis, quæ ex Auguſtino deſumpſiſſe calumnioſe fingit, probare ſemper nititur charitatem actualem formaliter eſſe hominis juſtificationem. *Conſtans igitur*, inquit, *atque firma ſemper auguſtini doctrina id nos monet, ut ſcintillas ac flammulas illas, ut ita loquar, cæleſtis charitatis, quæ cum ipſa fide donantur, atque remiſſionis peccatorum beneficium præveniunt, appellemus congruentiſſimo nomine inchoatam* Ibid. c. 16. *juſtificationem.* Et deinde. *Conſtat enim inchoatam juſtificationem, & inchoatam dilectionem haberi poſſe abſque remiſſione peccatorum, quæ ſola perfecta dilectione præſtatur.* Et cap. ſequenti. *Cum igitur conſtet ex uſquemodo expoſitis omnem dilectionem eſſe juſtificativam, ſaltem inchoate, ſed non omnem remiſſivam peccatorum, illud exponendum reſtat, qualis debeat eſſe dilectio, quæ peccata delet atque remittit.*

Ex modo, quo F. Bellelli de charitate juſtificante differit, poſſet quiſpiam fortaſſe ſuſpicari num in mente habuerit Baji propoſitionem 43. de omni vitio purgare. Illam tamen merito damnatam pronuntiat, quia ſcilicet novum ei ſupervenit effugium, quo propoſitionem Bajanam defendere non curat, modo ſenſum in Ibid. c. 15. ea proſcriptum ſibi retineat. *Falſo penitus*, inquit iſte Theologus loquens de imperfecta juſtificatione, *Bajus eandem eſſe veram juſtificationem aſſerit; non enim vera eſt, niſi cum perfecta eſt, merito ergo 43. ipſius propoſitio damnata fuit.*

Verum nihil futilius miſerrima illa diſtinctione juſtificationis perfectæ & imperfectæ: quæ enim non differunt, niſi ſicut perfectum differt ab imperfecto, ejuſdem ſunt ſpeciei. Amor imperfectus eſt ejuſdem ſpeciei cum amore perfecto ejuſdem objecti. Juſtificatio ergo impii, quæ juxta F. Bellelli, in charitate actuali conſiſtit, ejuſdem eſt ſpeciei, ſive perfecta ſit, ſive Bellel. li de ſtatu creat. ration. lib. 1. c. 19. imperfecta. Ergo utraque vera eſt juſtificatio. Et hoc non negat ipſemet F. Bellelli. *Fatemur utique*, inquit, *inchoatam eamdem cum perfecta quidditatem habere, ſed non iiſdem perfectionis gradibus præcellentem.* Ejuſdem quoque ſpeciei eſſe docet charitatem perfectam & imperfectam in tract. de modo reparat. tom. 1. lib. 5. cap. 10. & 15.

Imperfecta juſtificatio eſt ergo vera juſtificatio, cum habeat eandem quidditatem cum perfecta, licet non iiſdem perfectionis gradibus præcellat, ſicut amor Dei propter ſe & ſuper omnia in gradu remiſſo eſt verus Dei amor, licet non habeat tot gradus intenſionis, quot habere poteſt alius intenſior. Ergo S. Pontifex definiendo quod in hominibus Pœnitentibus ante Sacramentum abſolutionis, & in Catechumenis ante baptiſmum non ſit vera juſtificatio, damnavit ſententiam Fratris Bellelli docentis in Pœnitentibus & Catechumenis eſſe veram Juſtificationem, licet imperfectam.

Præterea ſi hæc expoſitio Fratris Bellelli haberet locum, ſequeretur Bajum aſſeriſſe quod in Pœnitentibus & Catechumenis ſit perfecta juſtificatio, ſeparata tamen a remiſſione peccatorum, quod eſt falſiſſimum; ait enim Bajus quod *licet Catechumenus & Pœnitens ante remiſſionem peccatorum aliquid juſtitiæ habeat.... quia tamen non habet remiſſionem peccatorum, ſine qua non conſiſtit hujus vitæ juſtitia, etiamſi propoſito, & vitæ converſatione multos Dei filios ſuperet, nondum poteſt juſtus vocari.* Itaque ut F. Bellelli de Bajaniſmo ſemetipſum purgare tentet, cogitur Bajo doctrinam ab illius Novatoris mente prorſus alienam mendaciter tribuere, & propoſitiones damnatas detorquere in ſenſus omnino extraneos atque male confictos. Sed quo pacto poſſet aliter Bajaniſmi notam a ſe amovere, cum doctrina ejus a Baji doctrina nullatenus diſcrepet? Bajus Op. de juſt. c. 7.

§. V.

De immunitate a morte a concupiſcentia, ignorantia, cæteriſque hujus vitæ miſeriis.

NUnc videndum ſupereſt quid ſenſerit F. Bellelli de immunitate a morte, concupiſcentia, ignorantia, cæteriſque hujus vitæ miſeriis, quam tertio loco tractandam ſuſcepimus, quamque debitam fuiſſe creaturæ innocenti docet ille Theologus. In primis autem probare nititur pluribus D. Auguſtini teſtimoniis male intellectis, Deum non potuiſſe condere creaturam rationalem concupiſcentiæ motibus obnoxiam. Quoniam autem nonnulli Theologi docuerunt Deum non potuiſſe illam condere concupiſcentiæ ullatenus obnoxiam, ab hac ſententia nunc inpugnanda conſulto abſtinemus, ut ad alios errores notandos properemus, quos reprehenſione atque cenſura dignos cenſent omnes Catholici Doctores. Bellelli de ſtatu creat. ration. ante pec. lib. 1. a c. 23. ad 27. & lib. 3. a c. 14. ad c. 18.

I.

Docet itaque F. Bellelli deberi creaturæ rationali immunitatem a morte, concupiſcentia, morbis, cæteriſque hujus vitæ miſeriis, & Deum fore injuſtum ſi iis creaturam innocentem afficeret. *Alienum eſt*, inquit, *a juſtitia Dei, ut innocentes vel levi pœna puniantur.* Et poſtea; *Neque qui diſtinguunt potentiam ordinariam ab abſoluta aliquid veri in hac cauſa pronuntiant; ſiquidem tenetur Deus ex lege ſua æterna & incommutabili neminem poſſe innocentem punire. Ergo ſemper, & in quacumque hypotheſi, niſi forte in illa id poſſe ſentiatur, in qua aut fingamus creaturam rationalem non eſſe rationale, hoc eſt, legibus juſtæ providentiæ regulandam, aut Deum non eſſe Deum.* Sane nihil in hujus erroris patrocinium ſignificantius dicere potuiſſet. Bellelli l. 3. de ſtatu creat. rat. ante pecc. c. 26.

Damnata tamen eſt a S. Pio V. propoſitio, quæ eſt 53. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis naſcitur.* Damnata quoque eſt iſta numero 75. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed nuturalis ejus conditio.* Damnata etiam eſt propoſitio 69. quæ ſic habet. *Omnes omnino juſtorum afflictiones ſunt ultiones peccatorum ipſorum, unde & Job & Martyres, quæ paſſi ſunt, propter peccata ſua paſſi ſunt.* Quomodo autem ab harum propoſitionum cenſura ſe expediat F. Bellelli, nunc inquirendum.

II.

Et primo quidem non ſatis eſt ipſi, pro tuenda propoſitionis 53. doctrina erronea, alienos illi atque diſtortos ſenſus affingere, quin etiam ad imminuendam Bullæ Pianæ auctoritatem, ea commenta, eaſque querelas, quas adverſus decretum illud ad nauſeam uſque evomuere Bajaniſtæ, iterare non erubuit, præſertim illam, quæ eſt de famoſa unius virgulæ tranſpoſitione, calumniam; ſed cum ea omnia a Catholicis Doctoribus toties in pulverem redacta ſint, quoties ea objicere tentarunt Novatores, ab his de novo refellendis ſuperſedendum exiſtimamus.

Hic itaque ſatis ſit perpendere quomodo e cenſura

ſingularum propoſitionum ſeparatim ſe ſe expediat F. Bellelli. Propoſitio 53. ſic habet: *Deus non potuiſſet ab initio creare hominem, qualis nunc naſcitur.* Quid de hac propoſitione dicere poteſt Theologus noſter, qui docuit Deum non potuiſſe creare primum hominem obnoxium morti, concupiſcentiæ, ignorantiæ, cæteriſque hujus vitæ miſeriis? Reſpondet, hanc, ut ſonat, falſam non eſſe, cum Deus non potuerit condere hominem peccatorem, & tamen homo, qualis nunc naſcitur, ſit homo peccator.

Bellelli de ſtatu creat. ration. lib. 3. c. 27.

III.

Fatendum eſt quidem falſam non fore propoſitionem 53. Baji, ſi intelligeretur in eo ſenſu, quod Deus non potuiſſet ab initio creare hominem peccatorem; ſed cum de veritate propoſitionis in illo ſenſu acceptæ nulla eſſet controverſia, nulla dubitatio, ille profecto ſenſus non niſi mala fide affingi poteſt propoſitioni damnatæ. Unde eam ſic exponunt Theologi Lovanienſes in illa explicatione, de qua jam ſæpius fecimus mentionem. *Talis*, inquiunt, *fieri potuit, qualis nunc naſcitur, non quod peccator, vitioſus pravuſque, qualis modo naſcitur, inſtitui a Deo potuerit, ſed quia corpore quidem fragili & mortali, quod neceſſe eſſet temporum lapſu veteraſcere, infirmari ac emori; animo vero tardo, hebeti, atque ad percipiendam veritatem difficili, facili autem ad errorem, & in voluptatem, ſeu oblectamenta ſenſuum pendulo pronoque.*

Sed ſi F. Bellelli animadvertit, & quidem recte, propoſitionem 53. Baji non eſſe falſam in eo ſenſu quod Deus non potuerit ab initio condere hominem peccatorem, qualis nunc naſcitur; in quo ergo ſenſu falſa eſt? In quo ſenſu damnata? Nihil in hoc tractatu huic quæſtioni dignatur reſpondere, altumque de ea retinet ſilentium. In altero autem tractatu, qui eſt *de modo reparationis humanæ naturæ poſt lapſum*, ſic mentem ſuam aperit. *Quia non aliam veram gratiam ſupernaturalem*, inquit, *eſſe putabat* (Bajus) *præter illam quæ per merita Chriſti datur indignis, hominem in hoc ſtatu ruinæ fatebatur veræ gratiæ indigentem. In ſtatu autem integritatis, gratiæ indigentiam ad ſalutis opera chimæram eſſe exiſtimabat. Ac propterea prop.* 53. *aſſeruit*, Deum non potuiſſe ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur, *veræ ſcilicet gratiæ indigentem.* Et alibi. *Bajanus ille articulus*, ait, *proſcriptus fuit, quia Bajus contendebat non potuiſſe Deum ab initio hominem condere cum indigentia ſupernaturalis gratiæ, qualis nunc naſcitur.*

Bellelli de modo repar. tom. 1. lib. 4. c. 18.

Tom. 2. in Prop. Queſnel. 70. §. 2.

Verum in præfata propoſitione ne ullum quidem verbum de indigentia gratiæ, nihil etiam quod ejuſmodi limitationem requirat, vel innuat. Cum ergo damnatæ ſint Baji propoſitiones in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, profecto damnata non eſt prop. 53. in illo fictitio ſenſu, quem illi falſo tribuere tentat F. Bellelli.

IV.

Quia autem doctrina hujus Theologi eadem eſt cum doctrina Baji, accuratius inquirendum videtur, quid in Magiſtro tamquam reprehenſione dignum deſignet Diſcipulus, quod ipſe non admittere ſimulet, ut ſic cenſuram Pontificiam conetur eludere. *Bajus*, inquit, *aſſeruit Deum non potuiſſe ab initio creare hominem gratiæ indigentem.* Sed hoc quoque aſſeruit F. Bellelli. Docet enim ut vidimus, Deum non potuiſſe ab initio hominem creare abſque adjutorio gratiæ, tamquam medio ad ſalutem æternam conſequendam neceſſario, ac proinde nec potuiſſe illum creare gratiæ indigentem. Præterea uterque, Bajus ſcilicet & F. Bellelli aſſerunt Deum non potuiſſe ab initio creare hominem abſque ordinatione in viſionem ſui intuitivam, nec potuiſſe illum creare obnoxium morti, concupiſcentiæ, cæteriſque hujus vitæ miſeriis, ac proinde non potuiſſe creare illum qualis nunc naſcitur. Quodnam eſt ergo diſcrimen Magiſtrum inter & Diſcipulum? Bajus contendit Deum non potuiſſe condere creaturam rationalem abſque charitate, ſeu, quod idem eſt, gratiæ indigentem: hoc quoque docet F. Bellelli. Bajus addit hanc charitatem & integritatem primæ creationis fuiſſe creaturæ innocenti naturalem, quia debitam: Naturalem quoque fuiſſe in eo ſenſu Theologus noſter inficiari non poteſt, quia juxta illum debita eſt. Quod ſi neget naturalem fuiſſe in eo ſenſu quod propriis viribus illam potuerit primus homo adipiſci; & hoc quoque negat Bajus. Denique F. Bellelli huic vocabulum gratiæ dignatur concedere; Bajus autem ait quod hæc dona *forſitan non improbanda ratione poſſent dici gratia*. Ecce tota diſcrepantia quæ reperitur inter Bajum & P. Bellelli: iſte charitati nomen gratiæ tribuit; Bajus non eodem nomine eam appellat, quamvis concedat hanc non improbanda ratione poſſe dici gratiam; unde ſequitur eos quibuſdam tantum verbis inter ſe diſcrepare, ſententiis vero perfecte congruere. Uterque ergo eadem meretur affici cenſura.

Prop. 9.

V.

Nec felicius ſe expedit iſte Theologus, cum propoſitionis 75. vitium enititur exponere. *Reſpondemus*, inquit, *immortalitatem non fuiſſe debitam naturæ humanæ, tamquam ipſius proprietatem, ſed fuiſſe ei debitam, ſicuti optime debita eſſe poſſunt ſupernaturalia dona, jure ſcilicet juſtiſſimæ Providentiæ quæ non patitur creaturam ſuam miſeram eſſe, niſi prius mereatur.* Si admitteretur hæc expoſitio, damnata fuiſſet a S. Pio V. doctrina, quam nec Bajus, nec quiſquam alius unquam docuit, & intacta remaneret atque innoxia illa, quam pertinaciter aſſerit poſt Bajum F. Bellelli. Sed quam falſo & quam abſurde hoc contendat Theologus noſter ex dictis evidentiſſime patet, cum error damnatus in eo conſiſtat quod debita fuerit primo homini immortalitas. Nec propoſitio damnata redditur innoxia hac ſubtili & doloſa evaſione, quod ſcilicet immortalitas debita ſolummodo fuerit jure juſtiſſimæ Providentiæ: in eo enim ſemper errant Novatores, quod contumaciter affirment, Deum fore injuſtum, ſi mortalem crearet hominem, antequam peccaret. In hoc ergo erravit F. Bellelli, cum id ita eſſe obſtinate pertendat.

Bellelli de ſtatu creat. ration. lib. 3. cap. 21. ad 6.

VI.

Quod ſpectat propoſitionem Baji 69. de illa nullam habet mentionem, niſi occaſione Queſnellianæ propoſitionis 70. cui Bajana non eſt multum abſimilis. Sed cum ex damnatione utriuſque propoſitionis, ſi genuinus illarum ſenſus detegatur, manifeſte ſequatur doctrinæ F. Bellelli cenſura, ad novas fallacias, imo & ineptias confugere non veretur.

Propoſitio Queſnellii inter damnatas n. 70. ſic habet: *Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones ſemper ſerviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.* Propoſitio autem Bajana, ut ſupra vidimus, ſic exprimitur: *Omnes omnino Juſtorum afflictiones*, inquit Bajus, *ſunt ultiones peccatorum ipſorum; unde & Job & Martyres, quæ paſſi ſunt, propter peccata ſua paſſi ſunt.*

Quo tandem effugio F. Bellelli ſenſum in Queſnelliana propoſitione damnatum ſalvum ſervabit atque integrum? Nihil ſane ſibi pertimeſcendum putat; ea enim eſt ingenii facultate præditus, ut res luce clariores obſcurare, atque res evidentiſſimas, per varias mendacii ac fraudis ambages confundere facile poſſit. Videamus ergo quomodo propoſitionem Queſnellii adulterino ſenſu involvat.

De fide eſt, inquit, *animas in Purgatorio exiſtentes, quæ pœnæ temporalis reatum exſolvunt, nullum omnino habere lethale peccatum.... Non ergo Deus ſolos peccatores, eos ſcilicet qui gravis peccati macula turpes ſunt, afflictionibus aut punit, aut purificat. Sacra quoque docente hiſtoria, Job erat vir ſimplex & rectus, & tamen, Deo volente, afflictiſſimus. Tobias etiam innocens afflictus fuit.... Satis inſuper experimento liquet Parvulos baptizatos doloribus malorum præſentis vitæ, & morte plerumque plecti... Fide igitur certa tenendum eſt Deum aliquoties innocentes affligere.*

Bellelli de modo repar. hum. natur. tom. 2. Prop. 70.

Juxta hanc Fratris Bellelli fictitiam interpretationem damnatus ergo erit Queſnellius, quia aſſeruit Deum nullis pœnis affligere animas in Purgatorio exiſtentes? Damnatus, quia voluit Deum nullis malorum doloribus plectere infantes recens baptizatos? Damnatus denique quia docuit Deum in hac vita affligere illos ſolummodo qui actu peccati alicujus lethalis rei ſunt? Quis, niſi deſipiat, hunc ſenſum Queſnellianæ propoſitioni tribuere poteſt? Sed extraneum hujuſmodi ſenſum confingere neceſſe erat, ut ſartus tectus remaneret error a Summo Pontifice in propoſitione Queſnelliana proſcriptus.

Hoc autem adhuc magis mirandum occurrit, quod F. Bellelli, ut fucum faciat incautis, innuat Bajum, dum aſſerit omnes juſtorum afflictiones eſſe ultiones peccatorum ipſorum, loqui, non de juſtis, ſed de peccatoribus in ſtatu peccati mortalis exiſtentibus. Poſtquam enim hunc ſenſum, ut jam diximus, falſo tribuere tentavit propoſitioni Queſnellianæ 70. hæc addit. *Explodenda inſuper Queſnelliana Theſis eſt, quia errores in Bajo proſcriptos renovat, videlicet* 71. (quæ nobis eſt 69.) *Omnes omnino Juſtorum afflictiones ſunt ultiones peccatorum ipſorum; unde Job & Martyres, quæ paſſi ſunt, propter ſua peccata paſſi ſunt.* Si Queſnellius renovat Baji propoſitionem, dum ait, *quod afflictiones ſemper ſerviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem;* ergo utraque propoſitio, Baji ſcilicet & Queſnellii in eodem ſenſu ſumi debet;

Prop. 69.

debet: ergo utraque intelligi debet de afflictionibus quas Deus infert, non ſolum peccatoribus in ſtatu peccati mortalis exiſtentibus, ſed etiam juſtis quibus jam dimiſſa ſunt peccata: ergo falſo contendit Theologus noſter Queſnellium velle quod Deus nunquam affligat niſi peccatores in ſtatu peccati mortalis exiſtentes. Verum quidem eſt Queſnellium, dum ait Deum nunquam affligere innocentes, renovare errorem in Bajo damnatum, ſcilicet Deum injuſtum fore ſi creatura rationalis ante peccatum qualibet miſeria afficeretur; ſed mens ejus non fuit unquam aſſerere quod poſt dimiſſum peccatum Deus non poſſit eos affligere. Illum autem errorem renovavit F. Bellelli, dum ait in loco jam citato, *Alienum eſſe a juſtitia Dei ut innocentes, vel levi pœna puniantur:* & hunc eundem confirmat in ſuis poſterioribus elucubrationibus, dum iterum aſſerit, *verum eſſe quod quælibet afflictio præſentis vitæ ſit pœna*, nec aliter falſam eſſe Queſnellii propoſitionem: *Nunquam Deus affligit innocentes* &c. niſi quatenus intelligitur de peccatoribus quibus dimiſſa ſunt peccata. *Falſum eſt*, inquit, *quamlibet pœnam culpæ præſentis pœnam eſſe, tum quod temporalis pœna interdum etiam poſt culpam dimiſſam luenda ſupereſt quod in Purgatorio fieri fides docet: dudum etiam abluti infantes, & ſancti homines doloribus & morte plerumque plectuntur.* Quam diſtorta ſit, & a mente Queſnellii aliena hæc expoſitio nemo non videt.

Bellelli l. 3. de ſtatu creat. ration. ante pecc. c. 26.

Bellelli de modo repar. tom. 2. prop. 70. §. 2.

Bellel. ibid.

VII.

Ex hactenus dictis invicte probatum arbitramur Baji doctrinam de impoſſibilitate ſtatus puræ naturæ in Scriptis F. Bellelli reviviſcere; novumque hunc Baji Diſcipulum omnes veterum Bajaniſtarum circa hanc materiam regeneraſſe errores, quos diximus ad tria capita poſſe revocari. 1. Deus non potuit condere creaturam rationalem abſque juſtitia originali, nec ei denegare alia media ad adipiſcendam ſalutem neceſſaria. 2. Non potuit illam creare quin illam deſtinarit ad viſionem ſui ipſius intuitivam. 3. Non potuit creare illam obnoxiam morti, concupiſcentiæ, ignorantiæ, cæteriſque hujus vitæ miſeriis: hos, inquam, errores in ſcriptis Fratris Bellelli renovatos atque redivivos reperire quiſque poterit. Hos enim fuſe pertractat, propugnat, atque acerrime defendit toto libro tertio *de ſtatu creaturæ rationalis ante peccatum*. In aureolo illo Opuſculo totus eſt ut probet 1. Nullum dari medium inter charitatem & cupiditatem, omneſque actiones noſtras, quæ non procedunt ex motivo charitatis, procedere ex motivo cupiditatis, & eſſe vitioſas, ideoque Deum non potuiſſe condere creaturam rationalem abſque charitate, utpote qui non poſſit creare illam cum cupiditate & in neceſſitate peccandi. Et ne quis ſuſpicetur Theologum illum loqui de charitate large ſumpta, de quadam dilectione ſcilicet, quæ viribus naturæ haberi poſſit, probare contendit Deum nequidem ut Auctorem naturæ diligi poſſe abſque adjutorio gratiæ; charitatem de qua hic agitur eſſe illam qua Deus gratis & propter ſe diligitur, & quæ per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus hominum.

Bellelli de ſtatu creat. ration. a c. 1. ad 8.

Deinde docet creaturæ rationali deberi deſtinationem ad viſionem Dei intuitivam, eique illam denegari non potuiſſe abſque injuſtitia. Tranſit poſtea ad concupiſcentiam, cum qua non potuiſſe condi creaturam innocentem adſtruere nititur; conatur etiam objecta ſolvere, quæ adverſus hanc ſuam doctrinam opponuntur. Et c. 26. hanc propoſitionem quam jam alibi retulimus proferre non veretur; Quod *tenetur Deus lege ſua æterna & incommutabili neminem poſſe innocentem punire*; addens illud intelligi debere *ſemper & in quacumque hypotheſi*; quod ſi hoc aliter fieret, aut creatura rationalis non eſſet rationalis, aut Deus non eſſet Deus. Abſolvitur denique hic Liber tertius capitibus duobus, ſcilicet 27. & 28. in quibus eludere tentat cenſuram a S. Pio V. contra errores Baji latam. Hæc eſt brevis totius illius Libri tertii Analyſis, qui revera nihil aliud eſt quam trium Librorum Janſenii de ſtatu puræ naturæ compendium. Eadem enim continet argumenta, iiſdemque, licet perperam, Auguſtini teſtimoniis adornatur.

Ibid. a c. 8. ad c. 14.

Ibid. a c. 14. ad c. 18.

Ibid. a c. 18. ad c. 26.

Sed quia durior hæc propoſitio, *impoſſibilis eſt ſtatus naturæ puræ*, Orthodoxorum aures abſque dubio offenderat, & cum facile fieri potuerit ut nonnulli in illam inſurrexerint, hanc defendendam ſuſcipit in altero ſcripto quod in lucem edidit anno a priori edito 26. Verum quam inſulſe expurget ſe in hac adumbrata Apologia, cuique perſpicuum eſſe poterit ex iis quæ in ſubſequenti Paragrapho dicturi ſumus.

§. VI.

Confutatur Fratris Bellelli Apologia, quam inſeruit in poſteriori ſuo opere, pro impoſſibilitate ſtatus naturæ puræ.

F. Bellelli in opere ſuo poſteriori, cui titulus eſt, *de modo reparationis humanæ naturæ poſt lapſum*, defendendam ſuſcipit hanc propoſitionem, quam in priori tanta audacia tueri auſus fuerat, ſcilicet, *impoſſibilis eſt ſtatus puræ naturæ*; eamque a Bajaniſmi gravamine, quo ab Orthodoxis Theologis onerari ſolet, liberare aggreditur. Sed ut optatum exequatur conſilium, ad paradoxum confugit hactenus inauditum.

I.

Bajus, inquit, *primum hominem de facto in pura naturæ fuiſſe conditum docuit ..... & non ſolum de facto hominem in pura natura conditum; ſed nec poſſibile Deo fuiſſe ut aliter quam in pura natura hominem, aut Angelum conderet, contendebat ..... cum ergo Bajus naturam puram rationalem de poſſibili, imo & de facto protulerit, nihil ejuſdem errori magis e directo contrarium ſtatui poterat, quam naturam puram, tam de facto, quam de poſſibili, e medio tollere. Quam in ſententiam penitus a Bajano errore remotam me abiiſſe patet.* Vide & tomo 2. in prop. Queſnellii 35. §. 3.

Bellelli de modo repar. tom. 1. lib. 4. cap. 18.

Qui Fratris Bellelli æquivocationibus parum aſſuetus eſt, adduci fortaſſe poterit, ut credat his ſpecioſis verbis a doctrina Baji hunc Theologum recedere: at non ita eſt. In verbis ſane ludit ac fallit F. Bellelli. Has voces, *ſtatus naturæ puræ*, in varios atque ambiguos uſurpat ſenſus, ut ſcilicet effugium habeat cum res ſua ita ipſi poſtulare videbitur. Sic igitur quando docet ſtatum naturæ puræ eſſe impoſſibilem, has voces, *ſtatus naturæ puræ*, in eodem prorſus ſenſu accipit, quo eas accipiunt Theologi: quando autem Bajum impugnare ſimulat, eaſdem voces *naturæ puræ* in ſenſu longe diverſo adhibet, quem, nec ullus Theologus, nec ipſe Bellelli admittit, cum ſtatum illum impoſſibilem eſſe aſſerit.

Verum ut pateat quam ſecum pugnet, ſibique contradicat F. Bellelli, hæc quæ traditur a Theologis de ſtatu naturæ puræ definitio in mentem revocanda eſt.

Status igitur naturæ puræ a Theologis definitur ille in quo creatura rationalis non deſtinaretur ad intuitivam Dei viſionem, nec prædita eſſet charitate, aliiſque mediis ad cæleſtem beatitudinem conſequendam neceſſariis, imo in quo creatura obnoxia eſſet morti, cæteriſque hujus vitæ miſeriis ſubjaceret. Hunc ſtatum, quem alii brevitatis cauſa, & ipſe F. Bellelli definiunt, ſtatum creaturæ rationalis ſine gratia & ſine culpa aut habitu vitioſo, hunc, inquam, ſtatum impoſſibilem eſſe docuit Bajus, hunc ſecutus eſt Yprenſis Antiſtes, qui eundem ſtatum eodem modo intellectum * reprobat atque impoſſibilem arbitratur, quod ut perficeret tres conſcripſit Libros, Bajanæ doctrinæ cauſa, ut illius ſtatus impoſſibilitatem ſuaderet.

Eandem ejuſdem ſtatus, atque in eodem ſenſu impoſſibilitatem adſtruere ac probare totis viribus intendit F. Bellelli, horum Novatorum fidelis diſcipulus, imo in ea impoſſibilitate aſſerenda Magiſtros ſuos verbis, tum expreſſioribus, tum durioribus ſuperaſſe videtur, ut patet ex dictis in toto hoc articulo, & adhuc magis patebit ex infra dicendis.

II.

Jam vero quidquid ſit de verbis illis, *Impoſſibilis eſt ſtatus naturæ puræ*, nec de verbis diſputatio eſt, ſed de rebus quæ verba ſignificant, certum eſt damnatum eſſe Bajum, quod aſſeruerit Deum non potuiſſe condere creaturam rationalem abſque illius ordinatione ad intuitivam ſui ipſius viſionem, neque abſque charitate, cæteriſque mediis ad æternam ſalutem obtinendam neceſſariis: certum quoque eſt damnatum eſſe Bajum quod docuerit creaturam rationalem non potuiſſe condi obnoxiam morti, cæteriſque vitæ miſeriis, & hæc omnia in hac propoſitione, *Impoſſibilis eſt ſtatus naturæ puræ*, continentur, quidquid reclamet F. Bellelli; ſed hæc omnia ſimul cum Bajo docuit ipſe F. Bellelli; ergo uterque eadem pœna afficiendus videtur: nec ullum inter utramque doctrinam, Bellellinam ſcilicet & Bajanam, diſcrimen, ſaltem eſſentiale, aſſignari poſſe videtur.

* Quapropter ut omnia breviter illi ſtatui a Scholaſticis attributa percurramus, qui hominem a Deo in puræ naturæ ſtatu creari poſſe, nullo omnino peccato præcedente, profitentur, ii volunt eum creandum eſſe ſine ordinatione ad beatitudinem ſempiternam, ſeu claram viſionem Dei. Hinc conſequenter dicunt eum ſine fide in intellectu & in voluntate ſine charitate Deum diligente condendum. Repugnantiam illam carnis & Spiritus eſſe prorſus naturalem..... Hinc multo magis puræ naturæ mortalitatem adhærere tradunt, omneſque morbos corporum, quæque inde ſæpius proficiſcuntur animarum labes, totam denique calamitatum ſeriem, quibus atteritur iſta vita miſerorum a primis fletibus naſcentium uſque ad extremos halitus morientium. Janſen. Lib. 1. de ſtatu puræ nat. c. 1.

III.

Arguit F. Bellelli se a Bajo toto cælo distare; cum Bajus docuerit statum naturæ puræ, non solum esse possibilem, sed de facto extitisse.

F. Bellelli mira sua dexteritate e vadis emergere vellet: sed quam improspere id tentaverit, ex his quæ dicturi sumus facile patebit. Duo imprimis in mente habuisse videtur; 1. Docere voluit impossibilem esse statum naturæ puræ, atque revera docuit conceptis verbis atque absque ullis ambagibus. Voluit 2. Aliquem a Bajo recessum simulare, ne, dum intus Bajanista est, exteriori Bajanismi mole opprimeretur: atque ita ut tutius doceat impossibilitatem status puræ naturæ, & aliquatenus a Bajo videatur recedere, calumniose imputat ipsi Bajo quod docuerit, non solum illius status possibilitatem, sed etiam realem ejusdem status existentiam: sic enim habet, ut jam vidimus supra. *Bajus*, inquit, *primum hominem de facto in pura natura fuisse conditum docuit*. Sed qua via fieri potest, ut id docuerit Bajus, cum in locis, ut ita dicam, pœne innumeris contrarium doceat? Assignet F. Bellelli textum Baji, Bajanaque verba referat, quibus adstruit primum hominem de facto in pura natura fuisse conditum. Laudet locum, in qno Bajus contendit, *nec possibile Deo fuisse ut aliter quam in pura natura hominem aut Angelum conderet*. Hæc omnia, ut jam innui, falso imputantur Bajo; sed hæc omnia F. Bellelli commentus est, ut eandem quam reipsa tuetur Bajus sententiam, absque tamen ulla, si fieri posset, Bajanismi suspicione stabiliret. *Cum ergo Bajus naturam puram rationalem*, inquit, *de possibili imo & de facto protulit, nihil ejusdem errori magis e directo contrarium statui poterat, quam naturam puram, tam de facto, quam de possibili, e medio tollere*. Addit deinde, ut imperitis fucum faciat; *Quam in sententiam penitus a Bajano errore remotam me abiisse patet*. Id profecto nemini patet, nempe quod F. Bellelli in sententiam penitus ab errore Bajano remotam abierit, nisi forte iis qui calumniam a Fratre Bellelli ipsi Bajo impositam prorsus ignorant.

IV.

Neque est quod F. Bellelli reponat Bajum asseruisse integritatem primæ creationis, humanæ naturæ sublimationem & exaltationem in consortium divinæ naturæ fuisse naturalem ejus conditionem, & consequenter hominem in pura natura fuisse conditum, juxta Bajum, quia hæ proprietates, cum quibus creatus fuit, ipsi erant naturales.

Quamvis enim Bajus ab hac voce, *Naturalis*, abstinuisset, hoc ipso quod asserit has prærogativas esse ita creaturæ rationali debitas, ut Deus non potuerit eas ipsi denegare, non minus sane damnandus atque damnatus fuisset; ergo cum F. Bellelli idem quod Bajus hac in parte doceat, non minori videtur censura notandus.

Verum quidem est quod F. Bellelli doceat prærogativas primæ creationis fuisse in aliquo sensu supernaturales. Sed in quo sensu? In eo nempe quod homo naturæ viribus eas sibi comparare non possit: neque in hoc a Bajo dissentit F. Bellelli; nam revera Doctor Lovanienſis non diffiteretur visionem Dei esse in eo sensu supernaturalem, quod eam naturæ viribus assequi non possimus. Vult tantum Bajus eam esse naturalem in eo sensu quod sit debita creaturæ rationali: ergo cum eandem intuitivam Dei visionem creaturæ, quatenus est imago Dei, debitam quoque contendat F. Bellelli, a substantia Bajanæ doctrinæ non recedit, quamvis in aliquo termino a Bajo discrepare videatur.

Verum neque in ipso hoc termino, *Naturalis*, omnino discrepat a Bajo F. Bellelli. Jam enim observavimus Theologum istum Jansenii vestigiis inhærentem, ut Pianam censuram eluderet, naturalem dixisse simul & supernaturalem elevationem creaturæ rationalis ad visionem Dei intuitivam. Sic eodem ore, modo affirmando, modo negando, atque contradictoria ad arbitrium asserendo, se expediunt Novatores.

Vide supra §. 3. n. 1. & 2.

V.

Instat F. Bellelli: *Si hæc propositio, pura natura est impossibilis, Bajana dicitur, ergo dicatur ubi, quando, sub quo numero inter Bajanas, & a quo Summo Pontifice proscripta recenseatur. Non, inquies, fuit explicite & sub conceptis terminis damnata, sed tamen legitima illatione ex jam proscriptis deducitur. Illationibus ergo, quæ interdum fallaces sunt, res tam gravis agitur de probro alteri inferendo.*

Quam vana sint quæ objiciuntur perpendamus. Diximus hunc Theologum docuisse impossibilem esse statum naturæ puræ. Hic habemus confitentem reum, neque sane hoc ipse diffiteri potest; sed in hoc illum a Bajo non recedere contendimus; licet enim propositio illa, *Impossibilis est status naturæ puræ*, conceptis terminis in scriptis Baji non reperiatur, neque inter propositione a Summis Pontificibus damnatas recenseatur, affirmamus tamen cum omnibus Orthodoxis doctrinam hac propositione enuntiatam in Scriptis Baji fuisse proscriptam a S. Pio V. Ergo cum eadem doctrina in Scriptis Fratris Bellelli reperiatur, eadem iuuri censura meretur.

Immerito conqueritur Theologus iste, quod illa doctrina illationibus tantum ex proscriptis propositionibus deducatur. Non illud solum contendunt Theologi; sed præterea volunt supradictam propositionem sub terminis æquivalentibus substantialiter & quoad omnes effectus in damnatis Baji propositionibus contineri. Similiter quando iidem Theologi asserunt possibilem esse puræ naturæ statum, illud asserunt, non solum tanquam veritatem, quæ ex dogmate definito per legitimam consequentiam infertur, sed tanquam ipsummet dogma a S. Pio V. definitum; non ergo illationibus præcise, quæ, ut ait F. Bellelli, interdum fallaces sunt, omnino confidimus, ubi res tam gravis agitur, de probro scilicet alteri inferendo; sed nuda expositione veritatis definitæ exprobramus F. Bellelli, quod asserendo impossibilem esse statum naturæ puræ, errores doceat hac propositione enuntiatos, & quos in Bajo proscripsit Summus Pontifex.

VI.

Cæterum quam parum sibi constet F. Bellelli, ut supra innui, patet ex diverso sensu quem eidem propositioni, *Impossibilis est status puræ naturæ*, tribuit: dum enim possibilitatem illius status rejicit, eam propositionem in eodem sensu, quo eam Catholici accipiunt, accipit & ipse Bellelli: cum vero Bajum impugnat, vel potius impugnare simulat, naturam puram appellat naturam illam, quæ est ordinata a Deo in intuitivam sui ipsius visionem, & quæ charitate cæterisque donis est prædita: sic in varias abit contradictiones: sed his parum movetur F. Bellelli, modo finem suum assequatur.

Si tamen Bajum sincere refellere voluisset, propositionem contradictoriam stabiliendo debuisset ostendere sensisse Bajum quod Deus potuerit condere rationalem creaturam absque donis supradictis. Sed hoc Bajus non docuit, imo expresse contrarium asserit. Id etiam non docuit F. Bellelli, cum idem revera cum Bajo sentiat; neque sane potest invidiosum istud doctrinæ suæ cum Bajana consortium declinare, Baji propositiones in sensus absurdos atque contradictorios derivando, nec censuram Apostolicam, quam incurrit, effugere.

VII.

Ut tamen Bajanam sententiam, cui mordicus adhæret, non dimittat, fallacias quas in priori opere, *de statu creat. rat. ante pecc.* in erroris sui patrocinium adduxerat, easdem iterat, atque infructuose repetit in Apologia sua, id est, in posteriori suo opere, *de modo repar. hum. nat. post lapsum*.

Dicimus, inquit, *gratiam Adamo innocenti debitam quidem fuisse, at non tanquam naturalem proprietatem ex intimis naturæ nascentem, quemadmodum perperam Bajus contendebat; sed tanquam supernaturale medium ex justissimæ providentiæ legibus præordinatum*. Et cap. sequenti: *Nec obest*, inquit, *quod ipse gratiam debitam humanæ naturæ asseruerim, cum sæpius & repetito stylo adversus Bajum inculcaverim debitam fuisse, non tamquam proprietatem, sed tanquam supernaturale altioris ordinis adjutorium ex lege justissimæ providentiæ, quæ nequit æquo jure obligare impotentem. Patet itaque*, pergit idem Theologus, *quod debitam dixerim, non naturæ secundum se inspectæ, sed quatenus sub divinæ Providentiæ dispositionibus constituitur*. Bellelli de modo repar. tom. 1. lib. 4. c. 17.

Incassum profecto recidunt omnes quos F. Bellelli adhibet conatus ad Bajanismi notam a se procul amovendam. Ea enim quæ in dolosa Apologia sua denuo profert ad sui defensionem jam alibi impugnavimus. Hic autem, sicut in priori opere suo, non aliter se se de Bajanismo purgare nititur, quam calumniose tribuendo ipsimet Bajo errorem omnino alienum a doctrina illius Novatoris, nempe debitam fuisse creaturæ rationali gratiam tanquam proprietatem naturæ, quod Bajus nusquam docuit. Vide quæ dicta sunt parte 1. hujus operis art. 3. §. 2. num. 3. 13. & 20.

VIII.

VIII.

Nec Bajaniſmi ſordes, quibus ſeſe turpiter coinquinavit, felicius abluit addendo quod gratiam illam debitam aſſeruerit, *tanquam ſupernaturale altioris ordinis adjutorium ex lege juſtiſſimæ Providentiæ*, vel debitam naturæ, *quatenus ſub divinæ Providentiæ diſpoſitionibus conſtituitur*. Doctrina enim hæc cum Janſeniana plane cohæret; nec inter utramque aliud poteſt aſſignari diſcrimen, quam in terminis. Docet quippe Janſenius gratiam cæteraque dona eſſe creaturæ debita, quia Deus, inquit, illud ſibi debet & ſuis attributis. Deum autem illud ſibi debere, & ſuis attributis, ſicut ait Janſenius, & Deum illud debere Providentiæ ſuæ, ſicut loquitur F. Bellelli, idem omnino ſonant atque ſignificant, nempe Deum non potuiſſe hæc dona denegare creaturæ rationali: imo Deum injuſtum fore ſi illa dona denegaret, impie aſſeruit Eremita noſter. Nam illius ſyſtemate, ſi Deus hæc dona denegaret creaturæ, creatura tunc, juxta illum, ad peccandum neceſſitaretur, & mandata divina illi evaderent ad obſervandum impoſſibilia: hunc enim intendit ſenſum, dum ait loco ſuperius laudato, debitam fuiſſe creaturæ rationali, *tanquam ſupernaturale altioris ordinis adjutorium ex lege juſtiſſimæ Providentiæ, quæ nequit æquo jure obligare impotentem*.

Quidquid ergo cauſetur F. Bellelli, in ſui tutelam, quibuſcumque verborum involucris ſuos obtegat errores, hoc ipſo quod docet gratiam eſſe creaturæ debitam, Deumque injuſtum fore, ſi eam denegaret, manifeſtum atque evidens eſt illum a doctrina in Bajo damnata circa impoſſibilitatem ſtatus puræ naturæ nullatenus recedere.

IX.

Libenter tamen hic iterum fatemur, quod, ſuppoſita ſemel Dei ordinatione, qua mere gratuito creaturam rationalem ad intuitivam ſui ipſius viſionem deſtinavit, illi conſequenter debeantur auxilia omnia ad ultimum finem ſuum aſſequendum neceſſaria. Sed quia gratuita plane eſt illa ad finem ſupernaturalem ordinatio, gratuita quoque cenſeri debent ſubſidia, quæ vi illius gratuitæ ordinationis creaturæ rationali impertiuntur.

Hæc tamen hypotheſis non placet Fratri Bellelli: aliter enim ſentit de ſupradicta ordinatione, quam putat in eo ſolummodo ſenſu fuiſſe indebitam, quod Deus potuiſſet creaturam rationalem non condere, ac proinde ad intuitivam ſui ipſius viſionem non deſtinare. Recte quidem; ergo rationale hominis, licet ſimul cum animali conſtituat ipſius eſſentiam, erit quoque juxta F. Bellelli ipſi homini indebitum, quia potuit Deus non creare hominem? Quanta abſurditas! In eo tamen ſenſu vult iſte Theologus quod deſtinatio ad viſionem intuitivam ſit indebita, quia ſcilicet *Deus*, inquit, *nihil extra ſe facere potuiſſet*. Sed ſuppoſita ſemel in Deo ſola voluntate condendi creaturam rationalem, diſerte aſſerit, Deum tunc debere illam ordinare in intuitivam ſui ipſius viſionem, & illi ſuppeditare media ad illam aſſequendam neceſſaria. Hæc tamen auxilia, licet debita, &, ſuppoſita ſola voluntate creandi, neceſſario debita, gratiam appellat. Quo jure, quave injuria? Quiſque judicet.

Hæc omnia a Fratre Bellelli accepta Janſenio referri debent in cujus officina fabricata ſunt. Quæ quam inepte a Magiſtro prolata fuerint, jam alibi obſervatum eſt, nec minus ſane abſurda in ore diſcipuli videri debent.

Vide ſupra parte 1. art. 3. §. 2. n. 12. & ſeq.

At ne Frater Berti e noſtra elabatur memoria, videamus ſequenti Paragrapho, num ſocio ſuo rectius ſentiat.

§. VII.

Quid ſenſerit F. Berti de impoſſibilitate ſtatus puræ naturæ.

SEntentiam F. Bellelli de impoſſibilitate ſtatus puræ naturæ, quam iſte durius atque abſque ulla verborum ambage tradiderat, aliquatenus emollire tentat F. Berti, verumtamen ab errore damnato in propoſitionibus Baji nullatenus recedit.

I.

Primum itaque in utramque partem agitat quæſtionem, ita tamen ut momenta, quibus probatur hæc poſſibilitas, vel enervet, vel omnino prætermittat, contra autem, argumenta, quibus Novatores hujus ſtatus impoſſibilitatem ſuadere tentant, multum ponderet, & plurimi facere videatur. Deinde antequam ſuam aperiat ſententiam in tam perplexa, ut ait, quæſtione, regulam ex Deuteronomio deſumptam tradit, quam perutilem arbitratur: *Non declinabis, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram*. O utinam divino monito paruiſſet F. Berti! Ad ſiniſtram ſane non declinaſſet. Poſtea enim quid ſentiat his verbis ſatis diſerte declarat. *Itaque*, inquit, *ab eorum placito qui puræ naturæ ſtatum putant eſſe impoſſibilem non erit penitus recedendum*. Non ergo cenſet F. Berti penitus eſſe recedendum ab eorum placito, qui puræ naturæ ſtatum putant eſſe impoſſibilem; atque ſi illius teſtimonio fidem adhibeamus, ab errore illorum Novatorum, ſaltem aliquatenus, recedit. Verumtamen quod ab iis nullatenus recedat, quamvis duobus lenimentis ſuam ſententiam temperare conetur, paucis probare ac demonſtrare aggredior.

Docet itaque primo *quod nullo titulo homini in prima conditione teneretur Deus impertiri charitatem habitualem, ſive gratiam ſanctificantem & ſupernaturalium virtutum habitus, & conſequenter integritatem & originalem juſtitiam hæc omnia complectentem primo homini debitam nequaquam fuiſſe, atque Deum poſſe creaturam rationalem condere abſque talibus ornamentis*. Sed ſi Bajana propoſitio non fuit damnata in eo ſenſu quod homini in prima conditione debita fuerit charitas habitualis, & cætera dona quæ illam conſequuntur, certe non ejurabitur error in Bajo damnatus, confitendo gratiam habitualem homini in prima conditione non fuiſſe debitam: Atqui Bajus nunquam docuit charitatem habitualem fuiſſe debitam homini in prima conditione; imo expreſſe aſſerit ſe in Opuſculis ſuis de illa non loqui. *An vero*, inquit in loco jam alibi laudato, *præter hunc animi motum, qui charitas dicitur, alia quædam habitualis atque accidentalis qualitas in voluntate ponenda ſit, quæ etiam charitas nuncupetur, non magnopere contendendum exiſtimo*. Igitur propoſ. 27. quæ, ſicut & cæteræ, damnata eſt in ſenſu ab aſſertore intento, damnata non eſt in eo ſenſu quod charitas habitualis fuerit debita homini in prima conditione: errorem ergo damnatum non rejiciunt qui circa hanc propoſitionem ſe orthodoxe ſentire contendunt, modo fateantur charitatem habitualem non fuiſſe debitam homini in prima conditione; quod omnino inſufficiens eſſe nemo non videt.

Berti in fin. tom. 2. Appendicis c. 3.

Bajus Op. de charit. c. 2. Vide ſupra art. 3. §. 2. n. 2.

Secundo, docet F. Berti, nec debitam fuiſſe Adæ actualem gratiam, *quatenus neque promereri illam potuit operatione aliqua præcedenti, neque exigebat eam primus homo, ut in ſe abſolute, & in genere ſpeciei ſuæ præditus eſſet naturali qualibet perfectione, quoniam per ſolam nativam facultatem intelligendi & volendi perfecta redditur rationalis creaturæ ſubſtantia. Nihilominus tamen conſiderata*, addit, *ut eſt imago Dei, & comparate ad ultimum finem, a quo divulſa incidit in ſummam miſeriam, oportebat ut ſupernaturali divinorum auxiliorum fulcimento ornaretur*. Verum Theologus iſte tali verborum apparatu nullatenus recedit ab errore Baji, qui nunquam docuit primum hominem promeruiſſe quibuſdam præcedentibus operibus gratiam actualem, nec unquam voluit hanc gratiam debitam fuiſſe primo homini, quatenus conſideratur in ſe abſolute, & in genere ſpeciei ſuæ ſed ſolummodo fuiſſe illi debitam quatenus miſer eſſet ſine illa? quod idem docet F. Berti in loco modo laudato.

Vide ſupra art. 3. §. 2. n. 17. Vide ſupra ibid. n. 19.

II.

Hæc ſunt duo lenimenta quibus F. Berti gloriatur ſe media incedere via, *non declinans ad dexteram neque ad ſiniſtram*; atque temperare & reſtringere ſententiam F. Bellelli & aliorum, qui dure docent impoſſibilem eſſe abſolute ſtatum naturæ puræ: ſed vel fallitur, vel fallere tentat incautos iſte Theologus; nam profecto dexteram deſerit, ut ad ſiniſtram declinet: F. enim Bellelli expreſſe aſſerit 1. Charitatem habitualem, ſeu gratiam ſanctificantem & ſupernaturalium virtutum habitus non fuiſſe debitos homini in prima conditione. *Conſtat*, inquit, *eam*, (ſcilicet juſtitiam originalem) *fuiſſe ſupernaturalem* (hoc eſt indebitam) *ex parte ſaltem, ſeu ut dici ſolet, inadæquate, qua parte ſcilicet gratiam ſanctificantem & virtutes infuſas includebat*. Vide ſupra §. 2.

Bellelli de ſtatu creat. ration. lib. 1. c. 22.

Docet etiam F. Bellelli 2. Non fuiſſe debitam gratiam actualem ex merito præcedentium operum, quæ nunquam extiterunt, nec exiſtere potuerunt ante primi hominis creationem; neque fuiſſe debitam primo homini, ut in ſe abſolute & in genere ſpeciei ſuæ conſiderato, ſed ſolummodo comparate ad ultimum finem a quo divulſus incideret in ſummam miſeriam. *Non enim*, inquit, *gratia illa ita debita fuit naturæ, ut aliquod opus meritorium eandem præceſſerit, aut ſicut naturæ ſunt debitæ ejuſdem proprietates, quæ ex ejuſdem viſceribus enaſcuntur, ſed debita fuit ex lege Providentiæ divinæ, quæ in neceſſariis non deficit*

Bellelli de ſtatu creat. l. 1. c. 19.

ſine cauſa, quoniam ſcilicet erat tunc gratia medium neceſſarium ſine quo divina mandata omnino ſervari non poterant. Vide ſupra §. 3. n. 4.

Cum itaque F. Berti idem ſentiat ac F. Bellelli de impoſſibilitate ſtatus puræ naturæ, eadem utrumque cenſura dignum eſſe nullus eſt dubitandi locus.

ARTICULUS III.

De amore Dei naturali.

I.

QUoniam F. Bellelli nullum admittit medium inter cupiditatem & amorem Dei ſupernaturalem ſeu charitatem, neceſſe eſt ut rejiciat quoque cum Bajo diſtinctionem duplicis amoris, videlicet, naturalis quo Deus amatur ut Auctor naturæ, & gratuiti quo Deus amatur ut Beatificator; & ideo ut amplectatur doctrinam in propoſitionibus 34. & 36. contentam; quod revera agit abſque ulla verborum ambage; nam cum adverſus ſuam de impoſſibilitate ſtatus puræ naturæ ſententiam ſibimetipſi objeciſſet Bullam S. Pii V. dictas propoſitiones proſcribentem, reſpondet eas non eſſe damnatas quantum ad doctrinam, ſed ſolummodo propter cenſurarum acerbitatem; & conſequenter doctrinam in iis propoſitionibus contentam tueri non veretur, modo abſtineat a ſententia contraria acrius perſtringenda. *Profitemur*, inquit, *nos diſtinctionem illam nulla cenſura perſtrictam velle; ſicut enim eandem a nobiliſſimis ſcholaſticis adinventam agnoſcimus, ita in ſua ipſam probabilitate, ſi quam auctores ſui eidem dedere, relinquimus. Scimus Bajum multiplici cenſura eandem inſecutum, dum criminatus eſt vanam, commentitiam, ad illudendum ſacris litteris excogitatam, & cum injuria Crucis Chriſti defenſam. Quapropter omni jure a Summis Pontificibus damnata fuit hæc tam libera in privato Doctore alienas ſententias criminandi acerbitas, ut patet ex proſcripta a S. Pio V. propoſitione 34. diſtinctio illa &c. & 36. Amor naturalis &c. Sed tamen*, ſic ille proſequitur, *cenſurarum acerbitate ſemota, reque ipſa nude inſpecta, facili negotio ex Auguſtini doctrina diluitur*, (Scholaſticorum objectio,) *etſi enim nunc concedamus diligi poſſe a rationali mente Deum ut Auctorem naturæ dumtaxat, contendimus nihilominus ſine dono gratiæ id fieri omnino non poſſe.*

Bellelli de ſtatu creat. ration. lib. 3. c. 2.

II.

Hæc ſatis perſpicua ſunt, nec ullo indigent commentario, ut perſuaſum habeamus F. Bellelli renovare doctrinam in propoſitionibus Baji 34. & 36. enuntiatam, & abſtinere tantummodo ab acerbiori ſententiæ oppoſitæ cenſura. Nec aliter violatæ Pianæ Conſtitutionis crimen a ſe propulſat, quam aſſerendo has propoſitiones damnatas non eſſe quantum ad doctrinam Auctoris in iis contentam, ſed ſolummodo ratione durioris ſtyli quo arguitur in eis ſententia contradictoria.

Verum quidem eſt quod, juxta nonnullos Theologos, quædam Baji propoſitiones damnatæ ſint ſolum propter acerbitatem cenſuræ, qua afficiunt ſententiam oppoſitam, non autem quantum ad ſubſtantiam doctrinæ; ſed ad memoriam nobis revocandum eſt id quod initio hujus operis adnotavimus, nempe quod, juxta omnes Orthodoxos, non liceat tueri, etiam quantum ad ſubſtantiam doctrinæ, propoſitiones illas quæ infamant oppoſitam ſententiam, quando eadem doctrina ejuſdem Auctoris ſuper eadem materia in aliis propoſitionibus damnata fuit: atqui in præſenti quæſtione res ſic ſe habet; nam doctrina quæ continetur in propoſitionibus 34. & 36. damnata fuit in propoſitione 38. ac etiam in propoſitionibus ſtatum naturæ puræ tanquam impoſſibilem admittentibus, ut alibi demonſtravimus: non ergo licet tueri doctrinam in propoſitionibus 34. & 36. contentam; & F. Bellelli, qui illarum patrocinium ſuſcepit, in cenſuram a S. Pio V. latam incidiſſe nemo poteſt inficiari.

Vide ſupra 1. parte art. 3. n. 2.

Vide ſupra 1. part. art. 3. §. 3.

Præterea, tametſi doctrina in ſupradictis propoſitionibus 34. & 36. enuntiata non eſſet damnata in aliis nonnullis Baji propoſitionibus, quomodo poſſet eam innoxie tueri F. Bellelli contra probabiliorem certe atque tutiorem ſententiam Theologorum aſſerentium omnes Baji propoſitiones, illas etiam quæ virgula quadam cenſoria inurunt Adverſarios, eſſe damnatas quantum ad doctrinam? Fuit-ne illi licitum, hoc prætextu, Pianæ Bullæ refragari?

III.

Etenim obiter obſervare licet, ſupradictam Theologorum ſententiam non carere multis, iiſque firmis rationibus atque argumentis, quorum nonnulla hic ſubjicere forte non erit ſupervacaneum. Innitur tur autem præſertim ipſis Pianæ Bullæ verbis; ſic enim habent. *Quas quidem ſententias ſtricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſint, in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento hæreticas, erroneas &c. damnamus, circumſcribimus, & abolemus.* Ex quibus verbis ſic argumentari licet.

Primo; nomine *ſententiarum*, quæ damnantur, intelligitur doctrina in propoſitionibus enuntiata, potius quam cenſura qua infamatur doctrina oppoſita; cenſura enim, qua infamatur doctrina oppoſita, non recte dicitur ſententia Auctoris, ſicut dicitur ſententia Auctoris doctrina in propoſitione enuntiata: ergo Summus Pontifex damnando ſententiam Baji, non tam damnavit cenſuram qua Bajus in aliquibus propoſitionibus infamavit doctrinam in iiſdem propoſitionibus enuntiatam.

Secundo, ſi S. Pius V. voluiſſet aliquas propoſitiones proſcribere propter ſolam acerbitatem cenſuræ, qua infamant ſententiam oppoſitam, illas tantum prohibuiſſet tanquam oppoſitas charitati & paci fidelium; non autem illas damnaſſet tanquam cenſura aliqua Theologica dignas; atqui damnavit illas tanquam cenſuris Theologicis dignas: nam omnes in globo damnavit, tanquam hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes reſpective; ergo & iſtas, de quibus agitur, damnavit non ſolum ratione cenſuræ qua infamant doctrinam oppoſitam, ſed etiam ratione doctrinæ in illis enuntiatæ.

Tertio. S. Pius V. declarat nonnullas e propoſitionibus damnatis aliquo pacto ſuſtineri poſſe, & tamen illas damnat in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento: atqui ſi damnari non mererentur ratione doctrinæ in eis enuntiatæ, Summus Pontifex rationem eas damnandi non eliceret ex proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, ſed ex aſſertorum audacia atque cenſura; ergo non propter cenſuram, ſed propter doctrinam quam proprius & rigoroſus verborum ſenſus continet, damnantur.

Quarto denique, quamvis Eccleſia prohibere poſſit, & aliquando prohibeat quaſdam propoſitiones propter acerbitatem cenſuræ qua infamant ſententiam oppoſitam, non tamen illas damnare ſolet tanquam cenſura Theologica dignas, nec eas in Conſtitutionibus ſuis dogmaticis confundit cum aliis propoſitionibus quæ hæreticæ ſunt, vel erroneæ &c.

Verumtamen ut Bajaniſmi in hac etiam parte convincatur F. Bellelli, ad hanc Theologorum probabiliorem atque tutiorem ſententiam recurrere non neceſſe habemus; cum doctrina in propoſitionibus 34. & 36. enuntiata damnata reperiatur, ut jam diximus, in aliis damnatis Baji propoſitionibus.

IV.

Nec a F. Bellelli diſſentit F. Berti, imo in hoc errore, ſicut & in cæteris, perfectiſſime concordant. Fatetur enim ſententiam quæ rejicit omnem amorem Dei naturalem omnimode cohærere cum illa, quæ ſtatum puræ naturæ contendit eſſe impoſſibilem; unde manifeſte ſequitur quod ii, qui docent impoſſibilitatem ſtatus puræ naturæ, denegare cogantur omnem naturalem Dei amorem. Porro in articulo præcedenti oſtendimus F. Berti, quamvis ementitis quibuſdam lenimentis ſententiam collegæ ſui temperare glorietur, nullatenus tamen ab illo differre, & revera velle quod ſtatus puræ naturæ ſit impoſſibilis; ergo illo ſatente nullus admitti debet amor Dei naturalis. Sic enim ipſe mentem ſuam aperit. *Quæret fortaſſe aliquis*, inquit, *an in ſtatu puræ naturæ Deum ſuper omnia poſſet homo diligere. Si ſtatum illum arbitraris poſſibilem, reſpondebis affirmative, eo quod tam Synodus Arauſicana, quam Auguſtinus & Doctor Angelicus videntur repetere dilectionem Dei ex gratiæ adjutorio, propter quod liberum arbitrium granditate primi peccati attenuatum ſit, & voluntas ob naturæ corruptionem magis ad bona commutabilia protendat. Si vero in oppoſitam ſententiam declines, reſpondebis idcirco a te ſtatum puræ naturæ denegari, quoniam in eo ſtatu teneretur homo ad amandum Deum ſuper omnia; atque ſi hoc faceret, bonam voluntatem haberet & ad vitam perveniret æternam, quod dubio procul divinæ gratiæ poſtulat adjutorium.*

Berti tom. 3. lib. 18. 2. 4

Habes hic F. Berti fatentem, quod ſi denegetur poſſibilitas ſtatus puræ naturæ, denegari etiam debeat quicumque naturalis amor Dei ſuper omnia, quia hic amor divinæ gratiæ poſtulat adjutorium, ac proinde naturalis eſſe non poteſt. Iſte autem Theologus amplexus eſt doctrinam de impoſſibilitate ſtatus puræ naturæ; ergo rejicit quoque naturalem omnem Dei amorem ſuper omnia.

V.

V.

Nec morari nos debet quod ibi loquatur F. Berti ſolummodo de amore Dei ſuper omnia, de quo unice agebatur in quæſtione quam tractabat, nam eadem eſt ratio de neceſſitate gratiæ ad quemcumque alium amorem; cenſent enim Bajaniſtæ, ut ſæpius dictum eſt, nullum eſſe medium inter charitatem & cupiditatem, inter opera quæ fiunt ex motivo cupiditatis, ſuntque peccata; & illa quæ fiunt ex motivo charitatis, & ſine divinæ gratiæ adjutorio (in quocumque ſtatu homo conſideretur) fieri non poſſunt; atque ideo ſine gratiæ Dei adjutorio hominem non poſſe vitare peccatum, nec conſequenter diligere Deum, etiam imperfecte.

Evidens eſt igitur F. Bellelli atque F. Berti renovare errorem Baji in propoſitionibus 34. & 36. damnatum.

ARTICULUS IV.

De operibus Infidelium.

BAjum in multis errantem, ut jam oſtendimus, ſecutus eſt F. Bellelli; nec eundem quidem deſerit circa opera, virtuteſque Infidelium minus Orthodoxe ſentientem. Licet enim claris atque perſpicuis verbis non videatur fateri cum Bajo omnia Infidelium opera eſſe peccata, ex ſenſu tamen, quem falſo adſcribit 25. propoſitioni Bajanæ, aliiſque ejuſdem Theologi teſtimoniis, eum ab illo Novatore nullatenus diſſentire evidenter deducitur.

I.

Contendit itaque Bajum in propoſitione ſua 25. inter opera Infidelium recenſuiſſe indeliberatos etiam voluntatis motus, qui, cum liberi non ſint, nequeunt eſſe peccata. Ex hoc enim capite falſam eſſe demonſtrat propoſitionem Baji, his verbis. *Errat ergo Bajus enormiter*, inquit, *dum indeliberatas actiones, quæ abſque libero voluntatis humanæ conſenſu, ſola impellente concupiſcentia fiunt, eſſe vere ait & proprie peccata.* Deinde *opera indeliberata corruptæ naturæ, etiam quæ mala ſunt, etiam quæ concupiſcentia impellente fiunt, vere & proprie peccata non eſſe liquido conſtat. Quod ſi opera indeliberata, quæ mala ſunt, non ſunt peccata, quæ bona ſunt & indeliberata, peccata cur erunt? Non omnia itaque Infidelium opera eſſe peccata, neque oportere Infidelem in omni opere peccare certum eſt.*

Bellelli de modo repar. tom. 1. lib. 5. c. 12.

Illud quoque certum eſſe in eodem ſenſu conclamabit Bajus cum Fratre Bellelli, illique perfecte acquieſcet ſi agatur de motibus indeliberatis, qui, cum non ſint actus humani, dici non poſſunt opera Infidelium.

II.

Verum craſſe ac ſupine errat F. Bellelli temere innuens non in alio ſenſu damnatam fuiſſe 25. Baji propoſitionem, niſi quia docet omnes omnino Infidelium actiones, etiam indeliberatas eſſe vera peccata. Hoc ſane nunquam docuit Bajus; nec ignorabat quæſtionem inter Scholaſticos hic moveri de actionibus dumtaxat deliberatis: imo & contrariam ſtatuit doctrinam in propoſitione 72. Nam licet velit prava deſideria, quæ invitus homo patitur, eſſe prohibita præcepto, *non concupiſces*, eſſeque veram legis inobedientiam, addit tamen in eadem propoſitione 72. tranſgreſſionem illam in peccatum non deputari. Non cenſet igitur Bajus opera indeliberata, quæ nullum ſecum adjunctum habent voluntatis conſenſum, eſſe peccata: ergo inconſulto ſupradictam 25. propoſitionem de actibus indeliberatis intelligendam eſſe, & in eo ſenſu damnatam privata ſua auctoritate decernit F. Bellelli. At quid dico, inconſulto? Fallor. Id totum de induſtria factum videtur, ut ſcilicet deliberata Infidelium opera omnia vera eſſe peccata, ut Bajus docuit, & ipſe, ſi poſſet, impune doceret.

III.

Nec minus illi fraudis ineſt, dum ut errorem ſuum de operibus Infidelium a cenſura liberet, nomine *Infidelium* vult intelligi, non ſolum eos qui veri Dei non habent notitiam, ſed illos etiam qui verum Deum agnoſcentes nondum habent fidem explicitam in Chriſtum. Iſti autem profecto Infidelis non ſunt, nec eos Infideles nuncupat Bajus. Doloſa quoque eſt & futilis ejuſdem propoſitionis 25. hæc alia expoſitio, quam & repetit tom. 2. in prop. 48. Queſnellii. *Omnia opera Infidelium ſunt, etiam ex officio, peccata.* Hæc enim verba, *etiam ex officio*, quæ propoſitioni 25. vellet addi F. Bellelli, a mente ipſius Baji ſunt omnino aliena.

Audiamus tamen Fratrem Bellelli hæc effugia approbantem atque adoptantem. *Plerumque enim Infideles*, ait, *antequam perfectæ fidei ſacrificium Chriſto offerant, gratiæ actualis adjutorio præventi opera quædam bona, etiam ſalutaria faciunt..... vel ſaltem honeſta quædam naturalia faciunt opera, bona quidem ex officio, ſed minime ad ſalutem conducentia.... ſi autem ſine fide opera quædam bona ex officio Infideles interdum faciunt, jure merito Theſis proſcripta fuit.* Et alibi, *Hæretica etiam propoſitio eſt enuntians Infidelem peccare in omni opere ſuo. Si quidem dum piis Infideles operibus ad veram fidem ſuſcipiendam, ſive orando, ſive eleemoſynas largiendo, ſive pœnitendo, ſive conſimilibus ſe præparant, non eos peccare, ſed bene operari fides rectiſſimè docet.*

Bell. de modo repar. t. 2. in prop. Queſn. 42.

Bellelli de modo repar. tom. 1. l. 5. c. 21.

IV.

In prima hujus operis parte demonſtravimus propoſitionem Baji non eſſe damnatam in eo ſenſu quod omnia opera eorum qui non habent fidem explicitam in Chriſtum, vel quod ea, quibus adulti diſponuntur ad fidem, ſint peccata: nec in eo etiam ſenſu quod nulla ſint Infidelium opera ex nulla parte bona; cum Bajus quædam illorum opera, tum ex objecto, tum ex fine proximo bona atque honeſta eſſe poſſe nunquam negaverit. Sed in eo erravit Bajus, in eoque damnatus eſt, quod docuerit Infideles, qui veri Dei notitia deſtituti ſunt, peccare in omnibus operibus ſuis, ſaltem defectu debitæ ordinationis in ultimum finem, ſcilicet Deum, quem ſibi non proponunt, nec proponere poſſunt, quamdiu remanent Infideles. Damnata igitur non eſt hujus Novatoris propoſitio in eo ſenſu, quem illi falſo adſcribit F. Bellelli, nempe quod omnia opera eorum, qui nondum credunt in Chriſtum, & ad fidem ſuſcipiendam ſe diſponunt, ſint peccata, vel quod Infidelium nulla ſint opera ex objecto bona; ſed in eo ſenſu damnata fuit, quod omnia opera Infidelium, eorum ſcilicet qui verum Deum ignorant, & propterea proprie vocantur Infideles, ſint peccata.

Vide ſupra part. 1. art. 3. §. 4. n. 4. 5. 6. & 7.

V.

Quamvis F. Bellelli Bajanam propoſitionem 25. in ſenſus ita extraneos atque abſurdos detorquendo, ſatis ſuperque ſuum de operibus Infidelium errorem manifeſtet, expreſſiori tamen adhuc ſtylo pluribus in locis mentem ſuam aperit, nec aliter, ſi principiis ſuis inhæreat, opinari poteſt. Cum enim nullum agnoſcat medium inter opera quæ procedunt ex motivo charitatis, & illa quæ fiunt ex motivo cupiditatis, neceſſe eſt ut fateatur Infideles qui verum Deum non norunt ſemper agere ex motivo cupiditatis, ac proinde ſemper peccare. Eodem itaque Bajano principio innixus, non aperte quidem cum Bajo docet Philoſophorum virtutes eſſe vitia, ſed a tali doctrina nullatenus recedit.

Contendit enim primo nullas in Infidelibus reperiri potuiſſe veras virtutes, *quia*, inquit, *caruerunt fide, quæ intentionem tendentis in Deum ultimum finem recte dirigit.* Addit ſecundo quod *Gentiles Philoſophi, qui gratia fidei penitus deſtituti fuerunt, non habuerint niſi officia bona, ſed juxta præceptum veræ ſapientiæ, ſeu rectæ rationis in debitum finem non ordinata, quin potius vitio Philautiæ atque ſuperbiæ corrupta.* Ex hoc teſtimonio numquid eruitur plenum ac perfectum Bellellinæ doctrinæ cum Bajana conſortium? Bajus quidem paucis nodum expediit, & abſque ullo verborum circuitu, Philoſophorum virtutes eſſe vitia declaravit: F. vero Bellelli circumſpectius agit; nec vult abſolute ut virtutum officia cum Bajo dicantur vitia. *Non itaque*, inquit, *abſolute cum Bajo vitia dicenda ſunt, ſed officia virtutum bona, quæ tamen perfectionem veræ virtutis non attigerint.* Quid, quæſo, iſtud eſt? Nonne in verbis ludit F. Bellelli? Nam primo veras Infidelium virtutes reprobat, licet S. Thomas doceat eas eſſe veras virtutes, non quidem veras ſimpliciter, ſed tamen veras, quamvis imperfectas virtutes, ſi referantur ad aliquod particulare bonum, quod ſit ordinabile ad finem ultimum. Deinde non vult abſolute Theologus noſter bona illarum virtutum officia poſſe dici cum Bajo vitia: ſed ore tenus id pronuntiat, mente intus diſſentiente. Quomodo enim virtutum officia dici non poterunt vitia, ſi ſunt vitio Philautiæ atque ſuperbiæ corrupta? Atqui talia ſunt juxta F. Bellelli, in infidelibus virtutum officia, *in debitum finem*, inquit, *non ordinata, quin potius vitio Philautiæ & ſuperbiæ corrupta.* Certe apud omnes, opus quantumcumque ex genere ſuo bonum hoc ipſo quod vitio Philautiæ atque ſuperbiæ, aut quacumque alio vitio corruptum eſt, in vitium vertitur, & ut tale ab omnibus habetur. Vitia ergo erunt in

Bellelli de modo repar. tom. 1. lib. 5. c. 29.

Ibid.

S. Th. 1. 2. q. 23. art. 7.

Infide-

Infidelibus bona virtutum officia. Renovat ergo F. Bellelli errorem damnatum in propositione 26. Baji, *Philosophorum virtutes sunt vitia*, quanquam erroneam doctrinam suam verbis diversis exprimat.

VI.

Licet F. Bellelli errorem suum circa Infidelium opera aperte satis manifestaverit, quædam alia ejusdem Auctoris testimonia referre ne gravemur, ut ipsius doctrina, quæ tota Bajana est, nemini dubia videri possit. Laudat enim in scriptis suis celebrem istam D. Pauli sententiam, *Omne quod non est ex fide peccatum est*, cujus verba contendit generaliter & ut plurimum intelligenda esse de vera Christi fide, quæ in rectum ac verum ultimum finem æternæ incommutabilis vitæ, quæ Deus est, opera nostra dirigit. Unde infert Infidelem deliberate agentem, & in talem finem, prout debet, opera sua non referentem, peccare. *Quapropter*, inquit, *Infidelis deliberate agens & in talem finem, prout debet, non referens peccat.* Bellel. ibid. c. 33.

Nec minus clara & dilucida sunt quæ subjungit cap. sequenti: asserit enim *Nudum operire, officio per se inspecto, inquantum est nudum operire, bonum esse, sed inspecto fine inquantum non est ex fide, esse peccatum.* Peccat ergo, juxta Fratrem Bellelli, Infidelis, etiam cum nudum operit, quia non habet veram fidem, quæ in rectum ac verum ultimum finem æternæ incommutabilis vitæ, quæ Deus est, opus suum dirigat. Quod confirmat ex mente S. Augustini Sancto Doctori calumniose imputata. *Cum agitur*, inquit, *de operibus plene deliberatis, studioseque propter finem faciendis, juxta mentem S. Augustini, non datur opus medium inter opus meritorium æternæ salutis, & opus malum, seu male factum, inter opus virtuosum & opus vitiosum. Nam vel voluntas refert, ut debet, opus bonum in ultimum finem, & tunc bonum facit & bene, id est, ordinate virtuoseque cum merito & fructu: vel non refert ut debet in ultimum finem, & tunc bonum male facit, & peccat.* Bellel. ibid. c. 34.

Quid in præsenti quæstione senserit Augustinus infra aperiemus. Hic obiter annotemus Fratrem Bellelli iterum confirmare Famosum illud Baji & Bajanistarum principium, ratione cujus nullum admittitur medium inter opera æternæ salutis meritoria, & peccaminosa: inter ea quæ fiunt ex motivo charitatis, & ea quæ ex cupiditatis motivo procedunt; juxta quod Infideles peccant in omnibus operibus suis, cum non possint agere ex motivo charitatis in Deum quem non norunt.

VII.

Idem argumentum sub aliis verbis versat F. Bellelli; docet enim quod ad hoc ut aliquod opus sit bonum requiratur bona intentio, quæ nihil aliud est, juxta hunc Theologum, quam amor Dei ordinans opus deliberatum in verum ultimum finem: cum autem talem Dei amorem non habeant Infideles, necessario sequitur quod peccent in omnibus operibus suis. *Ut bene*, inquit, *bona opera fiant, per rectam ultimi finis intentionem, saltem in fide inchoatam, sunt dirigenda, quæ pia animi erga Deum affectio sine gratiæ adjutorio haberi non potest. Cumque in praxi & individuo voluntas deliberate agens indifferens & media esse non possit, proinde fit ut carens omni adjutorio gratiæ ad Deum amandum, in amorem mundi pravum inordinatumque, seu in Philautiam suis viribus incidat & peccet.* In hoc ultimo loco F. Bellelli docet, non solum omnia opera Infidelium esse peccata, sed etiam liberum arbitrium sine gratiæ adjutorio non valere, nisi ad peccandum, & nullum dari medium inter opera quæ fiunt ex charitatis motivo, & illa quæ fiunt ex motivo cupiditatis, suntque peccata, quæ singula tot sunt Bajani systematis capita. Bellel. ibid. cap. 32.

Et cap. 35. ejusdem Libri sic habet. *Bona intentio*, inquit, *quæ ordinat deliberatum opus in verum ultimum finem, est amor Dei..... quo pervenitur ad Deum ..... amor autem Dei, quo pervenitur ad Deum, non est sine gratia Dei per Jesum Christum, & consequenter nec sine fide ..... inde recte intulit* (Augustinus) *Infidelium vitutes, in quibus deficiente fide ex Jesu-Christi auxilio, deest quoque amor Dei quo pervenitur ad Deum, non esse veras virtutes.* Infideles ergo, quibus deest amor Dei, & quibus inesse non potest, quamdiu Infideles sunt, quia scilicet talis amor, juxta Fratrem Bellelli, *non est sine gratia Dei per Jesum-Christum, & consequenter nec sine fide*, non poterunt nisi peccare in omnibus operibus suis, & illorum virtutes nihil aliud esse poterunt quam vitia. Quid amplius docuit Bajus quod non doceat F. Bellelli? Nonne ergo in ipso Bajanismum revivisere manifestum est? Bellel. ibid. c. 35.

VIII.

Augustini tamen auctoritatem reclamat F. Bellelli; sed frustra: nec enim ignoramus quam confidenter unam S. Doctoris doctrinam se in libris suis expressisse jactitet. De eo quidem Bajus gloriabatur: & ex eodem fonte Jansenius quoque totum suum hausisse systema venditabat: ac luce meridiana clarius est Augustini doctrinam a Bajana & Bellellina toto cælo distare. Quamvis autem mens nostra non sit singillatim expendere singula quæ F. Bellelli in errorum suorum patrocinium adducit, nec ad illum debellandum ipsiusque errores confutandos ad alia discurrere arma, quam ad Summorum Pontificum Constitutiones; quia tamen variis Augustini testimoniis ex cap. 3. lib. 4. contra Julianum desumptis misere abutitur, ex quibus etiam infert doctrinam in propositionibus 25. & 26. damnatam, nihil ab Hipponensi doctrina differre, ut quantum allucinetur & cæcutiat ostendamus, brevem hic prædicti cap. 3. libri 4. adversus Julianum subjiciemus Analysim.

Supponendum est 1. S. Augustinum nunquam docuisse omnia Infidelium opera esse peccata, imo perspicue docet in eis inveniri aliquando quædam opera, etiam inspecto fine, quæ sunt immunia a peccato. *Quorum etiam impiorum, inquit, nec Deum verum veraciter justeque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel audivimus, quæ secundum justitiæ regulam, non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus; quamquam si discutiantur quo fine fiant, vix inveniantur quæ justitiæ debitam laudem defensionemque mereantur.* Deinde. *Sicut non impediunt a vita æterna justorum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur, sic ad salutem æternam non prosunt impio aliqua bona opera sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.* Inveniuntur ergo, juxta Augustinum, in Infidelibus quædam opera non peccaminosa: Unde Epist. 144. laudat temperantiam cujusdam Polemonis Pagani, atque ait ad immortalitatem valituram, si fides accederet; ac proinde censet ipsam ratione finis esse bonam. Et sermone 349. de tempore, duplicem distinguit charitatem, divinam scilicet & humanam, additque istam aliquando licitam esse, imo ita licitam, ut si defuerit reprehendatur, atque esse posse & Impiorum, id est, Paganorum, Judæorum & Hæreticorum. Augus. lib. de spir. & litt. c. 27. Ibid. c. 28.

Supponendum est 2. quæstionem quæ agitatur in prædicto Libri quarti adversus Julianum capite tertio, cujus initium in Editione Benedictina notatur numero 14. eam esse, scilicet an in Infidelibus essent, non solum opera immunia a peccato, sed an essent in illis virtutes, quibus recte vivitur. *Soletis enim*, inquit Juliano Augustinus, *negantes Dei dona esse virtutes quibus recte vivitur, & ea naturæ voluntatique humanæ, non gratiæ Dei tribuentes, hoc uti argumento, quod eas nonnumquam habeant Infideles.* Hunc autem vehementer arguit S. Doctor, & exemplum afferens de pudicitia conjugali ait, veram non esse pudicitiam, *quando a vero Deo animus fornicatur.* Quis non videat S. Doctorem hic loqui de virtutibus quibus recte vivimus, & quibus meremur vitam æternam? Nam juxta hunc intellectum valet hæc S. Augustini raciocinatio. Infidelis homo infidelitate sua fornicatur a vero Deo; ergo non habet veras virtutes, quibus recte vivitur; & e contra absurda & inepta foret hæc consequentia. Infidelis homo fornicatur a vero Deo, ergo omnia illius opera sunt peccata & virtutes illius sunt vitia. S. Aug. lib. 4. cont. Julianum c. 3. n. 14.

In eodem sensu refellens Julianum docentem Impios alienos a fide abundare virtutibus. *Absit*, inquit, *ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus. Absit autem ut sit justus vere, nisi vivat ex fide.* Et paulo inferius. *Si ergo ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides quæ in Christo est vera promittit, nihil prosunt homini virtutes, nullo modo possunt esse virtutes.* Unde S. Thomas citans hunc Augustini locum docet quod *virtus vera simpliciter est illa quæ ordinat ad principale bonum hominis*, & quod in eo sensu *nulla vera virtus potest esse sine charitate.* Addit tamen quod *si accipitur virtus secundum quod est in ordine ad aliquem finem particularem, & ordinatur ad aliquod particulare bonum..... erit quidem vera virtus, sed imperfecta, nisi referatur ad finale & perfectum bonum.* Ibid. n. 17. Ibid. n. 19. S. Th. 2.2.q. 23. art. 7.

IX.

Cum autem Julianus objeciisset virtutes pro judicio voluntatis, cujus nutui serviunt, aut ad æterna, aut ad temporalia dirigi, nec in eo quod sunt, nec in eo quod agunt, sed in eo solo variare quod merentur, addens quod *nec nominis sui igitur possunt, nec generis sustinere dispendium, sed solius quod appetiverunt præmii aut amplitudine ditantur, aut exilitate frustrantur;* respondet Augustinus ex eo *consequens esse ut vera sit virtus avarorum prudentia qua excogitant genera lucellorum, & avarorum justitia, qua gravium damnorum metu facilius sua nonnumquam contemnunt quam usurpant aliquid alienum, & avarorum temperantia, qua luxuriæ,*

riæ, quoniam fumptuoſa eſt, cohibent appetitum, ſoloque neceſſario victu tegumentoque contenti ſunt, & avarorum fortitudo &c. cujus conſequentiæ abſurditas perſpicua eſt.

Ibid. n. 21. Et poſtea ſubdit. *Noveris itaque non officiis ſed finibus a vitiis diſcernendas eſſe virtutes. Officium autem eſt quod faciendum eſt: finis vero propter quod faciendum eſt. Cum itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, ſi non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur.* Avide arripiunt Novatores hæc S. Doctoris verba quaſi errori ſuo multum faverent, nec minus callide quæ ſequuntur excipiunt. *Quidquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit, etſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt.*

Sed turpiter fallunter; vera enim eſt, ſaltem juxta Theologos illos, qui juremerito nullos admittunt actus indifferentes in individuo, hæc univerſalis propoſitio, nempe quod peccare convincitur, & quod non recto fine peccat ille qui aliquod opus non propter hoc facit propter quod facere debet; ſed Infideles, etſi peccent non præſtituendo finem ultimum quem ſibi præſtituere debent, nempe Deum, non tamen peccant, ut alibi diximus, in omnibus actibus, dum ſibi proponunt aliquem finem particularem, modo ille finis particularis ſit in Deum ordinabilis, quamvis in illum non ordinetur, neque actu, neque virtute. Unde ex hac univerſali propoſitione non ſequitur Infideles peccare in omnibus operibus ſuis. Peccant quidem frequentiſſime, tum cupiditate, tum infidelitate, opera ſua detorquentes in malum finem; ſed ſi ea referrent ad finem aliquem particularem ordinabilem in Deum, quod & facere poſſunt, & etiam aliquando faciunt, non peccarent. Ita Eſtius, ita Sylvius & alii. Nec minus premit Julianum hæc Auguſtini ratiocinatio ſic intellecta; invicte enim probat Infideles, neque abundare virtutibus, neque habere virtutes quibus recte vivant, quod unice probandum ſuſceperat Sanctus Doctor in hoc Libri 4. contra Julianum Capitulo.

Vide upra part. 1. art. 4.

Eſtius n 2. diſt. 41. §. 4. Sylvius in 2. 2. q. 10. art. 4. ad 8.

X.

Quia autem Sanctus Doctor urſerat hunc Apoſtoli locum, *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*, ut probaret Infideles non habere virtutes quibus recte vivant, ſic inſtat Julianus. *Si Gentilis*, inquit, *nudum operuerit, numquid quia non eſt ex fide peccatum eſt?* Et reſpondet Auguſtinus. *Prorſus inquantum non eſt ex fide, peccatum eſt, non quia per ſe ipſum factum, quod eſt nudum operire, peccatum eſt, ſed de tali opere non in Domino gloriari, ſolus impius negat eſſe peccatum.* Iſto quoque Bajaniſtæ abutuntur loco, ut ſuadeant, ſi fieri poſſet, omnia Infidelium opera eſſe peccata. Verum non hoc dicit Sanctus Doctor; ait enim ſolummodo quod hoc opus, in quantum non eſt ex fide, peccatum eſt, & quod de tali opere non in Domino gloriari eſt peccatum. Si autem in ea fuiſſet ſententia, quod omnia prorſus Infidelium opera eſſent peccata, nullam in ſua reſponſione adhibuiſſet limitationem, aut reſtrictionem: fatetur ergo de operibus Infidelium, etiam ex objecto laudabilibus, quod ſint peccata, non præciſe propter fidei abſentiam, ſed ratione finis perverſi quem in agendo ſæpiſſime ſibi proponunt Infideles. Hic enim erat diſputationis Auguſtinum inter & Julianum unicus Scopus, an ſcilicet in Infidelibus eſſent veræ virtutes quibus recte vivitur, quibus homo juſtus efficitur, & an Infideles abundarent virtutibus. Dum autem addit hæc verba, *de tali opere non in Domino gloriari ſolus impius negat eſſe peccatum*, ſatis ſuperque ſignificat Infidelem, de quo loquitur, nudum operiendo gloriari de opere ſuo & tamen non in Domino gloriari, ac conſequenter pravum finem intendere. Et quidem ſi S. Auguſtinus ibi complecti voluiſſet etiam illum Infidelem, cujus opus, non ſolum ex objecto, ſed etiam ex fine proximo eſſet bonum nullaque prava circumſtantia vitiatum, ſane impietatis ita aſſeveranter non argueret eos qui talem Infidelem a peccato cenſerent eſſe immunem. Patet ergo S. Doctorem ibi loqui de Infidelibus pravum finem, ut ſæpiſſime contingit, ſibi proponentibus.

S. Aug. lib. 4. cont. Julianum c. 3. n. 30.

Hunc intellectum confirmat Sanctus ipſemet Doctor, dum in fine prædicti capituli moderans ſuam diſputationem, ſic ait: *Quoniam*, inquit, *ſaltem concedis opera Infidelium quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad ſalutem ſempiternam regnumque perducere; ſcito nos dicere illud bonum ſine Dei gratia per Chriſtum nemini poſſe conferri, per quod ſolum homo poteſt ad æternum Dei donum regnumque perduci.* Quibus verbis innuere videtur, inquit Eſtius, ſibi ſatis eſſe ad cauſam Catholicam, quam ſuſceperat defendendam, ſi obtineat non hujus generis bona fieri poſſe ab Infidelibus, quæ eos ad æternam ſalutem promoveant.

S. Aug. ibid. n. 33.

Eſtius in 2. diſt. 41. §. 4.

Deinde ita proſequitur S. Doctor. *Omnia proinde cætera quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona & ſine ullo facta peccato. Quod ad me pertinet hoc ſcio, quia non ea facit voluntas bona, voluntas quippe infidelis atque impia non eſt bona.* Non multum ergo curat Auguſtinus an Julianus admittat in Infidelibus opera bona & facta ſine peccato, modo fateatur eorum voluntatem non eſſe bonam, ſcilicet, ut ipſemet exponit, talem non eſſe voluntatem qua homo efficiatur juſtus, & quæ eum perducat ad regnum Cælorum: ergo impietatis arguendum eſſe non cenſet Julianum S. Doctor, eo quod dicat omnia Infidelium opera non eſſe peccata: ergo quando ſuperius aſſeruit S. Auguſtinus ſolum impium negare peccata eſſe opera Infidelium ex objecto bona, ſi de illis non in Domino glorientur, intelligi debet de operibus illis in quibus Infideles, ut fere ſemper accidit, pravum quendam finem ſibi proponunt, non autem de illis quæ ſunt, non ſolum ex objecto, ſed etiam ex fine proximo bona, nullaque prava circumſtantia vitiantur, quaſi juxta tantum Doctorem Infidelium opera peccata eſſent per ſe, ratione ſui, & propter fidei abſentiam; quod eſt falſiſſimum, & a mente S. Doctoris alieniſſimum.

Mitto innumera fere alia quæ ex Auguſtino colligunt teſtimonia Novatores, ut aliquid præſidii ſuis erroribus concilient. Sed quam parum pro ipſis ſtet & pugnet Auguſtinus invicte demonſtrant Catholici: demonſtrat & ipſamet Eccleſia, quæ Auguſtini doctrinam circa fidei dogmata ſemper probavit, ac ſummis exornavit laudibus, dum Baji doctrinam reprobavit ſemper atque proſcripſit. Ergo cum Bellellina doctrina eadem ſit ac Bajana, utraque digna videtur, quæ eadem configatur cenſura. Antequam tamen huic articulo finem imponamus, an F. Berti eandem meruerit pœnam nobis perpendendum occurrit.

XI.

Quærit F. Berti quid ſtatuendum ſit de operibus eorum qui gratia fidei ſunt deſtituti. Quæſtionem decidit S. Pius V. definiendo omnia Infidelium opera non eſſe peccata. Quid ad hæc F. Berti? Ad propoſitam quæſtionem ſudat ille ſatis, nec quod in mente habet audet reponere. Ea tamen quæ reſpondet nullatenus ſane cum Summi Pontificis definitione cohærent. Docet enim hominem lapſum abſque Dei adjutorio non poſſe non obedire concupiſcentiæ. *Homo lapſus*, inquit, *magis ſe delectat ſe ipſo quam ſummo bono, ſi non ei ſancta delectatio inſpiretur, quoniam ſine hujus delectationis dono prævalet rationi concupiſcentia, cujus deſideriis non obedire..... abſque gratia ſalvatoris non poſſumus.* Illa autem gratia ſalvatoris, cum nihil aliud ſit in illius doctrina, quam inſpiratio charitatis, deeſt Infidelibus; non enim poſſunt Deum, quem non norunt, diligere, nec ad eum diligendum excitari. Ergo ſi F. Berti ſyſtemati adhæreamus, neceſſario inferendum erit omnia Infidelium opera eſſe peccata. Illum autem errorem a S. Pio V. reprobatum expreſſis verbis hic aſſerere non audet; non tamen negat omnia Infidelium opera eſſe peccata, ſed quæſtionem eludere conatur, quatuor in medium adducendo propoſitiones, quæ quidem nihil enuntiant quod ſit falſum, vel ſaltem cenſura dignum, ſed quæ quæſtioni propoſitæ non faciunt ſatis.

Berti tom. 3. lib. 18. c. 3.

Prima igitur illius propoſitio ſic habet. *Multa fiunt etiam ab Infidelibus & impiis, quæ ſi operum honeſtatem inſpicias & officia virtutum, habent decus laudis, neque ratione operis appellantur peccata.* Veritas hujus propoſitionis ſatis per ſe patet: de ea nullum eſt dubium apud Orthodoxos, imo eam lubenter admittit Bajus. *Non itaque de officiis, inquit, mihi quæſtio eſt, quæ aliqua ex parte poſt lapſum in natura humana remanſerunt integre; ſed de virtutibus quæ etiam finibus diſtinguuntur a vitiis.* Nec negant Bajaniſtæ, Infideles multa operari quæ ex officio bona ſunt, v. g. eleemoſynam largiri pauperibus, honorem deferre parentibus, depoſitum reddere &c. ſed contendunt illa omnia eſſe peccata, quia ab Infidelibus nunquam referuntur in debitum finem.

Bert. lib. 18. c. 2.

Bajus de vir Imp. c. 2.

2. Propoſitio. *Virtutes Infidelium ut plurimum*, inquit, *ſunt germen inutile & marceſcens..... nimirum cum ſit in illorum corde radix cupiditatis, ſolent bona opera, aut ad inanem gloriam, aut ad cupiditatem referri. In eo autem caſu nullus negat hujuſmodi virtutes vitio, aut Philautiæ, aut inhoneſtatis labefactari.*

Bert ibid.

Veriſſima quoque eſt hæc propoſitio: ait enim Auguſtinus loquens de operibus Infidelium, quod *ſi diſcutiantur quo fine fiant, vix invenientur quæ juſtitiæ debitam laudem defenſionemque mereantur.* Nec aliud dicere quam quod dixit Auguſtinus prima fronte videtur Theologus noſter, dum ait eorum opera, ut plurimum, eſſe germen inutile & marceſcens. Sed iſtam vocem, *ut plurimum*, fuiſſe fraudulenter adjectam mox videbimus, poſt recenſitas duas poſtremas propoſitiones.

S. Aug. de ſpir. & litt. c. 27.

3. Pro-

3. Propositio. *Alio quoque ex capite, quæ sine Christi gratia ab Infidelibus peraguntur, nequeunt inter virtutes connumerari, scilicet quia nihil conferunt ad veram & Christianam pietatem.* Hæc propositio pertinet ad fidem, quatenus asserit absque gratia nihil fieri posse quod conferat ad veram & Christianam pietatem; & in eo sensu docet S. Thomas virtutes Infidelium, licet veræ virtutes sint, non esse tamen *simpliciter* veras virtutes.

S. Th. 2. 2. q. 23 art. 7.

4. Propositio. *Quidquid boni Infideles patraverunt, dicendi sunt non sine superna illustratione, ut plurimum, patrasse: non autem eis necessaria fuit, aut est ad non peccandum fides habitualis, nec gratia remissionis peccatorum.*

XII.

ic videtur confiteri Theologus noster Infideles patrare aliquando quædam opera bona, cum auxilio tamen divinæ gratiæ. Sed nomine Infidelium non intelligit solummodo eos qui Deum non norunt, sed eos etiam complectitur, qui Christum ignorantes Deum tamen verum cognoscunt, atque ex motivo charitatis operantur. Cum enim hoc sibi objecisset argumentum, *Apostolus ait*, Omne quod non est ex fide peccatum est; *Infideles fide destituti sunt: ergo quidquid Infideles operantur peccatum est*: Huic syllogismo respondet distinguendo & explicando Apostoli textum, negatque intelligendum esse hunc textum, *ita ut nullus Gentilium, antequam Christo se devoveat, & habituali fide exornetur, possit recta voluntate operari*. Complectitur ergo nomine Infidelium F. Berti omnes illos qui nondum Christo se devoverunt.

Berti tom. 3. lib. 18. c. 2. in resp. ad object. 1.

In alio quoque loco ea solummodo Infidelium opera confitetur esse bona, quæ ante fidem explicitam in Christum, referuntur in Deum fide cognitum. *Ante explicitam fidem in Christum*, inquit, *potest per gratiam excitari in nobis fides in Deum & sancta cogitatio, quæ sufficiat ad referenda opera nostra in ipsum Deum, ita ut plura Infidelium opera bona sint, in illorum quoque sententia, qui ad omne opus bonum, cum gratiam, tum relationem in Deum existimant necessariam.* Quod autem Theologi illius sententia sit gratiam necessariam esse ad omne opus bonum patet ex loco supra relato, *ubi asserit quod concupiscentiæ defidertis non obedire ..... absque gratia non possumus.* Quod autem ad omne opus bonum sit quoque necessaria, juxta F. Berti, relatio in Deum videbimus infra articulo ultimo.

Berti tom. 3. lib. 15. c. 4. in resp. ad penult. obj.

Berti tom. 3. lib 18. c. 3.

Et quidem dum in quibusdam Infidelibus agnoscit opera non peccaminosa, loquitur de iis Infidelibus qui cum auxilio gratiæ operantur. *Potest*, inquit, *per gratiam excitari in nobis fides in Deum;* ac proinde de iis quibus inspiratur charitas, cum gratia nihil aliud sit in suo systemate, quam inspiratio charitatis. Inspirari autem non potest charitas, seu amor Dei iis qui Deum ignorant. Supereſt ergo quod nulla admittat in iis qui verum Deum ignorant, opera a peccato immunia, & consequenter quod omnia Infidelium opera sint peccata. Unde ulterius patet quod supra diximus, vocem istam, *ut plurimum*, in loco superius laudato fuisse fraudulenter adjectam.

Et vero ad hoc ut immunes sint a peccato ii quos Infideles nuncupat, docet quidem non requiri fidem habitualem, nec gratiam remissionis peccatorum; sed de industria silentio præterit hanc, de qua agebatur, quæstionem, nimirum an ad non peccandum necessaria sit fides & gratia actualis, sive an omnia opera illorum, quibus deest fides actualis, sint peccata: & de illa nullum verbum. Et jure merito a sententia sua clare declaranda consulto abstinuit; nam si partem affirmativam amplexus fuisset, in censuras a S. Pio V. adversus Bajanismum latas haud dubie incurrisset: si autem partem negantem tueri elegisset, sibi ipsi & suis principiis contrarius existeret. Maluit itaque altum de hac quæstione retinere silentium, quam semetipsum ultro in inevitabile conjicere præcipitium. Non minus tamen certe atque evidenter ex ejus principiis colligitur error a S. Pio V. damnatus in propositionibus 25. & 26. nempe omnia Infidelium opera esse peccata, & Philosophorum virtutes esse vitia, ideoque propositioni 25. conatur varios & distortos affingere sensus, quos commenti sunt Bajanistæ ut se censuris Pontificiis subducant.

XIII.

Contendit itaque 1. Bajum & Quesnellium solam agnovisse fidem habitualem, & in eo consequenter sensu damnatam esse Baji propositionem, quod velit peccata esse omnia illorum Infidelium opera, qui fide habituali carent. *Infideles*, inquit, *destituti sunt fide habituali, & cum gratia sanctificante conjuncta, quam solam veram gratiam esse Bajus & Quesnellius existimarunt.* Et paulo inferius. *A quibus* (scilicet Novatoribus) *nulla gratia admittitur præter habitua-*

Berti tom. 3. l. 18. c. 2. in resp. ad 1. Ibid. in resp. ad 4.

lem, neque opus aliquod in peccatore, nisi perversum atque damnabile. Verum quod Bajus nunquam docuerit omnia eorum opera esse peccata, qui habent fidem & amorem Dei actualem, si fide habituali sint destituti, certum est atque indubitatum, ut jam alibi diximus.

Vide supra part. 1. art. 3. §. 1. n. 12. sub fi. nem & alibi.

Contendit 2. F. Berti, non uno tantum, sed pluribus titulis Theologos sui ordinis a sectariis discriminari. Hæc propositio universaliter sumpta, est insigniter falsa, nam & Fratrem Bellelli, & ipsum Fratrem Berti a sectariis nullatenus discriminari invicte demonstramus. Quod autem spectat alios ejusdem ordinis socios, illos recte quidem ac Catholice sentire posse non diffiteor. Quod tamen sodalibus suis tribuit F. Berti, non alio animo excogitatum videtur, nisi ut ipse (non quidem illi, quod absit, eos enim fidei Catholicæ maxime addictos ac Ecclesiæ obsequentissimos habeo) nisi, inquam, ut ipse F. Berti sic tentet eludere censuram, tum prop. 25. qua asseritur omnia Infidelium opera esse peccata, tum propos. 28. quæ sic habet: *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet*; de qua in articulo sequenti.

Primo enim, inquit, *nostratium singuli absque ullo vitio esse fatentur in unoquoque quantumvis improbo homine appetitum beatitudinis, quem natura in malis suis non potuit amittere: deinde negant motus indeliberatos ad damnationem imputari contra impiam Novatorum istorum doctrinam: admittunt insuper actualem gratiam sine remissione peccatorum cum Catholicis omnibus, cum illam denegent Theologicorum dogmatum inversores, ac propterea concedunt a Paganis & sceleratissimis aliquid boni interdum fieri per gratiæ adjutorium, adversus Bajum ejusque gregarios. Non ergo uno tantum, sed titulis pluribus nostri Ordinis Theologi a sectariis discriminantur.* Et infra: *Ad Bajum quod attinet, dictum supra ab eo nullam admissam fuisse gratiam habitualem, & nullum in peccatore vel Infideli opus quod peccati macula intrinsece non vitietur: quam impiam hæreticamque doctrinam Catholici omnes repudiant.*

Ibid. art. 31.

Ibid.

XIV.

Quidquid autem sit de sententia Theologorum ejusdem cum Fratre Berti ordinis, non minus evidens est quod ipse sodalem suum Fratrem Bellelli sibi ad imitandum proposuerit. Ambo enim iisdem utuntur effugiis: ambo eadem incedunt via, eodemque procedunt modo, ut Catholicis illudant, Bajanamque doctrinam defendant. Sufficiat ergo iterum observare Baji propositiones in Opusculis istius Novatoris, eum non habere sensum quem eis uterque falso tribuit, nec proinde in eo sensu fuisse damnatas a Summis Pontificibus: sufficiat observare utrumque propositiones damnatas in alienos sensus detorquere ut errores Baji a censura, si fieri posset, eximant, sicque eorum patronos atque fautores se se exhibeant; imo, quamvis non iisdem verbis, eandem tamen cum Bajo circa Infidelium opera doctrinam profitentur.

ARTICULUS V.

De necessitate gratiæ ad vitandum peccatum.

I.

CErtum est atque indubitatum, ut jam alibi diximus, Summum Pontificem damnando hanc Baji propositionem 28. *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet*, non tamen damnasse nonnullorum Theologorum sententiam docentium nullum absque adjutorio gratiæ fieri posse actum ex omni parte moraliter bonum. Cum enim admittant actus indifferentes in individuo, id est, qui nec sint boni, nec mali moraliter, sententia illorum nullatenus favet Bajanæ propositioni: Liberum enim arbitrium, juxta illos, sine gratiæ Dei adjutorio valet ad non peccandum, nempe ad exercendos actus aliquos indifferentes, etsi non valeat ad ullum opus ex omni parte moraliter bonum.

Neque etiam damnatur opinio illorum Theologorum qui docent ad opus quodlibet moraliter ex omni parte bonum, necessarium esse aliquod auxilium speciale, non quidem supernaturale, sed naturalis ordinis, indebitum tamen naturæ lapsæ, & quod non nisi ex meritis Christi datur; non damnatur, inquam, hæc opinio Theologorum, illorum etiam qui omnem actum in individuo indifferentem repudiant; nam etiamsi ex hac sententia sequatur liberum arbitrium absque ejusmodi gratiæ auxilio non valere nisi ad peccandum, quia tamen nomine gratiæ proprie dictæ, juxta communem usum loquendi, non intelligitur gratia hæc ordinis naturalis, a Piana censura immunes sunt qui liberum arbitrium asserunt absque talis gratiæ adjutorio non nisi ad peccandum valere. Ita sensisse videtur Cardinalis Norisius.

Multo minus denique damnatur opinio Theologorum illorum qui docent absque ejusmodi gratia naturalis ordinis liberum arbitrium valere quidem ad

non

non peccandum, ſed a peccato nunquam abſtinere, ſeu, quod idem eſt, auxilium gratiæ ad omne opus ex omni parte moraliter bonum neceſſarium eſſe ſola neceſſitate conſequenti, & non antecedenti, ad ſolam efficaciam, & non ad ſufficientiam & poteſtatem antecedentem agendi. Hæc, ut jam dixi, damnata non ſunt; & variæ opiniones illæ, nemine reclamante, in Scholis Catholicis libere propugnantur. De perverſa autem opinione Baji longe aliter ſentiendum eſt: ideo enim contendit liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio non niſi ad peccandum valere, quia ad hoc ut non peccet tenetur agere ex motivo charitatis, quod fieri nequit abſque gratiæ auxilio: ſi autem ex motivo charitatis non agat, agit, juxta illum, ex motivo cupiditatis, & peccat; nullum enim inter hæc duo Bajus admittit medium: unde neceſſe eſt in illo ſyſtemate, ut liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio non niſi ad peccandum valeat, & peccatum vitare non poſſit.

II.

Hanc Baji doctrinam, quam Janſenius pertinaciter tueri non erubuit, denuo ſuſcitavit Queſnellius propoſ. 38. quæ ſic habet: *Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſine gratia Salvatoris.* Nec diverſa docet, aut docere poteſt F. Bellelli, cum hic error ſequatur neceſſario ex famoſo illo principio, de quo jam multa diximus, nempe nullum eſſe medium inter opera quæ fiunt ex motivo charitatis, & illa quæ fiunt ex motivo cupiditatis. Si enim homo abſque gratiæ adjutorio non poſſit agere ex motivo charitatis, non poterit conſequenter agere niſi ex motivo cupiditatis, ac proinde non poterit non peccare. Porro quod homo abſque adjutorio gratiæ non poſſit agere ex motivo charitatis, dogma eſt fidei, etiam in mente Fratris Bellelli, quod inconcuſſum atque indubitatum habet. *Sine gratia Deus*, inquit, *neque ut Auctor naturæ diligi poteſt.*

Bellelli de ſtatu creat. ration. lib. 3. c. 3.

III.

Ad eludendas autem Summorum Pontificum Conſtitutiones eadem affert effugia, quibus jam prius uſi ſunt Bajaniſtæ; & ut propoſitioni 27. Baji ſenſum aſſignet extraneum, illum eruere perperam contendit ex aliis propoſitionibus ejuſdem Novatoris, quæ nullam habent cum ea, de qua agitur, connexionem. *Bajus*, inquit, *enormiter erravit, quia Lutherana labe infectus nullum opus bonum admiſit, niſi quod a gratia ſanctificante procederet.* Nec ſuppoſititium hunc ſenſum denuo confutandum arbitramur; quam enim a mente Baji alienum ſit, alibi demonſtravimus.

Vide ſupra 1. part. art. 3. §. 5. Bell. de modo re. par. t. 2. prop. 38 Queſn.

Vide ſupr. 1. p. a. 3. §. 5.

IV.

Quod autem attinet ad propoſ. 38. Queſnellii, quæ ſic habet; *Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſine gratia Liberatoris*, illi quoque fictitium affingit ſenſum. Certum enim eſt & evidens Queſnellium ibi loqui de gratia actuali, non autem de gratia habituali ſeu ſanctificante, & de gratia actuali in genere, non autem de gratia efficaci; nihil enim eſt in hac propoſitione quæ illam reſtringere poſſit, vel ad gratiam habituallem, vel ad gratiam actualem efficacem. *Rejicitur hæc propoſitio*, ait F. Bellelli, *quæ relative ad* 1. 2. 3. 4. 5. 10. & 11. *nomine gratiæ ſolam enunciat efficacem, ſufficienti excluſa.* Quia tamen huic tam abſurdæ expoſitioni non multum auſus eſt confidere; alteram excogitavit adhuc ineptiorem. Si enim propoſitio Queſnellii non poſſit reſtringi ad gratiam actualem efficacem, multo minus reſtringi poterit ad gratiam habitualem atque ſanctificantem. *Queſnelliana*, inquit, *propoſitio relative ad* 45. *infra rejiciendam, eo ſenſu intelligenda eſt, quod ſub indefinito nomine gratiæ ſanctificantem comprehenderit. Etenim gratia quæ obvio ſenſu peccatori deeſt, gratia eſt ſanctificans. In hoc autem ſenſu propoſitio hæretica eſt.*

Bellelli de modo repar. tom. 2. prop. 38. Queſn.

Ibid.

Sed eſto, quod nomine gratiæ quæ peccatori deeſt intelligatur gratia ſanctificans. Quid inde circa præſentem quæſtionem? Queſnellius enim, neque in propoſ. 38. neque in propoſitione 45. loquitur de gratia quæ peccatori deeſt; nam, in prop. 38. dicitur ſolummodo quod peccator non eſt liber niſi ad malum ſine gratia Liberatoris: intelligi ergo debet hæc propoſitio de gratia qua indiget peccator ad operandum, ac proinde de gratia actuali. Et prop. 45. ubi dicitur: *Amore Dei in corde peccatoris non regnante, neceſſe eſt ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque ejus actiones corrumpat*, ſic intelligi debet, juxta Bajanum ſyſtema, cui Queſnellius pertinaciter adhæret, quod quandocumque amor Dei, ſaltem actualis, non regnat in corde peccatoris, regnet in eo carnalis cupiditas, omneſque ejus actiones corrumpat, non quod omnes actiones peccatoris in ſtatu peccati exiſtentis ſint peccata, ſed quod omnes actiones quæ fiunt a peccatore, ſi non fiant ex motivo charitatis, peccata ſint.

V.

Tertiam denique profert expoſitionem Theologus noſter propoſitionis Bajanæ 28. ſed hæ tres expoſitiones ſe ſe mutuo evertunt atque interimunt; nam ſi per adjutorium gratiæ intelligatur gratia ſanctificans, ut ipſe primo contendit, non ergo exponi poteſt propoſitio de gratia actuali, ſicut habent duæ aliæ expoſitiones. Si autem intelligatur gratia actualis efficax, ut in ſecunda expoſitione, ergo intelligi non debet propoſitio de gratia ſanctificante, ut in prima expoſitione, nec de gratia actuali in genere, ut in tertia. Itaque pugnantia inter ſe loqui cogitur, ut cenſuram, quam juſto meretur titulo, eludere tentet.

VI.

Verum quidem eſt intelligendam eſſe propoſitionem Baji 28. de gratia actuali in genere, & conſequenter S. Pium V. definiiſſe quod liberum arbitrium abſque gratiæ actualis adjutorio, aliquando valeat ad vitandum peccatum; quod non ſolum fatetur F. Bellelli, ſed addit valere etiam liberum arbitrium ad exercendum aliquod opus moraliter bonum. *Et nihil quidem*, inquit, *a S. Auguſtino in ſuis poſtremis operibus expreſſum legitur manifeſtius, quam liberum arbitrium infirmum, ſed non penitus extinctum aliquod bonum morale facere poſſe, nihil autem omnino poſſe ſine Mediatoris gratia, eorum dumtaxat quæ pertinent ad pietatem.* Quis ad hæc verba non ſtatim exclamet F. Bellelli longe a Bajaniſmo recedere? Verum latet ſub angue venenum. Etenim his verbis ſpecie Catholicis nihil aliud vult, niſi quod poſſint abſque adjutorio gratiæ fieri quædam opera ex officio & fine proximo moraliter bona, quæ tamen defectu debiti finis ſint peccaminoſa. Hanc autem eſſe illius mentem nullus erit ambigendi locus, ſi conſulatur caput 30. lib. 5. prioris partis, ad quod caput ipſe nos remittit. In hoc nempe capite nullum agnoſcit medium inter opera quæ referuntur ad Deum, ut ultimum finem, & aſſerit eſſe, vel de condigno, vel de congruo meritoria regni cæleſtis, & opera quæ ad illum ultimum finem non referuntur, in iiſque defectu debiti finis contendit peccare operantem. *Quapropter*, inquit, *dum homo deliberate bonum facit cum advertentia rationis ad finem ultimum, ad eundem finem opus referre debet ex præcepto dictamineque rationis ipſius. Quæ ratio, ſi recta eſt, vera ſapientia eſt; ſin autem ita ordinate, ſaltem virtualiter, illud non facit, non ſolum ſteriliter infructuoſeque operatur & abſque merito, quin potius ſpectato fine, non bonum facit, ſed peccat; nam actus veræ virtutis indifferens, & veluti medius ad fructuoſum vel ſterilem eſſe non poteſt .... Nam ſi in Deum, ut debet, ab agente referantur, ſteriles & abſque merito eſſe non poſſunt: ſi vero non referantur, quoniam debito tunc ordine carent, eo ipſo quod ſunt ſteriles, non ſunt bonæ bonitate extrinſeca intentionis, quamvis ſint bonæ bonitate intrinſeca operis.* Opera ergo illa moraliter bona, quæ fieri poſſe docet abſque gratiæ adjutorio, ſunt ea ſolum, quæ etſi bona ſint bonitate intrinſeca operis, ſcilicet, ut loquuntur Theologi, bona ex objecto, & etiam ex fine proximo, bona tamen non ſunt bonitate extrinſeca intentionis, in quibus proinde operans defectu debitæ intentionis peccat.

Bellelli de modo repar. tom. 2. prop. 38. §. 2.

Ibid. §. 1. in margine.

Juxta hunc intellectum, ſenſus hujus propoſitionis, *liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio non niſi ad peccandum valet*, iſte erit, liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio non poteſt exercere ullum opus ex objecto & fine proximo moraliter bonum, etſi defectu debitæ intentionis ſit peccaminoſum. Porro Bajus nunquam hoc docuit paradoxum; & vero quis ita deſipiat, ut audeat aſſerere S. Pium V. definiiſſe quod liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio poſſit opus aliquod exercere defectu debitæ intentionis peccaminoſum, etſi ex objecto & proximo fine moraliter bonum? Quam ineptæ ſint hujuſmodi expoſitiones a F. Bellelli confictæ nemo non videt.

VII.

Nec minus abſurda ſunt quæ profert F. Berti in ejuſdem doctrinæ defenſionem. Socii ſui veſtigia ſequi non erubeſcit: ipſum nunc audiamus.

Hæc enim eſt ipſius propoſitio, quam multo ac vario argumentorum genere confirmare conatur. *Non poſſumus*, inquit, *aut peccatum vitare, aut tentationem aliquam ſine gratia vincere undequaque, id eſt, æquo moderamine, ita ut motus ſenſuum compeſcantur, & frænetur appetitus rebellis.*

Berti tom. 3. l. 18. c. 5.

Iſtam

Istam autem propositionem demonstrare intendit sequenti argumentatione. *Aut vitatur*, ait, *peccatum Dei amore, aut fine honesto, aut perverso & vitioso. Si hoc dixeris, clavum clavo, peccatum peccato pellis. Honestus finis sine gratia, saltem in praxi, non datur. Item nec Dei amor, ut in superioribus demonstravi. Ergo sine gratia abstinere prorsus a peccato & tentationes superare non possumus.* Unde sequitur quod peccati reus sit ille, qui naturali tantum misericordia pulsus, aut naturali etiam pietate motus eleemosynam indigenti porrigit, aut parentes honorat, quia scilicet finis, quem sibi proponit in eleemosynæ porrectione, aut in cultu parentum, cum sit sine gratia, in praxi honestus esse non potest. *Honestus finis sine gratia*, inquit, *saltem in praxi non datur*. Necesse est ergo ut finis ille a gratia totam suam honestatem accipiat; alioquin finis perversus esset ac vitiosus; & tunc homo non posset nisi clavum clavo, peccatum peccato pellere. Quam hæc miseranda sint, penes alios sit judicium.

Cum sibi deinde opposuisset damnatam propositionem Baji 28. *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccatum valet*, & quasdam alias, tum ejusdem Baji, tum etiam Quesnellii propositiones, sic respondet. *Liberum arbitrium*, inquit, *sine gratia potest suam beatitudinem appetere naturali instinctu..... potest actus plures indeliberatos peragere, quos culpabiles Bajus & Quesnellius impie dixerunt.* (Obiter hic notandum quod falso tribuitur his novatoribus error quem nunquam docuerunt) *Potest exercere officia virtutum & præcepta aliqua implere quoad substantiam, operatione secundum se laudabili & honesta, etsi extrinsece & ex fine operantis non bona undequaque. Potest & rectissimo fine vitare peccatum cum sola gratia actuali, sine habitu fidei & remissione peccatorum, qualem gratiam a justificatione sejunctam Bajus & Quesnellius apertissime oppugnarunt.* Novum adhuc mendacium; nam hi duo Novatores apertissime agnoscunt gratias actuales a justificatione sejunctas.

Berti tom. 3. lib. 18. c. 5. object. 1.

Sed omissa horum mendaciorum ampliori censura manifeste patet quod F. Berti in sua responsione complectitur trita illa & antiqua effugia, quibus Bajanistæ millies usi atque abusi sunt, ut Summorum Pontificum Constitutiones eluderent. Verum jam alibi demonstravimus Bajanam propositionem 28. intelligi non posse 1. De appetitu innato beatitudinis, neque de actibus indeliberatis, qui non sunt fetus liberi arbitrii. 2. Nec de præceptis quoad substantiam solummodo adimplendis: si enim absque gratiæ adjutorio adimpleri possint solum quoad substantiam, non autem quantum ad debitum finem, debitamque operis intentionem, liberum arbitrium dici non potest absque gratiæ adjutorio valere ad aliquod peccatum vitandum. 3. Demonstravimus quoque nec intelligi posse de gratia habituali, cum hoc vocabulum, *gratiæ adjutorium*, denotet gratiam actualem, non habitualem. Cum ergo Bajanæ propositiones damnatæ sint in rigore & proprio verborum sensu; cum etiam damnatæ sint in sensu ab assertoribus intento, & Bajus nunquam propositionem suam intellexerit, sicut eam intelligi vult F. Berti, profecto damnata non est in aliquo sensu ex iis quos illi falso adscribit Theologus noster.

Vide supra parte 2. art. 5.

VIII.

Intoleranda præterea, nec omnino ferenda videtur istius Theologi audacia, qua a censuris Apostolicis liberat eos, qui per ejusmodi effugia Pontificias Constitutiones eludunt. *Quam tamen argumentationem*, inquit, Summorum Pontificum Bullas quæ illi opponuntur diluere ipsemet tentans, *facile elides respondendo dari, cum in Infidelibus; tum in peccatoribus opera indeliberata, quæ carent omni vitio & peccato, nec non plura quæ, non sine gratia, etiam ab Infidelibus fiunt, & multa pariter facta a peccatore cum sola gratia actuali, & absque gratia sanctificante: quæ si fatearis, nullam pertimesces ex Ecclesiasticis censuris latis in eos, qui etiam in motibus indeliberatis & necessariis nequitiæ & culpæ labem excogitaverunt, neque ullam gratiam admiserunt, vel ante habitum fidei, vel ante remissionem peccatorum, quæ Baji & Quesnelli dogmata sunt capitalia.* Deplorandus sane foret qui hoc testimonio innixus & tali sponsore fretus tremendum Dei judicium subire non vereretur. Horum & similium effugiorum subsidio, si intacta remanerent, nulla foret proscripta propositio, cujus censura sic non posset eludi. Sed non ita erit, nec prævalebit mendacium adversus Catholicæ fidei veritatem.

Berti tom. 4. lib. 21. c. 2.

IX.

Ex censura igitur supradictæ Baji propositionis istud necessario sequitur, liberum nempe arbitrium posse sine gratiæ Dei adjutorio perficere aliquod opus, quod sit immune a peccato: nam a Summis Pontificibus damnantur ii qui asserunt liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valere; ergo definiunt liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio posse aliquid quod verum non sit peccatum.

ARTICULUS VI.

De timore, fide, atque spe.

I.

JAm supra ostendimus gratiam omnia bona opera nostra prævenientem, juxta F. Bellelli, nihil aliud esse quam charitatem actualem, ex quo erroneo placito sequentem ipse intulit consequentiam. *Quo fit*, inquit, *ut nec ipsa actualis fides, & spes, ipseque timor, qui justificationem præcedit tamquam Spiritus Sancti donum, esse queant sine aliqua actuali dilectione & charitate, quæ omnia in debitum finem dirigat, quæve virtute prævenientis & actualis ejusdem Spiritus Sancti adjutorii, mira & ineffabili suavitate diffunditur in cordibus hominum.*

Vide supra art. 1. circa finem. Bellelli de statu creat. ration. lib. 1. cap. 14.

II.

Præterea ex Bajano principio nullum admittente medium charitatem inter atque cupiditatem argute colligit, neque timorem, neque fidem, neque spem esse sine charitate: charitatem quoque a fide divelli non posse existimat. *A fide ipsa*, inquit de charitate loquens, *unde omnis nostra justitia sumit initium, individua semper est, quoniam fides per dilectionem operatur.* Et postea cap. 17. de timore quo justitia nostra inchoatur, asserit quod timor ille, nec sit, nec haberi possit sine fide & sine dilectione, *Nec tamen timor iste*, inquit, *sine ulla dilectione, quoniam non est sine fide, quæ donum Dei est, nec haberi potest sine præveniente Spiritus Sancti dilectione & delectatione.* Et lib. 3. cap. 4. *Ipso enim, inquit, docente* (Augustino) *secundum scripturas sanctas didicimus dupliciter legem servari posse, aut timore pœnæ, aut amore justitiæ, & tunc mandatum fieri quemadmodum fieri oportet, quando fit, non timore pœnæ, sed amore justitiæ. Porro sicut timor ille carnalis est, & ad naturam pertinet, ita amor iste spiritalis est, & omnino ad gratiam referendus, seu ad charitatem quæ per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus hominum.*

Ibid.

Ibid. c. 17.

III.

Quia autem Alexander VIII. ut jam in priori hujus operis parte prop. 12. adnotavimus, damnavit sequentem propositionem, *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor deficit etiam fides; & etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana*, ac proinde definiit in magnis peccatoribus, quando deficit omnis amor, non ideo deficere fidem. F. Bellelli, ut se huic censuræ subducat, contendit præfatam propositionem intelligi debere, non de magnis peccatoribus, sed de iis omnibus qui charitate justificante destituti sunt. *Rejicitur*, inquit, *hæc propositio ob hæresim etiam Lutheranam quam continet a Concilio Tridentino proscriptam. Lutherus enim impie asserebat, amissa per peccatum gratia, sive charitate justificante, fidem etiam amitti, & fidem in peccatore superstitem veram fidem non esse.* Desperata est profecto causa, quæ ad tam ineptas confugere cogitur cavillationes.

Bellel. li de modo repar. tom. 1. lib. 5. cap. 36.

Istam quoque idem Summus Pontifex damnavit propositionem de timore. *Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus & supernaturalis*, ac consequenter definiit attritionem sine dilectione benevolentiæ Dei propter se esse bonum & supernaturalem motum; illud tamen non minus audacter quam constanter negat F. Bellelli. Requirit enim quod illa attritio, ut sit immunis a peccato, concipiatur ex motivo dilectionis Dei propter se. Quomodo igitur eludere potest hujus Summi Pontificis censuram? Exponendo scilicet de dilectione perfecta, casta & remissiva peccati illud quod in præfata propositione asseritur de dilectione Dei propter se generatim sumpta, sive perfecta sit, sive imperfecta. Postquam enim hanc eandem protulit propositionem, sic illius vitium commonstrare tentat. *Bonus siquidem*, inquit, *& supernaturalis motus est, etiamsi perfecta & casta dilectione remissiva peccati sit destituta* (attritio.) Hac autem expositione contendit F. Bellelli attritionem non esse bonum ac supernaturalem motum, si sit destituta omni dilectione benevolentiæ Dei propter se; sed ad hoc ut sit bonus ac supernaturalis motus requiri quod oriatur ex motivo dilectionis benevolentiæ Dei propter se: & hanc dilectionem benevolentiæ Dei propter se vult esse quasdam inceptæ charitatis flammu-

Prop. 15.

Ibid. c. 18.

Ibid. las aut semina. *Quia tamen supernaturalis est*, ait, *sine supernaturalis adjutorii fulcimento omnino nequit haberi, quod constitit usque modo non in alio situm esse, nisi in quibusdam inceptæ charitatis veluti flammulis aut seminibus.*

IV.

Veruntamen apertius adhuc mentem suam declarat in postremo opere suo, *de modo repar. hum. nat. post lapsum*, ubi contendit, non solum supernaturalem gehennæ timorem esse a charitate indivulsum, sed etiam ab ea soboleſcere, ac proinde timorem oriri ex motivo charitatis. *Quæcumque*, ait, *speculative præcisio fiat, in praxi tamen, seu in individuo, supernaturalis gehennæ timor, qui certe rectus, ordinatusque est, ab inchoato & virtuali saltem amore justitiæ, ut Augustinus loquitur, soboleſcit.* Quam manifesta sit doctrinæ Fratris Bellelli a definitione Summi Pontificis discrepantia nemo non videt.

Bellelli de modo repar. tom. 1. lib. 5. c. 8.

V.

In hoc eodem volumine latius pertractat quæstionem de timore & amore Dei, eique discutiendæ integrum Librum quintum impendit. Verum in hac fusiori dissertatione nonnulla vera cum falsis admiscet, quæ ne confundantur permagni interest.

Docet itaque 1. Amorem mundanum esse malum: & hoc ab omnibus admittitur Orthodoxis, tamquam fide certissimum.

Bellel. ibid. c. 1.

Docet 2. Timorem serviliter servilem esse malum, non quidem secundum substantiam, sed secundum servilitatem. *Sit enim improbus satis homo*, inquit, *quem tamen præteritorum criminum dolor occupat, & ob gehennæ timorem tamquam mali præcipui, admissorum scelerum pœnitet, atque ita animo affectus sit, ut peccare adhuc velit, si aut non esset pœna, aut permitteretur impunis, odio habeat legis justitiam ipsiusque honestatem, quam a Deo justo judice minime latam fuisse mallet; ut sibi peccandi licentiam, habenis libertatis effusis proponat: hic quidem pœnas timeret timore servili; at servilitas ejus inordinata & perversa foret.* In hoc quoque conveniunt omnes Catholici, ut alibi dictum est.

Bellel. ibid. c. 2.

Vide supra part. 2. art. 6.

VI.

In eo autem discrepat ab Orthodoxis iste Theologus, quod timorem simpliciter servilem confundat cum timore initiali, atque velit quod timor ille servilis, ut sit ordinatus, oriatur ex amore justitiæ. Orthodoxi autem docent non peccare illum qui ex solo timore servili, non autem ex amore justitiæ, abstinet a peccato, modo non habeat simul conjunctam actualem voluntatem peccandi, si peccare posset impune. Sic enim habet Sylvius, quem ibidem laudat F. Bellelli. *Considerari potest*, inquit, *timor pœnæ, quatenus est de pœna, ut malo quidem ingenti, non tamen ut summo; neque ita ut ad illud evadendum peccare quis velit, sed potius ut propter illud velit vitare peccatum, quamvis ad illud vitandum, necdum feratur amore justitiæ, sed metu vindictæ. Hic timor est servilis..... quod autem sit bonus & ad salutem perutilis, fide certum est definita in Concil. Trid.*

Sylvius in 2. 2. q. 19. art. 4.

Ratio autem quam subjungit idem Sylvius valde urgens est atque invicta. *Timor pœnæ*, inquit, *præsertim æternæ nihil habet reprehensione dignum: ergo non est malus. Antecedens probatur, quia non habet aliquid reprehensibile ex parte objecti; cum malum grande, cujusmodi est æterna damnatio, sit objectum timoris: neque ex parte radicis, quia oritur ex amore proprii commodi, non ut finis ultimi, sed ut rei quæ natura sua potest per charitatem ordinari in Deum: talis autem amor non est malus, cum amor sui non sit malus, si quis velit sibi ea quæ vere bona sunt ac naturæ convenientia; neque in modo volendi committat ullam inordinationem.*

VII.

Non ita sentit F. Bellelli. *Timor dividendus est*, inquit, *in servilem & filialem. Servilis autem iterum est partiendus in serviliter servilem, seu inquantum servilem, qui inordinatus semper est: & servilem initialem, qui ordinatus est, & de utroque participat. Servilis enim dicitur, quia pœnas respicit, & inchoate etiam filialis dicitur, quia initium delectationis habet, qua timens gratia excitantis dulcedine jam incipit amare justitiam.* Itaque Theologus noster hic nullum agnoscit timorem inculpatum, nisi sit initialis, id est, nisi habeat adjunctum aliquem Dei amorem, ex quo tanquam motivo oriatur, & consequenter ut ea quæ fiunt ex motivo timoris inculpate fiant, requiritur juxta F. Bellelli, quod fiant ex amore justitiæ, quem nihil aliud esse contendit quam amorem Dei, seu charitatem. *Hinc vero*, inquit, *consequens fit dilectionem* justitiæ semper esse dilectionem Dei. Et alibi loquens pariter de amore justitiæ ait, *qui charitas est, si non perfecta, inchoata saltem.*

Bellelli de modo repar. lib. 5. c. 11.

Idem de statu creat. ration. lib. 1. c. 18. & lib. 3. c. 5.

Ut autem hunc errorem suadeat, nititur præsertim præcepto Apostoli, *Omnia in gloriam Dei facite*, de quo jam plura diximus in prima hujus operis parte, & de quo disserit quoque F. Bellelli, tom. 1. de modo repar. lib. 5. a cap. 12. ad 20. ubi veritatem & mendacium ita confundit, ut vix prima fronte secerni possint. Sed ea articulo sequenti se offerent discutienda; nunc supereſt breviter aperiendum quid de timore, fide, atque spe F. Berti senserit.

VIII.

Diximus superius Fratrem Berti non obscure asseruisse pravum atque perversum fore quemcumque actum humanum, nisi operans per charitatem actum suum in Deum referat. *Nisi adsit charitas*, inquit, *per quam referatur in Deum, in praxi operans non operabitur propter æquitatem, cujus habet ideam ingenitam, sed aut sibi placens, aut fruens bonis commutabilibus; & ideo opus erit pravum atque perversum.* Quæ propositio, cum sit universalis, complectitur actus timoris, fidei, & spei, sicut & cæteros actus humanos, qui omnes, ut sint immunes a peccato, debent, juxta illum, per charitatem referri in Deum, alioquin operans, aut sibi placeret, aut frueretur bonis commutabilibus, ac proinde peccaret.

Berti tom. 4. lib. 21. c. 2.

Hæc doctrina optime congruit cum gratiæ definitione, quam ipse alibi tradit. *Gratia*, inquit, *est inspiratio sanctæ dilectionis, neque a charitate actuali distinguitur.* Ex qua definitione inferre licet quod actus fidei, spei, & timoris, qui ut sint immunes a peccato, debent, juxta illum, procedere ex gratia, debeant quoque procedere ex inspiratione charitatis.

Berti tom. 3. l. 14 c. 8. prop. 1.

IX.

Neque est quod quis objiciat eundem Theologum alteram tradidisse gratiæ definitionem. *Gratia est*, inquit, *actus intellectus & voluntatis, sive mentis illustratio & inspiratio charitatis.* His enim verbis, *mentis illustratio*, non innuitur quod ad vitandum peccatum sufficiat illa mentis illustratio, etiamsi a charitate separetur. *Vel scientia*, inquit, *cum interiori suavitate & charitate conjungitur, vel tantumodo veritatem ostendit, non impartiendo charitatem. Si sit cognitio prioris generis, est gratia Christi qua agitur, non solum ut facienda noverimus, verum etiam cognita faciamus..... Si vero sit cognitio sine inspiratione dilectionis, inflat non ædificat.* Unde patet evidenter quod illa mentis illustratio, si sit a charitate sejuncta, non sufficiat ad vitandum peccatum, cum valeat tantum ad inflandum & non ad ædificandum: *Si vero sit cognitio sine inspiratione dilectionis, inflat*, inquit, *non ædificat.*

Berti ibid. c. 7.

Berti ibid. lib. 18. c. 4.

X.

Hunc suum errorem denuo confirmat F. Berti, dum solvere tentat primam objectionem, quam sibi ipse proponit in eodem capite 8. sic autem se habet hæc objectio. *Aliud*, inquit, *datur principium bonorum operum longe diversum a sancta delectatione & charitate, id est, timor Domini, quem donum esse Spiritus Sancti, & nos continere a malo demonstrant Sacræ Scripturæ, definit Tridentina Synodus*, &c.

Berti tom. 5. lib. 14. c. 8.

Huic objectioni respondet Theologus noster concedendo timorem distingui ab amore, sed pertinacius adhuc asserit timorem procedere ex charitate. *Respondetur*, inquit, *timorem utique delectationem non esse..... verum & timor & charitas idem principium habent, sive consideretur voluntas quæ timet & amat, sive Spiritus Sanctus qui timorem & amorem inspirat, sive gratia a qua timoris & amoris est actus. Hæc gratia est inspiratio dilectionis.* Nihil profecto expressius dici potest, ut luculente innuatur timoris actus ex charitate oriri. Id quoque evidenter declarat F. Berti, docetque consequenter quod eadem charitas timorem præcedat. *Huic* (timori) *ut liquet*, ait, *inspiratio bonæ voluntatis & sanctæ dilectionis præcessit. Quisquis enim bene timet, bonam voluntatem habeat necesse est. Et quoniam timor supernaturalis refertur in Deum, eumque respicit ut judicem justum & rectum, nec aliud est pondus quo fertur animus, nisi amor, timor sanctus non sine aliquo amore excitatur.* Ubique idem principium, ubique eadem consectaria e Bajano principio emanantia.

Ait tamen immediate post verba modo citata, quod timor præcedat charitatem, sicque videtur sibimet ipsi contradicere. *Ipse tamen* (timor) *non est amor*, inquit, *quoniam sistit in rigore justitiæ; & nondum ascendit ad summi boni jucunditatem. Dum in hunc se se vibrat animus amare dicitur; atque ita timor sternit viam charitati..... ita gratia timorem, timor charitatem præcedit.* Nonne hæc sibi invicem adversantur? Quo

enim

enim pacto Fratrem Berti cum se ipso conciliabimus? Secum sane certare videtur. Modo vult ut timor charitatem præcedat, quod habetur ex loco proxime citato. *Timor*, inquit, *charitatem* præcedit: modo e contra declarat quod charitas timorem præcedat, ut constat ex loco paulo superius laudato: *Huic* (*timori* scilicet) *inspiratio bonæ voluntatis & sanctæ dilectionis præcessit*, nec facile est ista inter se pugnantia componere.

Præterea nonne in verbis ludit F. Berti, cum asserit quod timor charitatem præcedat? Nam juxta illum gratia debet præcedere timorem, qui charitatem præcedit; sed gratia illa, quæ timorem semper præcedit, nihil aliud est quam charitas; hoc enim docet loco supra memorato, ubi gratiam sic definit: *Gratia*, inquit, *est inspiratio sanctæ dilectionis, neque a charitate actuali distinguitur*. Si ergo gratia sit inspiratio sanctæ dilectionis, nec a charitate distinguatur, & gratia seu charitas debeat semper præcedere timorem, falsum evidenter est, quod unquam timor præcedat charitatem.

Berti tom. 3. lib. 14. c. 8. prop. 2.

XI.

Verum quidquid sit de illa rerum ac verborum discrepantia, ne tamen F. Berti ita subito in manifestam contradictionem se incidisse cogatur fateri, dicet forsitan, quod dum asserit de timore quod præcedat charitatem, loquatur de charitate quadam magis explicita & magis perfecta, & quod charitas illa quæ præcedit timorem, quamvis sit vera charitas, charitas est minus explicita & minus perfecta. Nec aliam afferre potest in tam manifesta contradictione excusationem F. Berti. Quicumque tandem adhibeatur modus quo excusari possit hæc contradictio, non minus certum est atque evidens, quod juxta hunc Theologum, ad hoc ut actus timoris sit a peccato immunis debet procedere a gratia, seu a charitate actuali.

ARTICULUS VII.

Hujus textus Apostoli, Omnia in gloriam Dei facite, *adulterina expositio a FF. Bellelli & Berti, & aliis Bajanistis excogitata atque conficta.*

QUam ab inviolabili Catholicæ fidei regula aberrent Bajanistæ, dum hunc textum Apostoli, *Omnia in gloriam Dei facite*, assumere non verentur in erroris sui patrocinium, jam vidimus in priori hujus Operis parte. Horum vestigiis inhærentes Fratres Bellelli & Berti errores suos iisdem telis propugnare tentarunt, eodemque textu Apostoli abusi sunt, ut probare nitantur omnia opera quæ non fiunt ex motivo charitatis esse peccata. Verum in exponendo hoc textu quædam vera atque certa falsis, quædam etiam, etsi non ita certa, saltem non improbanda intermiscuere.

I.

Et primo quidem, quod hunc Apostoli textum mandati vim habere velit F. Bellelli libenter fatemur. Fatemur quoque, quod *non solum affirmativo mandato*, ut ipse ait, *Omnia ad Dei gloriam, tamquam ad finem ultimum referre jubemur; sed & negativo vetamur, ne in nobismet ipsis, vel in alia quacumque creatura, tamquam in fine ultimo quiescamus, neve Deum referamus ad creaturam, vel creatura fruamur, aut creaturam præponamus ipsi.*

Bellelli de modo repar. tom. 1. lib. 5. cap. 12. Ibid.

Verum hinc sequitur quidem quod homo teneatur sibi præstituere Deum, tamquam finem ultimum totius vitæ suæ, quodque mortaliter peccet, si in se ipso, vel in alia quacumque creatura, tamquam in fine ultimo quiescat. Sed in eo fallitur F. Bellelli, quod velit omnes & singulas actiones, quæ in hunc ultimum finem non referuntur, esse peccata. *Cum ergo*, inquit, *nequeat humana voluntas finem ultimum in creatura sibi præfigere, & cum deliberate agit, finem aliquem, quo referat opus, habere oporteat, nec indifferens esse possit, ut nec bona, nec mala sit, consequens est si licite non potest in creatura tamquam in ultimo fine manere, si que bona esse velit, ut usque ad Summum increatum Bonum tamquam in ultimum finem..., referat actionem.*

Ibid.

II.

Ut itaque vera discernantur a falsis concedendum est omnes homines teneri Deum sibi præstituere ut ultimum finem omnium actionum suarum, & hanc ultimi finis intentionem sæpe renovare, non tamen eam renovare tenemur in omnibus & singulis actionibus nostris; nec ideo peccaminosæ dici debent illæ actiones, in quibus deest hæc intentionis renovatio, cum intentionis hujus renovandæ præceptum non semper urgeat. Etenim quotiescumque homo aliquem sibi proponit finem particularem, quamvis illum ulterius non referat ad Deum, non tamen censetur conquiescere in creatura atque peccare, si ille finis sit aliunde ad Deum referibilis. Unde huic argumento Bajanistarum respondent nonnulli Theologi hac distinctione. Non licet conquiescere seu hærere in creatura positive & exclusive, ita ut excludatur omnis relatio ad Deum, concedunt: non licet conquiescere & hærere præcisive dumtaxat, scilicet præscindendo a relatione ad Deum, quam omnes sibi semel præfinire, ac deinde sæpius renovare tenentur, negant. Quidquid autem sit de hac responsione, certissimum est quod si peccarent homines quotiescumque agunt ex aliquo motivo honesto, quod ad Deum ulterius non referunt, omnia Infidelium opera essent peccata: omnia autem opera eorum non esse peccata definit S. Pius V. proscribendo propositionem Baji 25. Ergo non peccant homines quotiescumque actiones suas ad Deum ultimate non referunt.

III.

Secundo contendit F. Bellelli quod licet non teneamur omnes actiones nostras actu referre ad Deum, tenemur tamen eas referre virtualiter, id est, virtute alicujus præcedentis intentionis, quæ moraliter perseveret. Hanc virtualis relationis interpretationem admittunt plures Theologi, sed negant relationem hanc virtualem sic intellectam in omnibus operibus nostris semper requiri. Verum in eo errat quod velit hanc obligationem referendi omnes actiones nostras in Deum cadere super omnibus & singulis actionibus nostris, ita ut peccent in omnibus actionibus suis defectu debiti finis ultimi omnes illi, qui eas in Deum non referunt, saltem virtute. Intelligi ergo debet hoc præceptum referendi omnes actiones nostras in gloriam Dei, de obligatione quæ instet solummodo pro tempore illo, quo urget præceptum hujuscemodi relationis.

IV.

3. In eo etiam errat F. Bellelli quod velit teneri homines semper agere ex motivo charitatis, & consequenter omnes actiones illas quæ non fiunt ex motivo charitatis, esse defectu debiti finis peccaminosas. Nam peccaminosæ non sunt illæ quæ fiunt ex motivo aliquo honesto, vel etiam ex motivo supernaturali fidei, spei, vel timoris licet non referantur etiam virtualiter in Deum ex motivo charitatis. *Cæterum*, inquit iste Theologus, *si non tam sæpe, plerumque saltem opera bona in Deum per charitatis actum referenda esse, ut vel actu ipso, vel ipsius virtute, quæ subsequuntur in Deum relata censeantur, & meritoria sint, vel de congruo, vel de condigno, non diffitemur.* Ex quo loco inferri posse videtur opera bona, quæ in Deum per charitatis actum non referuntur, vel actu ipso, vel ipsius virtute non esse meritoria, nec de condigno, nec de congruo: Unde ulterius inferri potest opera illa in systemate F. Bellelli, esse vere peccata. Nam cum nullum agnoscat medium, ut sæpius dictum est, charitatem inter & cupiditatem, contendat quoque necesse est opera illa omnia, quæ non fiunt ex actuali, aut saltem virtuali charitatis motivo, vera esse peccata.

Bellelli de modo repar. tom. 1. lib. 5. c. 13.

V.

Nec minus a vero deerrat, cum Augustinum interpretatur. Dicit enim Hipponensis Antistes quod ex amore justitiæ possit homo inculpate operari. Theologus autem noster Augustini malefidus interpres contendit sanctum Doctorum nomine justitiæ nihil aliud intelligere quam charitatem, asseritque Augustinum docere, *per amorem justitiæ seu delectationem legis, dum scilicet quod præceptum est fit non timore pœnæ, sed ipsius legis & justitiæ dilectione, charitatem omnino significari*. Hoc quam falsum sit probari posset ex ipsomet Augustino, & ex testimonio virorum Catholicorum Augustini loca congruenter ac genuine interpretantium. Verum ne a scopo, quem in hoc opusculo nobis proposuimus, digrediamur, his non licet immorari. Concludit tandem F. Bellelli his verbis: *Ex quo fit, ut nullius virtutis amor rectus sit si in ipsa, quatenus virtus hominis est, conquiescat, & non in Deum principium, finem, archetypum, fontem, imo vero formam omnium virtutum extendatur*. Ex quibus etiam verbis concludere liceat, quod in Bellellino systemate nulla sit virtus, nullusque virtutis amor rectus, si Deum non habeat pro principio, pro fine, pro Archetypo, pro fonte, imo vero & pro forma. Hæc est Bellellina doctrina.

Bellelli de statu creat. ration. lib. 2. c. 5.

VII.

VI.

Bellelli de modo repar. lib. 5. c. 11.

Differens tamen alio in loco de juſtitiæ dilectione, illam diſtinguit in explicitam & implicitam. *Hinc*, inquit, *conſequens fit dilectionem juſtitiæ ſemper eſſe dilectionem Dei. Nam ſi Deus reflexe, ſeu cum advertentia diligatur ut ſuprema juſtitia, & juſtitiæ fons, Dei dilectio explicita erit: ſi vero diligatur res quæ Deo conformata juſta eſt, dilectio Dei etiam erit, ſed implicita. Amor enim ſupremæ juſtitiæ, niſi reflexio accedat diligendi Deum omnis juſtitiæ fontem, non explicite, ſed implicite in amore rei cujuſcumque juſtæ continetur.*

Bellel. ibid. c. 12.

Et ne quis per dilectionem illam juſtitiæ implicitam aliquid aliud a charitate diſtinctum intelligat, conceptis verbis aſſerit dilectionem illam, ſeu charitatem implicitam nihil aliud eſſe quam charitatem virtualem. *Diſtinguenda eſt*, inquit, *charitas actualis in explicitam & implicitam ſeu virtualem*. Ideoque poſt citata hæc verba Gregorii Ariminenſis, *nemo refert virtualiter, niſi prius retulerit actualiter, nec implicite, niſi prius explicite*; hæc addit: *Quod verum puto, quia implicita & virtualis relatio fundamentum habet in præterito actu dilectionis, & in præſenti volitione proximi boni, pii, & honeſti, quæ ex præterita intentione moraliter durante deſcendit.*

VII.

Ex his patet F. Bellelli errorem ſuum nullatenus mitigare, dum ſufficere ait charitatem implicitam, ut actiones noſtræ ſint immunes a peccato, cum nihil aliud per charitatem implicitam intelligat quam charitatem virtualem, ideoque ex illo Apoſtoli textu, *omnia in gloriam Dei facite*, ſemper inferre velit omnes & ſingulas actiones illas, quæ non fiunt ex motivo charitatis, fieri ex motivo cupiditatis, & eſſe peccaminoſas, ſaltem defectu debiti finis.

VIII.

Bellellinæ doctrinæ Bertiniana perfecte quoque congruit in expoſitione textus Apoſtolici, *Omnia in gloriam Dei facite*, nec quidem unquam ſententiis diſcreparunt illi duo ſocii. Quamvis enim duas hujus textus F. Berti afferat expoſitiones, Bajanam unam, Orthodoxam alteram, recenſeatque momenta quibus innituntur tam Orthodoxi quam Bajaniſtæ, ac denique quandam videatur amplecti mediam viam, a Bajana tamen expoſitione non recedit.

Berti tom. 4. lib. 2. c. 2.

Hanc etenim ſibi proponit quæſtionem, videlicet, *An detur humanum aliquod opus indifferens, expers ſcilicet tam nequitiæ quam probitatis*, eamque more ſuo in utramque partem agitat; deinde pro parte negante affert textum Apoſtoli, *ſive manducatis, ſive bibitis* &c. rationes ac momenta, quæ veram confirmant hujus textus expoſitionem, parvipendere ſatis aperte ſignificat; e contrario autem valde ponderat Novatorum argumenta, quibus probare contendit omnia opera noſtra, quæ ad Deum non referuntur actu, vel virtute, eſſe peccata. Denique ſuam, tamquam ſibi ipſi peculiarem, indicat ſententiam, remittendo ſcilicet lectorem ad aliud operis ſui capitulum. *Meminerit tamen*, inquit, *me elegiſſe mediam viam, de qua plura memorato cap. 3. libri 18.* Ut igitur Theologi noſtri ſententiam, quam a Bajaniſmo non recedere jam aſſeruimus, perfecte aſſequamur, conſulendus eſt alter ille locus, quem ipſe vult eſſe conſulendum.

Berti ibid.

Berti tom. 3. lib. 18. cap. 3.

In eo itaque capitulo quærit F. Berti *an ad peragendum opus moraliter bonum, quod nec in ſe, neque in intentione operantis vitioſum ſit, requiratur divinæ gratiæ adjutorium*; illamque quæſtionem, ſicut & alteram, utrobique verſat; & poſteaquam pro parte affirmante protulit præceptum omnia in Deum referendi, mediam quandam profitetur ſe amplecti viam, quæ etſi videatur ab errore Baji diſcrepare, revera tamen non diſcrepat; iterum enim atque iterum docet omnes actiones, quæ in Deum, actu, vel virtute, non referuntur, eſſe peccata; quod ut planius demonſtretur operæ pretium erit hic lectoris oculis ſubjicere integrum hunc locum, cujus alibi quædam fragmenta retulimus.

IX.

Berti ibid.

Prima fronte videtur F. Berti Orthodoxe ſentire, dum aſſerit immunes eſſe a peccato actiones illas quæ fiunt ex motivo honeſtatis naturalis. *Negamus*, inquit, *hominem qui operatur ob intimam, naturalem, & ingenitam ideam honeſtatis, non agere bonum moraliter, ſed opus vitio labefactatum, quoniam vitium non eſt niſi a voluntate faciendi quod vetat ſumma illa & incommutabilis lex veritatis. Dicimus hanc veritatis ideam, & legem incommutabilem non eſſe in homine lapſo penitus detritam, ideoque interdum exhibere hominum menti opus peragendum licitum atque honeſtum, neque ad hoc neceſſariam eſſe gratiam fidei, ſive quod Deus ſe manifeſtet tamquam auctorem ſupernaturalium donorum.*

Addit deinde eos qui operantur ex tali motivo honeſtatis naturalis referre actiones ſuas in Deum implicite. Ita enim proſequitur: *Concedimus virtutes eſſe ſuperbas & inflatas, ſi referantur ad ſe ipſas, ſcilicet ſi appetantur ut conferatur animo decor continentiæ ac probitatis, quoniam tunc humanæ gloriæ deſerviunt, & multum habent inanitatis. Sed nego referri ad ſe ipſas, ſi fiant propter ingenitam rationem honeſtatis; quoniam hæc ratio, cum ſit una, ſumma & immutabilis, ipſe Deus eſt, intime nobis præſens, non quidem ut ſpeciale objectum, ſed ut univerſalis regula veritatis. Dico opera hujuſmodi regulæ conſentanea, etſi in Deum non referantur explicite, quod neceſſarium eſt ut ad æternam vitam perducant, referri implicite, non quod intrinſeca bonitas honeſtorum operum ſe ipſa referatur in ſummum bonum, id enim neceſſarium & naturale eſt, non liberum & morale; ſed quia intentione animi opera illa fiunt ob intimam legem honeſtatis, quæ implicite eſt ipſe Deus. Atque hoc arbitror ſufficere ad opus bonum morale ordinis naturalis, quia ne ſit vitii labes, ſufficit uniformitas legi naturaliter nobis inditæ.*

X.

Obſervandum obiter quod hic confundat F. Berti Legem naturalem pro ut eſt in Deo dictante ac jubente ea quæ per rationem naturalem cognoſcere poſſumus eſſe agenda, & prohibente ea quæ per eandem rationem cognoſcimus eſſe illicita atque fugienda; quod, inquam, hanc confundat cum lege naturali, prout eſt in nobis, ſeu in creaturis ratione præditis. Iſta enim juxta Theologos ab æterna differt, ſicut participans a participato; aitque de illa S. Thomas, quod *nihil aliud eſt quam participatio legis æternæ in rationali creatura*; & S. Auguſtinus, *quis enim ſcripſit in cordibus hominum naturalem legem niſi Deus?* Pſalmiſta quoque, *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.*

S. Tom. 1. 2. q. 1. art. 2. S. Aug. de ſerm. Dom. in monte l. 2. c. 9. Pſalm. 4.

Verum ſi hoc Teologi noſtri erratum excipiamus, communiter docent cum illo Theologi, non ſolum honeſtam eſſe omnem actionem quæ huic legi conſentanea eſt, ſed etiam vitioſum eſſe omne opus quod ab illa diſcedit. Quia autem hæc lex naturalis, vel, ut loquitur F. Berti, hæc intima, naturalis & ingenita idea honeſtatis non eſt in homine lapſo penitus detrita, inde inferunt Theologi Orthodoxi liberum arbitrium abſque gratiæ Dei adjutorio aliquando valere ad peccatum vitandum: omnia infidelium opera non eſſe peccata, atque omnes & ſingulas actiones noſtras, ſi ſint huic legi conſentaneæ, non eſſe peccata, etiamſi ulterius explicite ad Deum neque actu neque virtute referantur. At non ita cenſet F. Berti. Quamvis enim in loco modo laudato aſſeruerit opera hujuſmodi regulæ conſentanea ad Deum referri implicite & non eſſe peccata, contendit tamen illud eſſe verum ſolummodo ſpeculative, non autem practice loquendo, quia, juxta illum, in praxi ſine adjutorio gratiæ, ſine inſpiratione charitatis, opera illa fiunt ſemper ex motivo cupiditatis, atque ideo ſunt peccata. En verba hujus Theologi, quæ immediate ſequuntur locum modo allatum. *Hæc tamen cum ſpeculative vera ſint ..... practice loquendo affirmo nunquam hominem lapſum agere convertendo ſe ad illam intimam legem abſque cupiditate & philautia, ideoque quodlibet opus bonum fieri ex ſpeciali gratia ..... ut in praxi opus aliquod honeſtum ſit, non debet a ſumma & intima lege deflecti: at homo lapſus magis delectat ſe ipſo quam ſummo bono, ſi non ei ſancta delectatio inſpiretur: quoniam ſine hujus delectationis dono prævalet rationi concupiſcentia, cujus deſideriis non obedire ..... abſque gratia Salvatoris non poſſumus.* Si abſque gratia ac conſequenter abſque inſpiratione charitatis non poſſumus non obedire deſideriis concupiſcentiæ, non poſſumus ergo ullum opus exercere immune a peccato, niſi ex motivo charitatis, etiamſi illud opus ſit legi naturali conſentaneum; ergo omnes & ſingulæ actiones noſtræ, quæ non fiunt ex motivo charitatis, ſeu quæ non referuntur actu vel virtute ad Deum charitate amatum, ſunt peccata. Ergo F. Berti intelligit textum Apoſtoli, *ſive manducatis, ſive bibitis &c.* ſicut & illud intelligunt Bajaniſtæ, nimirum ita ut omnes & ſingulæ actiones noſtræ quæ ad Deum explicite non referuntur actu vel virtute ſint peccata. Quod & adhuc expreſſius aſſerit idem Theologus alio in loco quem jam alibi retulimus, dum differens de actibus indifferentibus ſic habet. *Niſi adſit charitas*, inquit, *per quam referatur in Deum* (humanus actus) *in praxi operans non operabitur propter æquitatem, cujus habet ideam ingenitam, ſed aut ſibi pla-*

Berti ibid.


Vide ſupra part. I. art. ult. §. 2.

Berti tom. 4. lib. 21. c. 2.

placens, aut fruens bonis commutabilibus, & ideo opus erit pravum atque perversum. Si juxta F. Berti, pravum atque perversum est quodcumque opus quod per charitatem non refertur in Deum; ergo juxta eundem, tenemur referre ad Deum omnia opera nostra, ita ut omnia & singula, quæ non referantur ad ipsum, sint peccata.

Bajanum itaque systema, quantum ad præcipua pernicioſi illius systematis capita renovarunt FF. Bellelli & Bertí, docendo simul cum Bajo nullum esse medium inter opera ex motivo charitatis & ex motivo cupiditatis facta; impossibilem esse statum puræ naturæ; nullum admitti posse amorem Dei naturalem; omnia infidelium opera esse peccata; liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valere; actus fidei, spei, atque timoris, nisi fiant ex motivo charitatis, fieri ex motivo cupiditatis, ac proinde esse peccaminosos.

Bajanismum in Theologicis disciplinis Fratris Berti, non minus quam in scriptis F. Bellelli redivivum, susceperamus demonstrandum. Propositum autem nostrum jam nos assecutos fuisse confidimus.



AUGU-

AUGUSTINIANUM
SYSTEMA
DE GRATIA

Ab iniqua Bajani, & Janſeniani erroris inſimulatione vindicatum,

SIVE REFUTATIO LIBRORUM,

QUORUM TITULUS

BAJANISMUS; ET JANSENISMUS REDIVIVI

INSCRIPTIS

PP. FF. BELLELLI, ET BERTI

ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI

Eodem, qui ſecundo loco inſimulatur, auctore:

PARS PRIMA,

In qua Bajaniſmi refellitur criminatio.

AUGUSTINIANUM
SYSTEMA
DE GRATIA

PARS PRIMA,

FULGIDISSIMO ECCLESIÆ LUMINI

Pelagianæ, aliarumque Hæreſum

GLORIOSISSIMO DEBELLATORI

PATRI ATQUE INSTITUTORI SAPIENTISSIMO

S. AURELIO AUGUSTINO

EPISCOPO HIPPONENSI

F. JOANNES LAURENTIUS BERTI filiorum, ac diſcipulorum minimus humillimam oblationem, votumque perenne.

Poſteaquam divina inſpirante gratia nomen dedi inſtitutæ a Te Eremitanæ Familiæ, atque excuſſo litterarii ludi, ſtadiique philoſophici pulvere, ſublimioribus diſciplinis ingeniolum meum dedicavi; nil magis, Præſul Beatiſſime, *in votis habui, quam inconcuſſam, ac ſaluberrimam doctrinam Tuam pro modulo meo ſectari, omnino illi adhærere, eamque acerrime propugnare: quod a me non ſolum ratio ſuſcepti inſtituti, verum etiam ejuſdem doctrinæ ſplendor & dignitas poſtulabat. Audieram quippe ſæpenumero a majoribus noſtris, & a Scriptoribus, qui pertractarunt de rebus a Te præclariſſime & ſanctiſſime geſtis, ac de libris Tuis argumentorum numero & multitudine, copia omnigenæ eruditionis, exquiſito rerum delectu, Fideique Orthodoxæ perpetua defenſione præſtantibus & prope divinis, didiceram quanta exiſtimatione Te adhuc inter mortales degentem proſequuti fuerint Romani Pontifices, Innocentius, Zoſimus, & Bonifacius, necnon viri doctrina & ſanctitate conſpicui, Ambroſius, Hieronymus, Paulinus, Proſper, Hilarius, atque ut mittam Alipios, Nebridios, Poſſidonios, ceteroſque Tibi ſocietate & neceſſitudine conjunctos, Romanorum Imperatorum religioſiſſimus Theodoſius. Noveram inſuper quam honorifice, poſtquam ad ſuperos emigraſti, de Te ſcripſerint Cæleſtinus ad Epiſcopos Galliæ, Hormiſdas ad Poſſeſſorem, Bonifacius ſecundus ad Cæſarium Arelatenſem, Vigilius ad Eutychium, & Gregorius Magnus ad Innocentium Præfectum Africæ: quorum de Te magnificentiſſimas ac ſplendidiſſimas laudes probarunt quotquot ſubſecuti ſunt Supremi Romanæ Eccleſiæ Paſtores: noveram Te unum fuiſſe Africanarum Synodorum, quæ in cauſis Pelagianorum & Donatiſtarum celebratæ fuerunt, linguam & calamum, e libris Tuis Arauſicani aliorumque Conciliorum exſcriptos canones, atque doctrinam Tuam fuiſſe auctoritate quintæ, & ſextæ*

Quæ hic laudantur tantummodo, invenies collecta a Bartholomæo Urbinate initio Mille. loq. a Fulgentio La. Foſſe tom. 1. q. 5. a Noriſio cap. ultimo Vindic. a nobis lib. 6.

Th. di. scip. a Rivio, Moreau, aliisque.

sextæ Synodi consecratam: noveram denique Te illum esse, quem divina eruditione mirabilem, debellatorem hæreticorum, defensorem fidelium, famosorum palmam certaminum, Doctorum omnium Latinorum præeminentissimum ac disertissimum, Sanctæ Dei Ecclesiæ propugnatorem, ejusque munitiorem partem, lumen solemque, thalamum Trinitatis, *linguam* Spiritus Sancti, *& si quid his proferri potest splendidius, aut luculentius, Eugippus, Cassiodorus, Venerabilis Beda, Prudentius Tricassinus Episcopus, Jonas Aurelianensis, Lugdunensis Ecclesia, aliique plurimi appellaverunt. Jure itaque meritoque,* Piissime ac Sapientissime Antistes, *Te unum, quem testimonio Beatissimi Cælestini nunquam sinistræ suspicionis rumor asperfit, quem asserente Hieronymo Catholici conditorem antiquæ rursum fidei venerantur atque suspiciunt, & quod majoris gloriæ signum est, omnes hæretici detestantur, & quo nemo diligentius, ut Sanctus Prudentius ajebat, divinarum scientiarum arcana exquisivit, nemo verius invenit, veracius protulit, effusius disseminavit: Te, inquam, studiorum meorum Ducem ac Præsidem magna animi alacritate, majori fiducia, maxima vero æquitate selegi. Etsi autem decretum mihi fuit, ac est Te per omnia sequi, tuaque dicta universa defendere; præcipue tamen differenti de Gratia Salvatoris a Te vel bilum discedere piaculum maximum visum fuit: quandoquidem compertum est omnibus, Te Duce viginti annorum spatio aciem Catholicæ Ecclesiæ pro ipsa Gratia dimicasse adversus hæreticos Pelagianos, ac Te pugnante vicisse: nihil a Te prætermissum, quod pertinere possit ad hanc partem Theologicæ Disciplinæ, & subortis aliquando de hac materia dissidiis, decreto Apostolicæ Sedis omnes controversias ad normam doctrinæ Tuæ fuisse discussas. Profecto in his, quæ de Christi gratia indutus virtute ex alto locupletissime disputasti, atque in aliis singulis sententiis Tuis tradendis, vel propugnandis, tametsi animo meo insederat, quod ceciniisse fertur Possidius Calamensis Episcopus,*

Vide Prosp. adversus Collatorem nu. 2. & Scriptum Clem. VIII. tom. I. MSS. Bibl. Ang. de Aux. p. 75.

Quamvis multorum placuere volumina, libris
Si Augustinus adest, sufficit ipse tibi;

attamen ne propter imbecillitatem ingenii mei sinistra aliqua interpretatione adducerer in errorem, iis neglectis, qui Augustissimo nomine Tuo, & summa qua polles auctoritate abutuntur, dedi operam, ut clarissimorum Virorum, qui præceteris in pervolutandis vindicandisque libris a Te conscriptis fuerunt assidui, maxime Gregorii Ariminensis, Ægidii Columnæ, Christiani Lupi, Henrici Norisii, aliorumque discipulorum Tuorum vestigia calcarem, nil proferens, quod ab his aperte traditum, & valide propugnatum non esset, nil adoptans, quod a præceptoribus meis filiisque Tuis respueretur, nil emittens in lucem, quod Rectores familiæ Tuæ, & domestici exterique censores plenis calculis non probassent. Verum (patere o pauperum Dulcedo, *o filiorum dulce piumque* Solamen, *patere ea, qua flagras, luminosissima caritate filioli Tui querimoniam) verum in me, scriptaque mea eruperunt quidam Christianæ & fraternæ caritatis obliti, quorum in tantam austeritatem supercilium se tetricæ frontis armavit, ut mensuras sensuum, pondera locutionum & numeros syllabarum insidiosi scrutatores eventilent, magnumque se aliquid conficere præsumant, si mihi notam erroris affigant. Jactant in Opusculis meis damnabilia se reperisse. Contexunt ineptissimarum blasphemiarum prodigiosa mendacia, eaque ostendenda & ingerenda multis publice, privatimque circumferunt, asserentes talia in nostro esse sensu, qualia diabolicis continentur indiculis. Affirmant a nobis dogmata Prædestinatianorum defendi, idest, Deum nolle salvare omnes, Dominum Jesum non pro omnium salute, & redemptione crucifixum & passum, liberum arbitrium proprio motu nihil aliud posse, quam malum, homines ad peccata compelli, aliaque his consimilia, olim in Manichæis, deinde in Lutheranis & Calvinistis, postremo in Jansenianis damnata: quumque non habeant discretionem spirituum, ut facilius mendacio consensum eliciant, trahantque ad se ineruditos, audent cordis mei ingredi penetralia, & quidquid culpare non possunt, non intentione Catholici pectoris dictum esse pronuntiant. Me non latet,* Dulcissime Parens, *Te omnium primum iisdem criminationibus fuisse impetitum; verbisque Prosperi doctissimi Vindicis Tui conflatam in me calumniam narravi, ad animum meum quodammodo exhilarandum & recreandum. Scio etiam discipulos filiosque Tuos, quorum nonnullos superius commemoravi, perpessos fuisse*

Lege S. Prosperum adver. Collat. cap. 1. & in Præfat. ad Object. Vincen.

hanc

hanc ipſam iniquiſſimam atrociſſimamque injuriam: id, quod rurſus me relevat & reficit aliquantulum. Ceterum in Te ſapientiæ & ſanctitatis gloria percelebrem, ob devictos hæreticos, pulſoſque ex Africa ſchiſmatum fautores, ob inſtitutiones Monachorum & Clericorum, horumque ad normam vitæ Apoſtolicæ reformationem, ob tot, ac tanta volumina cedro auroque digniſſima, ob diſputationum acumen, & diviniſſima eloquia cunctorum admiratione, & calamo notariorum excepta, atque ob virtutum omnium chariſmata in univerſo terrarum orbe clariſſimum, quidnam poterat obloquentium procacitas, quidnam fallacium calumniatorum hypocriſis? Editis ſtatim adverſus Collatorem lucubrationibus, refutatis objectionibus Vincentianis, rejectis capitulis calumniantium Gallorum, latis ab Apoſtolica Sede decretis, Sanctorumque Conciliorum promulgato anathemate, latrans criminatorum Tuorum loquacitas tacuit, ſiluit, obmutuit. Quidquid pariter attentarunt invidi obtrectatores in præſtantiſſimos Filios Tuos, Lupum Noriſiumque, quum hi eſſent in celeberrimis Academiis docendi munere decorati, de Litteraria Republica optime meriti, fama longe lateque diffuſa, limatorumque Operum editione & celebritate conſpicui, nullum eis attulit detrimentum; imo contulit gloriam, honeſtatem, majoremque nominis amplitudinem. At me illorum, qui ſub vexillis Tuis militant, atque Theologicos Commentarios elucubrarunt, pauperrimum ac miſerrimum, remotum a Procerum conſuetudine, hominumque deſtitutum gratia, favore, benevolentia, quis purgabit ab iniqua criminatione? quis reſtaurabit filioli Tui famam denigratam & laceratam? quis reprimere curabit obtrectatorum meorum procacitatem & arrogantiam? Eja, Pater, *ſine, ut verbis Severi Milevitani Te alloquar,* refundantur mihi viſcera Tua, viſcera pinguia ſagina cæleſti, & condita omni dulcedine ſpiritali, viſcera pura, viſcera ſimplicia, viſcera perfuſa lumine veritatis. *E loco illo ſublimiori cæleſtis Jeruſalem, ubi frueris ineffabilis* Trinitatis *jucundiſſima contemplatione, & torrente voluptatis inebriaris, dexteram ad parvulum Tuum in terris reptantem extende, erige eliſum, atque pro doctrina Tua dicteriis, calumniis & contumeliis vexatum confirma, in cauſam pro Te ſuſceptam intende, apud incorruptos Judices patronus adſiſte, ſubſiſte, ſubtrahe Vindicias iſtas a morſibus obloquentium: Age,* Præſulum Decus, *ut univerſi percipiant neque rationum pondus, neque patrocinium æquitatis, neque veritatis præſidium, neque victoriæ deeſſe triumphum, ubi adeſt unicus* Augustinus. *In Fratrem quoque vita functum, cujus cineres ventilant, & religioſam animam in portus fida ſtatione ſecuram iidem, qui mihi obloquuntur, conantur mergere naufragio, oculos paternos converte: nec patiaris illum, qui prudentiſſime præfuit Familiæ Tuæ, ſtudioſiſſime inveſtigavit Mentem Tuam, diligentiſſime vindicavit venerandas Exuvias Tuas, tamquam ſpurium nothumque cenſeri; ac ſi forte purgantibus flammis conſtringitur, quamprimum ad ſempiternæ felicitatis conſortium, ampliſſimorum meritorum Tuorum interceſſione, evocetur. Iis demum, qui caſtiſſima librorum Tuorum documenta aut ſpernunt, aut ignorant, aut vellicant, impetra cordis deſiderium ut ea quærant, lumen cognitionis ut intelligant, amoris ſuavitatem ut diligant; ſiſque omnibus, qualem Te prædicabat Paulinus Nolenſis,* Magiſter in fide veritatis, & Suſceptor in viſceribus caritatis.

Epiſt. inter Auguſtinian. 109. num. 1.

S. Paulinus epiſt. inter Auguſtinianas 121. num. 18.

APPROBATIO.

MAndante *Reverendiſſimo totius Ordinis Noſtri Præſule, Opus inſcriptum*, Auguſtinianum de Gratia Syſtema Vindicatum, &c. *duobus diſtinctum Tomis ab Admodum Reverendo P. Magiſtro Joanne Laurentio Berti Angelicæ Bibliothecæ Præfecto elaboratum debita animi attentione perlegi; & ſancte teſtor me nihil in eo aut fidei, aut bonis moribus diſſonum offendiſſe, nihil vel ſpongia dignum, vel criſi: ſed conſpexi omnia ſana, limata, noſtriſque Auguſtinianis Scholis undique cohærentia, immo univerſæ Eccleſiæ utiliſſima. Opus eſt ſuo titulo digniſſimum. Quod in fronte ſpondet, ad calcem uſque exequitur fideliter; ſiquidem Auguſtinianam doctrinam a Sanctiſſimis Pontificibus ſummis commendatam encomiis ab impoſturis, cavillis & mendaciis, quæ nuperrime neſcio quis novus Conviciator in ſuis ſatyricis felle & pipere infartis libellis in eamdem evomuit, validiſſime defendit ac vindicat, eamque totam pulchram eſſe comprobat, quando pretioſum a vili, Catholicum ab erroneo optime diſtinguens, latiſſimum diſcrimen palpandum offert, quod Magni Auguſtini ſententias a damnatis in Bajo & Janſenio erroribus toto, ut ajunt, cælo diſtare facit. Nec me a ſubſcribendo abſterret, quod Auctor eximius a natura ſuaviſſimus ſubinde ſtylo concitatiori utatur. An enim ad tot puncturas & obelos Auguſtiniani Profeſſores ſemper cum piſcibus dentes premant? Si licuit larvato Adverſario in falſæ cauſæ præſidium cum palmari charitatis & veritatis injuria contra expreſſam prohibitionem ab Innocentio XI. aliiſque Romanis Pontificibus latam mordere; quis innocentiſſimo Viro vitio vertat, ſi pro almæ veritatis patrocinio altius aliquando clamaverit? Ad ruſticum in ſylvam boatum non poteſt non rauca reſpondere Echo. Longe tamen a jure Talionis noſter religioſiſſimus Scriptor abeſt, probe memor convicia nonniſi aurito Gregi placere quandoque, honeſtis auribus nunquam. Prodeat ergo in lucem publicam hæc omnibus numeris abſolutiſſima* Apologia *ad immortalem Auctoris famam, ad Scholarum noſtrarum protectionem munitiſſimam, ad obturanda maledicentium ora, quæ hucuſque in Auguſtinianum Syſtema non alio argumentorum genere decertare noverunt, quam talia opinionum carcinomata imputando, quæ Auguſtini diſcipulis nec ſomniantibus obrepere, nec vigilantibus probari potuerunt. Ita ſentio, cenſeo, & judico.*

Romæ ad D. Auguſtini, ſecundâ Julii. 1747.

Magiſter Frater Gaſparus Scheurer in Univerſitate Viennenſi Sacræ Facultatis Doctor, utriuſque Germaniæ Aſſiſtens Generalis.

APPROBATIO.

DIſſertationes *Apologeticas, quarum titulus eſt*, Auguſtinianum Syſtema Vindicatum, ſive refutatio Librorum, quorum titulus, Bajaniſmus, & Janſeniſmus Redivivi, &c. *jubente Reverendiſſimo Patre Auguſtino Gioja Generali Ordinis noſtri Moderatore, ea, qua par erat, religionis integritate, animique candore iterum, iterumque evolvi, diligenter expendi, volens denique ac lubens probavi. Æquiſſimi hujus judicii cauſam ne a me quæras; Opus ipſum conſulito. Duo enim cum primis clariſſimus Auctor Joannes Laurentius Berti exquiſite admodum, doctiſſimeque exequitur. Scholæ Auguſtinianæ dogmata ab iniqua prorſus, eaque multiplici Bajanæ, ac Janſenianæ heterodoxias calumnia vindicat. Romanorum Pontificum decreta in Bajum, Janſenium, aliоſque ejus indolis nebulones ſolidioribus forte momentis, quam in alia quavis Catholicorum Theologorum ſententia fieri poſſit, egregie illuſtrat, atque defendit. Illud tum præſtat, quum ſuam ipſe fidem, ſuique ſodalis Fulgentii Bellelli memoriam impiis, atque fœdiſſimis Anonymi impoſturis dehoneſtatam ab omni hæreſeos ſuſpicione ſtrenue liberat. Iſtud vero quum ita memoratos hæreticos ab Eccleſia damnatos oſtendit, ut ab Apoſtolicis anathematis Divi Parentis Auguſtini doctrinam intactam ubique plane evincat. Idque ea ratione factum intelliges, qua ad refractarios hoſce, & rebelles fidei hoſtes frangendos, revocandoſque nulla ſane, ſi quid hac in re video, neque aptior, neque commodior eſſe poterat. Interim ſic ego cenſeo, ſic judico. Opus eſt numeris omnibus abſolutum, Auguſtini diſcipulis apprime gratum, utile, ac neceſſarium, ad Apoſtolicarum conſtitutionum auctoritatem contra Bajanos, & Janſenianos ſectarios tuendam affabre comparatum, adverſariis ipſis forte aliquando probandum; luce tandem ac prælo, quod Superi faxint, quamoppido dignum.*

Romæ apud D. Auguſtini VI. *Idus Auguſti.* MDCCXLVII.

F. Auguſtinus Antonius Georgi Ord. Er. S. P. Auguſtini, Sacræ Th. Magiſter, & in Archigymnaſio Sapientiæ Urbis Sac. Scrip. Interpres.

F. AUGUSTINUS GIOJA
A JUVENATIO

Sacræ Theologiæ Magiſter, totius Ordinis FF. Eremitarum S. P. Auguſtini Prior Generalis, Promovendorum ad Epiſcopatum Examinator, & Viſitator Apoſtolicus.

HArum ſerie litterarum, & noſtri muneris auctoritate tibi admodum Reverendo Patri Magiſtro F. Joanni Laurentio Berti facultatem concedimus, ut typis mandare poſſis Opus a te compoſitum, cujus titulus eſt, *Auguſtinianum Syſtema de Gratia ab iniqua Bajani, & Janſeniani erroris inſimulatione vindicatum*, a duobus Patribus Magiſtris noſtri Ordinis per Nos deputatis reviſum, & approbatum, ſervatis tamen ſervandis juxta decretum Sacroſancti Concilii Tridentini, noſtrique Ordinis ſanctiones, atque obtenta ab eis, ad quos ſpectat, facultate.

Datum in Conventu noſtro S. P. Auguſtini de Urbe die 3. Octobris 1747.

F. Auguſtinus Gioja Generalis,
& Viſitator Apoſtolicus.

Noſtri Mun. ✠ aff. Sig.

Mag. F. Nicolaus Maria Landini
Ordinis Secretarius.

Reg. Lib. 3.

APPROBATIO

TAmetſi Apoſtolicæ Sedis decreto * cautum vetitumque ſit, ne quiſpiam iis Theologorum ſententiis, quæ adhuc inter Catholicos controvertuntur, erroris notam, aliamve cenſuram affigere audeat; erupit tamen Anonymus Cenſor, qui nodum in ſcirpo quærens duorum in primis gravium, illuſtriumque Auguſtinenſis Familiæ Theologorum Fulgentii Bellelli, & Laurentii Berti Commentarios velut Bajanæ, & Janſenianæ contagionis labe reſperſos fædatoſque traducere non dubitavit. Veterem hanc putidamque criminationem ad conflandam Catholicis Scholis invidiam jamdiu excogitatam, atque in eruditos viros paullo liberius hac noſtra ætate regeſtam jam præfocaverat ſapientiſſimus Pontifex Clemens XI. opportune admonens * ſententias illas, quas cum erroribus a S. Sede damnatis nonnulli confundunt, palam, & libere in Catholicis Scholis ſub oculis Romanorum Pontificum doceri, & defendi, eaſque propterea nulli fore cenſuræ obnoxias, & proſcriptioni. At hæc ignoraſſe oportet Anonymum vitilitigatorem, aut contentionis, æmulationis, & partium ſtudio abreptum nauci prorſus feciſſe. Jam vero offuſas per injuriam ſibi, & Auguſtinianæ Scholæ pravi dogmatis umbras Cl. hujuſce Refutationis auctor per arma lucis & veritatis ita diſpellit, ut Bajaniſmi, & Janſeniſmi fundamentis ex imo detectis, univerſaque ſtructura, ac compagine diſſoluta, & disjecta adverſarii, & criminatoris ſui inſcitiam prodat, objecta convellat, cavillationes exſufflet, ſuam denique, & Auguſtiniani ſyſtematis orthodoxiam graviter copioſeque vindicet, apodictice aſſerat, atque inconcuſſe tueatur. Has igitur eximii Scriptoris vindicias juſſu Reverendiſs. P. Sacri Palatii Magiſtri, qua potui diligentia, in examen vocatas ſanæ, Catholicæque doctrinæ prorſus conſentaneas judico, atque in publicam lucem, quo ſuus ſtet Catholicis Scriptoribus honos, tuto poſſe prodire cenſeo.

* Innoc. XI. die 2. Martii 1679.

* Clemens XI. in Bre. vi Paſtoralis Officii VI. Id. Sept. 1618.

Romæ ex Ædibus Minervitanis Pridie Nonas Novembris MDCCXLVI.

F. Thomas Auguſtinus Ricchinius S. T. M.
Collegii Caſanatenſis Theologus Ord. Præd.

APPROBATIO.

IN *Opere, quod me pervolvere juſſit Reverendiſſimus Pater Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter, & quo celebris Auguſtinianæ Familiæ Theologus Joannes Laurentius Berti ſuum, ſodaliumque ſuorum de Divina Gratia Syſtema ab iniqua Bajani, Janſenianique erroris inſimulatione vindicavit, nihil inveni ab Orthodoxis regulis alienum; & ſum admiratus Clariſſimi Viri moderationem, ſubactum ingenium, eruditionem, ac perſpicuum in re implicatiſſima ordinem; quippe hæreſeos notam ſibi, aliiſque Inclyti Ordinis ſui Theologis temere, & contra ac ſtatutum eſt a Romanis Pontificibus, ab Anonymo Cenſore inuſtam, modeſte diluit, atque repellit; & Auguſtinenſium Monachorum opiniones per diſtincta capita clare explicatas proponit, palamque facit ex Auguſtino optimo hac in re Eccleſiæ Rectore, & Magiſtro omnes eſſe collectas, & ab omni erroris ſuſpicione immunes eſſe demonſtrat; cum celebriorum Theologorum auctoritate, tum Gallorum Epiſcoporum decretis, tum etiam irreformabili Romanorum Pontificum ſententia; atque a Calvini, Lutheri, Baji, Janſenii, Queſnellique erroribus, in principiis, conſecutionibuſque, ac toto, ut ajunt, cælo diſcrepare, evidenter oſtendit. Quam ob rem Opus hoc non ſolum utile, ſed etiam neceſſarium eſſe cenſeo, ut ex eo facile diſcere queant omnes, quæ ſit Magni Auguſtini de Divina Gratia ſententia, quamque longe hæc, & Auguſtinianenſium Theologorum opiniones a Novatorum erroribus diſſideant; & ne amplius Orthodoxas opiniones cum damnatis erroribus confundant, & miſceant, neque Orthodoxos Theologos cum magno Fidelium ſcandalo, & Hæreticorum plauſu per ora hominum traducant, atque hæreſeos inſimulent.*

Ex Cœnobio Aracælitano Kalendis Junii 1747.

F. Philippus Lipperi de Carboneano Ord. Min. Lect. Jub., Sac. Cong. Ind. Conſ., Supremæ & Univ. Inq. Qualificator, & in Collegio de Propaganda Fide Philoſophiæ Profeſſor.

INDEX DISSERTATIONUM.

DISSERTATIO I.

CAPUT I. *De sensu Bajanæ propositionis* 38. Omnis amor creaturæ rationalis, &c. 82.

§. I. *Exponitur multiplex sensus ejusdem propositionis.* ibid.

§. II. *Quid affirmaverint de eodem sensu auctores, qui scripserunt ante constitutionem* Unigenitus. 85.

§. III. *Prædictorum auctorum iudicium æquissimum rectissimumque esse monstratur.* 88.

§. IV. *Ostenditur auctores, qui scripserunt post constitutionem* Unigenitus, *asserere articulum Baji* 38. *in sensu caritatis habitualis, & gratiæ sanctificantis fuisse proscriptum.* 90.

§. V. *Augustinianos scriptores, qui post Const.* Unigenitus *lucubrationes Theologicas ediderunt, propositiones, de quibus est quæstio, in sensu caritatis habitualis, aut justificantis accepisse apertissime demonstratur.* 94.

§. VI. *Evincitur eos, qui docent propositiones Quesnellianas de Caritate proscriptas fuisse in sensu caritatis habitualis, aut justificantis, id asserere librato æquissimoque judicio.* 95.

§. VII. *Referuntur alii pravi sensus Bajani articuli* 38. *& demonstratur quo item sensu ab Alexandro VIII. damnata sit propositio* 7. *inter* 31. *atque ex dictis inferuntur duo apertissima Corollaria.* 96.

§. VIII. *Notæ, & responsiones ad ea, quæ ab Anonymo proferuntur circa sensum Bajani articuli* 38. *pag.* 98.

CAPUT II. *Demonstratur in libris* De Theologicis disciplinis *pravos omnes sensus Bajani articuli* 38. *refelli.* 106.

§. I. *De priori sensu in Bajana propositione proscripto, atque in libris nostris rejecto.* ibid.

§. II. *De altero pravo sensu in articulis Baji cubante.* ibid.

§. III. *De tertio Bajano sensu item abjiciendo.* ibid.

§. IV. *De quarto Baji sensu pariter reprobando.* 107.

§. V. *De sensu quinto Baji, itidem noxio ac damnato.* ibid.

§. VI. *Discutiuntur momenta, quibus Anonymus nititur demonstrare in libris* de Theologicis disciplinis *sensum propositionis Bajanæ* XXXVIII. pag. 108.

CAPUT III. *In quo demonstratur præstantissimum auctorem librorum, quorum titulus,* Mens Augustini, *ab omni pravo, hæretico, & erroneo sensu Bajani art.* 38. *fuisse alienissimum.* 111.

§. I. *Rejicit P. Bellelli præcipuum sensum in* 38. *Baji articulo reprobatum.* ibid.

§. II. *Agnoscit idem auctor actus permultos, qui non sunt a caritate, nec tamen a cupiditate vitiantur.* ibid.

§. III. *Innatum amorem beatitudinis, qui non est caritas, neque cupiditas, Fulgentius Bellelli sæpe commemorat.* 112.

§. IV. *Inter cupiditatem & caritatem Augustinianus Theologus medios fatetur actus indeliberatos immunes a culpa.* ibid.

§. V. *In libris inscriptis,* Mens Augustini, *commendantur habitus, actusque a caritate sejuncti.* ibid.

§. VI. *Responsio ad ea, quibus Anonymus nititur demonstrare in Scriptis Fulgentii Bellelli sensum Bajani articuli tricesimi octavi.* 113.

DISSERTATIO II.

CAPUT I. *De sensu propositionis Baji* 27. Integritas primæ creationis, &c. *pag.* 123.

§. I. *Demonstratur idem sensus summorum Theologorum luculentissimis testimoniis.* ibid.

§. II. *Idem pravus & hæreticus sensus ex Baji articulis, horumque plana & obvia significatione deducitur.* 126.

§. III. *Commenta Baji circa integritatem & conditionem primi hominis ex Bajanis scriptis uberius explicantur.* 127.

§. IV. *Ex damnatione propositionis* 35. *Quesnelli ea, quæ dicta sunt, confirmantur.* 128.

§. V. *infertur ex dictis differre ab errore Baji sententiam Catholicorum, qui negant statum* puræ naturæ. 129.

§. VI. *Pertractatur de appetitu innato creaturæ rationalis videndi Deum.* 130.

§. VII. *Non esse in Bajo damnatam eorum sententiam, qui tradunt non potuisse primum hominem condi cum perduelli concupiscentia.* 132.

§. VIII. *Agitur de immunitate a morte.* 134.

§. IX. *Notæ ad ea, quæ ab Anonymo præmittuntur circa ſenſum Bajani articuli vigeſimi ſeptimi.* 135.

CAPUT II. *In libris* de Theologicis diſciplinis *refutari damnatum, pravumque ſenſum vigeſimæ ſeptimæ Bajanæ propoſitionis, ex illorum librorum expreſſiſſimis locis evincitur.* 139.

§. I. *Admittuntur a nobis dona ſupernaturalia in prima Angelorum, & hominis conditione.* ibid.

§. II. *Diſtinguuntur in libris noſtris munera primæ conditionis a naturæ proprietatibus.* 140.

§. III. *Nullibi affirmavimus potuiſſe Adam promereri vitam æternam propter naturalem ordinationem.* ibid.

§. IV. *Non poterat in ſententia noſtra primus homo ſine gratia ad ſempiternam beatitudinem pervenire.* ibid.

§. V. *Adamo, & Angelis gratia proprie dicta collata fuit, idque aperte a nobis aſſeritur.* 141.

§. VI. *Diſcutiuntur quæ in libris* de Theologicis diſciplinis *offendit Anonymus, & tamquam cohærentia articulo viceſimo ſeptimo Baji, inſulſiſſime & nugaciſſime vellicat.* ibid.

CAPUT III. *Eximius Theologus Fulgentius Bellelli ab illata Bajani erroris calumnia ob ea, quæ docuit de prima hominis conditione, defenditur & purgatur.* 143.

§. I. *Fulgentius Bellelli ſupernaturalia dona in prima rationalis creaturæ conſtitutione non denegat.* ibid.

§. II. *Nullibi idem auctor dona gratiarum inter naturæ proprietates connumerat.* ibid.

§. III. *P. Bellelli gratiam ſanctificantem in ſtatu quoque primæ conditionis ad meritum æternæ vitæ neceſſariam fuiſſe docuit.* 144.

§. IV. *Gratiam, aliaque dona ſupernaturalia Auguſtinianus Theologus agnovit in prima Angelorum & hominis conditione.* ibid.

§. V. *Idem Theologus dona Adæ collata gratiam proprie dictam fuiſſe commonſtrat.* ibid.

§. VI. *Reſponſio ad ea, quæ adverſus Fulgentium Bellelli ab Anonymo producuntur ad comprobandam illius cum Bajo conſenſionem in iis, quæ ſpectant ad primæ conditionis integritatem.* 145.

DISSERTATIO III.

CAPUT I. *De ſenſu ceterorum articulorum, de quibus Auguſtinianam Scholam Anonymus criminatur.* 157.

§. I. *Quo ſenſu Bajani articuli* 34. *&* 36. *proſcripti fuerint.* ibid.

§. II. *De Bajanis articulis vigeſimoquinto, & vigeſimo ſexto.* 159.

§. III. *Traditur articulorum* 28. *&* 29. *Baji proſcriptus ſenſus.* 161.

§. IV. *Quomodo intelligendus ſit textus Pauli ad Rom.* 14. Omne autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt. 162.

§. V. *De Auguſtiniana interpretatione verborum Apoſtoli,* Sive ergo manducatis, &c. 163.

§. VI. *Explicatur uberius Auguſtiniana ſententia, hujuſque a Bajana diſcrimen.* 167.

§. VII. *Adnotationes in ea, quæ Anonymus profert exponendo ſenſum propoſitionum Baji, de quibus in hac Velitatione diſſeritur.* 171.

CAPUT II. *In libris* de Theologicis diſciplinis *recenſitos Baji errores perſpicue & expreſſe refutari, adverſus Anonymum demonſtratur.* 177.

§. I. *Baji errores enuntiari in propoſitione* 34. *&* 36. *a nobis apertiſſime rejiciuntur.* ibid.

§. II. *Proſcripſimus item Bajanum dogma in prop.* 25. *&* 26. *enuntiatum.* ibid.

§. III. *Refutantur a nobis errores prop.* 28. *&* 29. *Michaelis Baji.* 178.

§. IV. *De expoſitione Apoſtolici textus,* Omne, quod non eſt ex fide, &c. ibid.

§. V. *De verbis Apoſtoli,* Sive ergo manducatis, &c. ibid.

§. VI. *Ad ea, quæ adverſarius nobis opponit, perſpicua & expedita reſponſio.* 179.

CAPUT III. *In Scriptis præſtantiſſimi Theologi Fulgentii Bellelli nihil inveniri, quod præmiſſis Baji erroribus aliqua ratione cohæreat, productis viri doctiſſimi verbis evincitur & demonſtratur.* 183.

§. I. *Fulgentius Bellelli rejecit propoſitionum* 34. *&* 36. *pravum ſenſum.* ibid.

§. II. *Refutavit P. Bellelli prop.* 25. *&* 26. *ſenſum noxium.* 184.

§. III. *Auguſtinianus Theologus errorem propoſitionum* 28. *&* 29. *vitavit.* ibid.

§. IV. *A Bajana interpretatione textus Apoſtoli,* Omne, quod non eſt ex fide, &c. *Fulgentius Bellelli receſſit.* 185.

§. V. *Bajo Pater Bellelli adverſatur in ſententia de operibus deliberatis in Deum referendis.* ibid.

§. VI. *Anonymi adverſus præclarum Theologum Fulgentium Bellelli objectiones reliquæ colliguntur, atque exſufflantur.* 186.

PRÆFATIO.

STatim ac Romam pervenerunt volumina duo, auctore Anonymo, ac furtivis typis in lucem edita, in quibus ego, ac vir ornatiſſimus, & de Auguſtiniana familia optime meritus Fulgentius Bellelli, immo noſtro ſub nomine univerſi Auguſtinenſes Theologi, invidioſo, probroſiſſimoque *Bajaniſtarum*, & *Janſeniſtarum* nomine traducimur atque infectamur; primo ſparſus per eruditorum virorum conſortia rumor, deinde quædam accuſationum capita, poſtremo ipſa quoque volumina ad me forte fortuna fuerunt delata. Tum vero permulti cum domeſtici, tum alii mihi amicitia & litterarum conſuetudine conjuncti inſtare plurimum & flagitare cœperunt, ut accuſatori reſponderem, inculcantes quod ad Pammachium ſcripſit Magnus Hieronymus, & vindicationibus ſuis, in quibus ſimilem, eamdemque calumniam confudit, præmiſit illuſtris Noriſius, *Nolo in ſuſpicione hæreſeos quemquam eſſe patientem, ne apud eos, qui ignorant innocentiam ejus, diſſimulatio conſcientia judicetur, ſi taceat.* Et ego quidem hujuſmodi ſtimulis exagitatus conſcribendis his Apologeticis diſſertationibus animum appuli, maxime quod ante paucos annos ad ſuperos migraverat vir ille doctiſſimus, qui priori loco ab adverſario carpitur atque impetitur, & qui ſi inter nos vitam ageret, majori proculdubio eruditione ac doctrina ſatisfaceret adverſario. Verum etſi abſque ullo temporis intervallo vindicias iſtas, aut ſaltem majorem harum partem perfeci, quod exigui laboris, ac minimi negocii fuit, & præterea has diſſertationes viris in Urbe clariſſimis, & qui eas minime improbarunt, legendas tradidi; qua utique in re diligentiam ſaltem, ac ſolicitudinem meam teſtaturos illos eſſe nequaquam dubito: plures tamen cauſſæ, eæque graviſſimæ aderant, quibus ne prælo lucubratiunculas iſtas committerem, aut id agerem opportuniori tempeſtate, haud mediocriter permovebar.

Quare Vindiciarum iſtarum editio aliquantulum dilata fuerit.

S. Hieron. ep. 61. nunc 38. *Noris tom. 1. pag. 1135.*

II. Prima harum cauſſarum fuit, quod nec novum, nec inuſitatum eſt Auguſtinianæ doctrinæ defenſoribus (quales nos eſſe tum ob rationem inſtituti, tum præſertim ob ejuſdem doctrinæ celebritatem atque utilitatem fatemur, & gloriamur,) iſtiuſmodi inſimulationes & criminationes opponi. Etenim ne memoria repetam, quæ vivente adhuc Auguſtino, ſive in Africa, ſive in Galliis contigerunt, ubi nonnulli fuere doctrina quoque, ac ſanctitate percelebres, quibus S. Patris de Gratia, ac prædeſtinatione ſententia viſa eſt adverſari antiquiorum teſtimoniis, necnon fatalem quamdam inducere neceſſitatem; id quod tandem nobis objicitur, dum tamquam *Janſeniani* traducimur: vix ad ſuperos migraverat maximum illud Eccleſiæ Lumen, & hæreticorum Malleus, Latinorumque Patrum nobiliſſimus Auguſtinus, quando vel ſuppreſſo, vel etiam evulgato auctorum nomine, quidam prodierunt prodigioſiſſimarum blaſphemiarum indiculi, in quibus libri a Sanctiſſimo Antiſtite editi adverſus liberi arbitrii diremptores, ſive inimicos gratiæ Chriſti, eo præſertim nomine infamabantur, quod traderent homines ad peccata ineluctabili neceſſitate compelli, non omnes ad gratiam vocari, nolle Deum hominum univerſorum ſalutem, nec pro totius mundi redemptione Salvatorem crucifixum fuiſſe, aliaque hujus generis portentoſa mendacia comprehenderent. Atque id ex Reſponſionibus Beati Proſperi *ad Capitula calumniantium Gallorum*, *ad objectiones Vincentianas*, & *ad Excerpta Genuenſium*, facile poterit unuſquiſque deprehendere. Eadem poſtea objecta fuiſſe Auguſtini diſcipulis, quando conficta *Prædeſtinatianorum* hæreſi, quam hominum commentum fuiſſe arbitrantur Scriptores præſtantiſſimi, aut ſi ea penes quoſdam rudiores extitit, certe ab Auguſtinianæ doctrinæ propugnatoribus alieniſſima fuit; capita his, quæ in Opuſculis Proſperi refelluntur ſimillima, ab Arelatenſi & Lugdunenſi ſynodis dicuntur eſſe proſcripta: iiſdem accuſationibus poſtmodum ſubjecti fuere Theologi fere omnes, qui gratiam ſuapte natura effectricem, & ex divina prædefinitione cum actu conjunctam totis viribus, lacertiſque tutantur, aut negant ſufficientia illa adjutoria, quibus abſque alterius præſtantioris auxilii munere in actum prodeat liberi arbitrii facultas, indiſcriminatim recipi ab omnibus, pro quibus piiſſimus humani Generis Reparator ſubiit teterrimum, crudeliſſimumque crucis ſupplicium, quantumvis ſceleſtiſſimis, ac ſponte eadem adjutoria rejicientibus, & conculcantibus. Sunt autem hi Theologi, quos hujuſmodi inſimulationi-

Auguſtinianæ, ac Thomiſticæ doctrinæ propugnatoribus ſæpe eædem calumniæ fuerunt illatæ.

Vide Noris tom. 1. pag. 450.

bus

bus ſubjectos dixi, non ii tantum, quos Auguſtinenſes appellant, ſed etiam Prædicatorum Familiæ, ac Thomiſticæ Scholæ viri percelebres, ac præſtantiſſimi. Ut de his nonnulla dicam; puto Theologis omnibus compertiſſimum, in celeberrimis Congregationibus *de Auxiliis* exhibitum fuiſſe Sanctiſſimo Domino noſtro Paulo V. Pontifici Maximo ſcriptum P. Baſtidæ, in quo is demonſtrare nitebatur conformitatem, & cohærentiam doctrinæ Calvinianæ cum Thomiſtica, hæreſiarchæ Calvini, ac Thomiſtarum collatis invicem teſtimoniis compluribus: quod ante paucos annos moliri iterum aggreſſus eſt Livinus Meyer in libro *de mente Concilii Tridentini circa gratiam phyſice prædeterminantem*, adverſus alterum de ipſomet argumento ab Antonino Reginaldo conſcriptum: in quo, capite quinto demonſtrandum aſſumitur, *Calvini doctrinam de gratia a ſeipſa efficaci, & prædeterminantium opinionem nullo in apice diſſimilem videri*: immo proximo capite auctor provinciam hanc ſubiit aperte demonſtrandi, *quod non alias hinc conſequentias Calvinus deduxerit, quam deducant illi, qui gratiam phyſice prædeterminantem cum ipſo defendunt*, Calvini, & Banneſii hinc inde verbis, lociſque productis. Manifeſta itidem ſunt quæ de Thomiſtarum ſententia ſcripſere, ut mittam Launojum, Petrum Valcluſinum, Cartherium, obſcuroſque auctores librorum de *Immunitate Cyriacorum*, *De concordia & affinitate doctrinæ Dominici Bannes, & Calvini circa Prædeterminationem phyſicam*, aliorumque a Goneto, Baronio, Caſalas, ceteriſque Dominicanis Apologiſtis rejectorum, Theophilus Raynaudus in Opuſculo inſcripto, *Vulpes parvula capta, & corio nudata*, quo affirmat in Caviniſmum eos labi, qui aſſerunt cum phyſica prædeterminatione perſiſtere libertatem, utentes pervulgata illa diſtinctione *ſenſus compoſiti*, ac *diviſi*: Auctor Epiſtolarum ad Alexandrum, qui ep. 8. haud veretur aſſerere, *conſectaria*, quæ deducuntur ex Thomiſtarum principiis, eamdem eſſe doctrinam, *quam profitentur novorum dogmatum artifices*: Bajanarum rerum deſcriptor Ducheſnius, qui religioſiſſimum, doctiſſimumque virum Petrum a Soto mollioris Calviniſmi, ſeu Bajani, & Janſeniani ſyſtematis præcipuum aſſertorem ac inſtitutorem fecit, valide refutatus a viro hujus ævi eruditiſſimo & clariſſimo Joſepho-Auguſtino Orſi; Gabriel Daniel, a quo Angelicam Scholam inique traduci ac ſuggillari, affirmat demonſtratque Auctor Hiſtoriæ Congregationum de Auxiliis in Opere inſcripto, *Schola Thomiſtica vindicata*, & ipſe Janſenianis a Joanne Clerico adumeratus: & ne alios commemorem ab eodem Scriptore recenſitos, Commentator ille Ariſtotelicæ Philoſophiæ, qui ubi Janſenio in libertate evertenda Thomiſtas æquiparavit, hoc unum ſtatuit inter illos diſcrimen, quod cum utrique in principiis conveniant, Janſenius in conſecutionibus inferendis melior cenſendus ſit dialecticus. Nihilo tamen minus Thomiſtas a Janſenianis diffidere non tantum conſtat ex illorum doctrinæ ampliſſima commendatione, Apoſtolicæ quoque Sedis teſtimoniis honeſtiſſimis corroborata, ut commonſtrant Alexandri Septimi ad Doctores Lovanienſes, Benedicti XIII. & Clementis XII. ad FF. Prædicatores Litteræ ac Brevia; verum etiam ex confeſſione multorum, ex illuſtri eorum cœtu, qui prædefinitiones, & gratiæ efficacitatem ad ſenſum Thomiſtarum repellunt; cujuſmodi ſunt Franciſcus Annatus in libro, quem edidit, dum Romæ cauſa Janſeniana diſcutebatur, & cui titulum fecit, *Janſenius a Thomiſtis condemnatus*, Stephanus Dechamps lib. 2. de Hæreſi Janſeniana diſp. 3. cap. 3. Joannes Martinonus, ſive Antonius Moraines, in ſuo *Antijanſenio*, & qui priori loco mihi commemorandus erat, Joannes Martinez de Ripalda; qui tom 2. diſput. 113. ſect. 9. numer. 53. fatetur idcirco a ſuis *notam Calviniſmi* objectam Scholæ Thomiſticæ, *ut notam Pelagianiſmi ſuæ ſententiæ vitarent*. At de his plura in prælaudata Apologia Thomiſtarum Joannes Baptiſta Gonet. Hæc non alia ratione dicta ſunt, niſi ut unuſquiſque probe intelligat, in more apud adverſarios noſtros poſitum eſſe, iis, qui gratiam ſe ipſa effectricem, aliaque Auguſtinianæ doctrinæ aſſerta propugnant, Manichæiſmi, Calviniſmi, Bajaniſmi, ac Janſeniſmi turpiſſimam impingere notam; quam nedum Thomas Lemoſius, Norbertus Delbechius, Petrus a Soto, Natalis Alexander, Hyacinthus Serrius, & recens Probabiliſmi Inſectator, quem conficta ludicra quadam *Retractatione* nonnulli exponere tentarunt infimæ plebeculæ deriſionibus, ſed & reliqui Thomiſtæ univerſi, ut ex dictis manifeſtum eſt, ſubiere: ideoque non parum curandum eſſe ingenuis cordatiſque ſcriptoribus, ſi libri a ſe in lucem editi conſimile fatum experiantur.

Habetur in Bibl. Angelic. Cod. 7. pag. 207.

Ad calcem Hiſt. de Aux. P. Meyer cap. 5. pag. 13. & cap. 6. pag. 35.

Rayn. tom. 18. pag. 268.

Epiſt. 8. ad R. P. Alex. pag. 241.

Serry Prælect. tom. 2. pag. 519.

Br. Alex. VII. die 9 Auguſti 1660. Bened. XIII. die 6. Nov. 1724. Clem. XII. die 2. Oct. 1733.

Gonet tom. 1. pag. 331. & 360.

III. Auguſtinenſium vero, qui tamquam Bajani, & Janſeniſtæ palam & clanculum fuerunt traducti, duos tantum in præſentia producam, Chriſtianum Lupum, & Henricum S. R. Eccleſiæ Cardinalem Noriſium. Et quantum ad Lupum attinet, ſemel, iterum, ac tertio ad ſupremum S. Inquiſitionis tribunal delatus fuit propter aſſerta omnino cum illis eadem, quæ nuperus accuſator rodit rurſum, atque exagitat, ut apertiſſimis monimentis demonſtrare poſſumus, præſertim ex accuſationum tranſumptis, atque ex Epiſtolis datis anno

Proferuntur domeſtica exempla duo.

no 1679. ad Jacobum Florellium Venetum ab erudito viro Joſeph Sabbatinio Ravennate: qui ulterius certa experientia, rerumque eventu certior factus Vitam illius ſummi viri deſcribens, *Qua etiam tempeſtate* (inquit) *nonnulli alii, quorum nominibus parco, eo proceſſere, ut virum tranquillitatis amantiſſimum, ac in primis Catholicum, tamquam turbarum incentorem, ac purum putum Janſeniſtam,* (*ſic enim modo contumeliæ cauſa a quibuſdam appellari ſolent quicunque vel Auguſtinianam doctrinam ſectantur, vel morum laxitatem adverſantur*) *incuſarunt, &c.* Quid autem de Henrico Cardinali Noriſio? Maximam inter hunc & Janſenium doctrinæ neceſſitudinem interceſſiſſe non jactabant tantum, qui Hiſtoriam Pelagianam, & Vindicias Auguſtinianas non ſemel tamquam fœtum in lucem editum a diſcipulo Pſeudo-Auguſtini Iprenſis ſupremis judicibus denuntiarunt, de qua re legendi qui de rebus a Noriſio geſtis ornate diligenterque ſcripſere, Franciſcus Blanchinius, Hieronymus Zazzerius, & Fratres Ballerinii; ſed etiam qui ſub corio Brunonis Neuſſer, & Fulgentii Risbrochii latuerunt, & quos Noriſius ipſe refellit in Opuſculis, quæ inſcripſit, *Ad Parallelum propoſitionum damnatarum Michaelis Baji, & quarumdam ſimilium Henrici Noris, Janſeniani erroris calumnia ſublata, Gerras Germanitates, & Scrupulos Anonymi evulſos, & eradicatos*: necnon qui Vindiciis Sanctorum Hilarii Arelatenſis, & Vincentii Lirinenſis, data opera contra Noriſium a perſonato Brunone Neuſſer conſcriptis, addidere inſcriptionem illam, *Contra diſcipulos Pſeudo-Auguſtini Iprenſis*: qui in lucem emittendum paraverat opus adhuc in pluteis inſignis Bibliothecæ deliteſcens, cum epigraphe illa pulcherrima, ac venuſtiſſima, *Noris Janſenianus*, Auctor Bibliothecæ Janſeniſticæ, de quo dicam alibi; & qui demum, Noriſio ad Vaticanam Purpuram promoto, tabeſcens livore famoſum diſticon evulgavit.

Codex Mſſ. Bibl. Angelicæ nu. 40. pag. 295. In Præfat. Operum Lupi Ven. edit.

Vide Act. SS. tom. 2. Maji die 5. pag. 34. & 35. num. 3.

Si merito Tyrio fulget Noriſius oſtro,
Debuit Iprenſi trina corona dari.

De hoc diſticho Auctor Vindiciarum Vet. Script. pag. 5.

Et tamen quis ignorat Noriſii nomen adeo in ore hominum celebre, ejuſque doctrinam poſt tot, ac tantas diſcuſſiones ab omni cenſura immunem, & tamquam igne probatam a ſingulis ſummopere commendari; nec a Theologis duntaxat, ſed etiam ab Hiſtoricis univerſis, & præſertim a reconditæ eruditionis veſtigatoribus plurimum æſtimari, adeo, ut BENEDICTUS XIV. nulli aut ſapientia, aut æquitate ſecundus, qui olim Noriſio familiariſſime uſus eſt, hujuſque Opera non ſemel magna cum voluptate perlegit, in Brevi ſuperiori anno ad nos dato egregium Virum appellare minime dubitaverit *Romanæ Eccleſiæ ſplendiſſimum Lumen*? Honeſtiſſimum autem ac celeberrimum Noriſii nomen, ejuſque ſingularis doctrina videbatur nos ab adverſariorum dicteriis valido tanquam clypeo protegere, maxime quod in *Bajaniſmo*, & *in Janſeniſmo Redivivis* recocta eadem omnino ſunt, quæ olim Noriſio objecta fuerunt, ut ex laudatis Noriſianis opuſculis, atque ex hiſce noſtris diſſertationibus manifeſtiſſimum eſſe arbitramur. Hac ergo de cauſa ſilendum mihi eſſe cenſebam, quod nonniſi inſulſa, ac ſæpenumero contrita nobis objectari intelligerem; & quod docti omnes agnoverunt, non mei, abjecti vulgariſque hominis, ſed totius Communitatis noſtræ, ac præcipue eorum, qui Noriſio ſubſcribunt, undique ſententiam proſcindi; ita, ut ſatis ſuperque futurum fore crediderim, ſi nil aliud reponeretur detractori, niſi quod ad præmiſſum diſtichon reſpondit Noſtratium quidam:

Bened. XIV. Brevi, Inter maximas, an. 1745. die 31. Martii.

Noris ab Iprenſi tam longe dogmate diſtat,
Degis ab honeſto quam procul ipſe viro.
Pontificis placito ſi Noris murice fulget,
Non hunc, ſed laceras, improbe, Pontificem.
Dogma, quod impingis, Noris difflavit: at ipſe
Quod fueris dicax tollere non poteris.
Roma unum damnans, alium ſi murice veſtit,
Te detractorem, livide, nonne probat?

Quid enim in nos aut ſuſpicionis, aut dedecoris cadere unquam poteſt, ſi eadem prorſus patiamur, quæ tot, tantique viri effugere minime potuerunt? Ego utique quum ſæpenumero animadvertam ab Auguſtini ætate ad hæc uſque tempora in propugnantes victricem gratiam, aliaque Scholæ noſtræ inſigniora decreta, eaſdem jactatas fuiſſe criminationes, atque eam præſertim, quæ caput eſt ceterarum, quod cum Manichæis, cum Prædeſtinatianis, cum Calviniſtis, & poſtremo cum Janſenii gregariis, quos omnes adinſtar anguium cauda ſimul colligatos non male a me ſcriptum ſentio; tantum abeſt, ut indignatione

Vide tom. 3. pag. 264.

tione commovear, quin potius majorum noſtrorum facta, fortunamque perpendens illud repetere ſoleo cum ſapientiſſimo Inſtitutore ac Parente, *Me oportet cum talibus convicia non ſolum patienter, verum etiam gratanter audire.*

Lib. 2. Op. im. perf. cap. 9. tom. 10. pag. 960.

IV. Neminem vero ex quo ſententiæ noſtræ permulti magna ſemper animoſitate adverſati fuerint, illaturum eſſe puto, quod illa aut præſeferat ſpeciem aliquam falſitatis, erroriſque ſimilitudinem, aut ſaltem minus plauſibilis ſit, ceteriſque Scholaſticorum placitis poſtponenda. Nam, ut omittam Terentianum illud, tritiſſimumque pronunciatum, *Veritas odium parit*, & quod paullo ſupra ajebat Ripalda, a quibuſdam objici nobis Prædeſtinatianorum deliramenta, ut ipſi notam Pelagianiſmi vitare queant; quod tamen a nobis, qui & Apoſtolicis Conſtitutionibus obtemperare, & Chriſtianam pacem, communemque conſuetudinem ſervare, & cuſtodire vehementer deſideramus, nemo unus expectare debet: principio advertendum eſt, quæſtiones de gratia & libero arbitrio perdifficiles eſſe, ita ut *quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri*, prout lib. IV. contra Julianum capite 8. aliiſque in locis ait Auguſtinus: ideoque nil mirum, ſi in obſcuriſſimis his, & ad diſcernendum difficillimis quæſtionibus, nobis gratiam deprædicantibus objiciatur exitium atque interitus libertatis; quemadmodum neque illud mirandum eſt, ſi noſtratium aliqui fervore diſputationis abrepti defenſoribus liberi arbitrii objecerint quod veram Chriſti gratiam aut negent, aut deprimant. Fecit enim id aliquando quæſtionis profunditas, non intemperata aliis conviciandi libido; & poſtquam utrique parti ſilentium indictum eſt, peſſime proculdubio ſe gerunt quicunque aut nos Prædeſtinatianis, aut adverſarios noſtros Pelagianorum Reliquiis accenſent. Deinde recreat nos, atque exhilarat quod ubi objectamenta illa ſpargere cœperunt Maſſilienſes, Sanctus Cæleſtinus in ſua ad Gallos Epiſcopos Epiſtola ſilentio impoſito dedit operam, ut hac de re in poſterum querela ceſſaret, nec aliquis Auguſtino ſuiſque tamquam modum exceſſerint, obloqueretur, affirmans nunquam glorioſiſſimum, invictiſſimumque Gratiæ vindicem adſperſum fuiſſe *ſiniſtræ ſuſpicionis rumore*. Ubi etiam Auguſtini diſcipuli tamquam Prædeſtinatiani fuerunt traducti, fictitiam eſſe hanc hæreſim viri doctiſſimi ac ſanctiſſimi affirmaverunt, docentes hujus hæreſeos nomine non alios notari, quam *Catholicos omnes Auguſtini fideliter veraciterque ſequaces*, ut adverſus Joannem Erigenam ait S. Prudentius Trecenſis Epiſcopus, & cum Prudentio S. Remigius, & Lugdunenſis Eccleſia: & ſi qui illam hæreſim revera extitiſſe putarunt, ut Tyro Proſper, Sigebertus, & Auctor *Prædeſtinati* editus a Sirmondo, quos tamen refutavit illuſtris Noriſius, non illam ab Auguſtino traditam, ſed ex ejus libris *male intellectis* initium ſumpſiſſe dixerunt: & qui latenter prætextu aut Lucidum presbyterum, aut Gotheſcalchum Monachum revincendi, Auguſtinianam quoque ſententiam aliquatenus momorderunt, quod præſtitere Fauſtus Rejenſis, & Gennadius Maſſilienſis, effugere notam Semipelagiani erroris minime valuerunt. Dum vero aut Prædeſtinatiani illi, ſi extiterunt, aut novantes, ac poſteriores dogmatiſtæ Bajus, Janſenius, Queſnellius, ſeſe Auguſtini nomine ac doctrina munire curarunt, ejuſque auctoritate ac ſententiis abuſi ſunt; nequaquam Fulgidiſſimo Eccleſiæ Lumini vel minimam nubeculam potuerunt ingerere. *Neque enim*, ajebat contra Mocianum Scholaſticum Facundus Hermianenſis Epiſcopus, *melius loqui potuit Auguſtinus, quam Prophetæ, quam Apoſtoli & Evangeliſtæ, quorum verbis ſimiliter male intellectis, & incongrue adhibitis tam multi hæretici ſuos defendere conantur errores*. Et quoniam nuper Baji mentionem feci, neminem latet Gregorium XIII. Pontificem Maximum, qui Bullam S. Pii V. contra eumdem Bajum in lucem edi mandavit, & confirmavit, atque Lovanium ad componenda diſſidia a Baji fautoribus excitata miſit præſtantem virum Franciſcum Toletum S. J. poſtea Vaticana Purpura condecoratum, adverſus Auguſtinum ejuſque doctrinam inverecunde agentibus, ut in ſua *Defenſione* teſtantur Lovanienſes Theologi, indixiſſe ſilentium. Damnatis quoque Janſenianis propoſitionibus, longe ab his diſſidere SS. Auguſtini ac Thomæ *Dogmata inconcuſſa*, e Petri Sede, ut diximus, pronuntiarunt Alexander VII. & qui ſubſecuti fuerunt Pontifices Maximi. Joannem inſuper Launojum contendentem conformia eſſe veterum Traditioni quæ circa prædeſtinationem & gratiam adverſus Auguſtinum diſputantur, confixit Vaticano fulmine Clemens XI. a quo itidem proſcriptis Queſnellianis articulis, ſuus ſemper honor, cultuſque exhibitus eſt Auguſtino, utpote qui & falſam illam traditionem a Launojo jactatam prævenienti gratiæ adverſantem, & nefariam hanc Queſnellianam libertati exitioſam, regia incedens via declinaverit. Ita ergo ab oppugnatoribus ſuis nullum præjudicium paſſa eſt, aut patitur Auguſtiniana doctrina: immo hinc celebrior redditur, ac plauſu, & probatione longe dignior; maxime ſi addantur de Auguſtino Pontificum, Conciliorum, Patrum,

Ex dictis nullum Auguſtinianæ doctrinæ ſequitur præjudicium.

Apud Sirmondum tom. 2. col. 826. edit. Pariſienſis.

Vide Juſtific. cat. ſeu defenſ. Cenſuræ Facult. Lovan. pag. 256. edit. Pariſ.

trum, Scriptorumque plurimorum teſtimonia locupletiſſima & ſplendidiſſima: quorum pleraque collegit Noriſius capite poſtremo Vindiciarum, nonnulla & ego produxi in Præfatione ad librum ſextum Operis Theologici. Sed quoniam adverſarii noſtri, qui primum in concilianda cum libero arbitrio gratia Salvatoris inveniſſe planiorem, & Auguſtino incognitam viam gloriabantur, poſteaquam ex objectis calumniis auctoritas nomenque S. Patris magis enituit, non auſi ſunt palam eumdem inceſſere; immo ſe Auguſtinianos eſſe gloriantur, nos vero appellant filios Auguſtini ſpurios & degeneres, necnon undique infectos illo Prædeſtinatianorum fermento, (quo pariter contaminati & ipſe Auguſtinus, & antiquiores ipſius diſcipuli tranſactis ſeculis immerito & audacter a Semipelagianis dicebantur): idcirco hæc leviori calamo attigiſſe contentus ero, ad ea, unde aliquantulum digreſſus fui, ſtilum, orationemque convertens. *De Theol. diſcipl. to. 1. p. 413.*

V. Prior itaque cauſa, quæ me ab evulgandis Vindicationibus iſtis aliquatenus removebat, ea eſt, quod vulgaria ac ſæpenumero colliſa & refutata accuſationum capita viderentur mihi contemnenda potius, quam refellenda; ne forte auctor ex ipſis reſponſionibus noſtris conjiceret ſe grave aliquid ac ponderoſum produxiſſe, quod operam ſtudiumque noſtrum magnopere expoſtularet. Acceſſit cauſſa altera; nam quum Anonymus in *Bajaniſmi & Janſeniſmi Redivivorum* opere non ſale, non aceto nos fricare ac perfundere, quod gravem, honeſtumque Theologum dedecet, ſed calumniis atrociſſimis, injuſtiſſimis nomenclaturis, contumeliis inſatiabilibus, verborum ludificatione, ſtili intemperantia, ceteriſque artificiis, quæ inferius commemorabo, ſtuduerit nos reddere irriſorum delicias, & eruditorum fabellas; quod nec Theologum decet, nec Chriſtianum hominem, nec modeſtum aliquem, probumque virum: ego autem ſummopere cupiam ea tantum quærere ac diſſerere, quibus *ſine amaritudine diſcordiæ corda noſtra paſcantur*; abſtinendum eſſe putabam ab hoc diſputationum genere, in quo ſi accepta vulnera obligare, & curare vellem, neceſſum foret, ob illorum acerbitatem, juſtiſſimam aliquam lamentationem, doloriſque ſenſum exprimere. Obverſabatur autem animo meo monitum illud divinum ac ſaluberrimum, *Ne fis velox ad iraſcendum, quia ira in ſinu ſtulti requieſcit*. Compertum præterea mihi erat, certiſſimaque relatione notiſſimum, ante biennium priuſquam in lucem hæc duo Opuſcula *Bajaniſmi*, & *Janſeniſmi* prodirent, ob conſimilium errorum falſiſſimam denunciationem, Volumina a me, & a Fulgentio Bellelli conſcripta, ſeveriori examine a Theologis præſtantiſſimis, inter quos duo Vaticana Purpura fulgent, fuiſſe diſcuſſa, neque ullum in illis aut Bajaniſmi, aut Janſeniſmi detectum fuiſſe veſtigium; imo libros *de Theologicis diſciplinis* in hoc inventos eſſe perutiles, quod oſtenderent Janſenianos apertiſſime refutari in Auguſtiniano quoque ſyſtemate, ac proinde perperam novos dogmatiſtas jactitare, a ſe Molinianos tantummodo ac neotericos, non autem Auguſtini diſcipulos diffidere. Hac ergo præhabitæ diſcuſſionis notitia imbutus, & rerum experimento certior factus veritatem validiſſimo præſidio nunquam deſtitui, novas adverſantium machinationes pertimeſcere ac formidare nec poteram, nec debebam. Atque hæc ſunt, humaniſſime Lector, quorum intuitu diſtuli ad hanc uſque diem Vindiciarum iſtarum promulgationem. *Aliæ dilationis cauſæ narrantur.* *Aug. ad Hier. epiſt. 73. alias 15. num. 9.* *Eccle. 7. 10.*

VI. Verum cum jam tertio a primis in me excitatis procellis labente anno quidam non temperent a ſemel aſſumpta accuſandi licentia, alii ignorantes cauſam, quæ actitatur, nos rationum pondere oppreſſos, aut etiam devictos, necnon ad tacendum vel ſocordia, vel ignorantia, vel neceſſitate coactos aſſerere non vereantur; complures etiam cum famæ noſtræ ſoliciti, tum maxima apud nos auctoritate prædíti, ut dicteriis occurram, eaque adhibito aliquo temperamento retundam, exſtimulent atque hortentur; in animum induxi meum, pedem cum adverſario conferre, eique frigidiſſimis ratiocinationibus ſuis exultanti, palmamque confidentiſſime ſibimet pollicenti animum imperterritum objicere, & quibus novaturientium ſcita, fraudeſque inconſiderate adtribuerit, coram univerſa Theologorum multitudine patefacere. Impellunt autem me quæ ad Monachos ſuos ſcripſit magnus Cæſareenſis Archiepiſcopus tertia ac ſeptuageſima Epiſtola; in qua, Gentiano Herveto interprete, ait: *Unde & ego ubi complures percepi contra me circumferri epiſtolas, quibus perſtringamur ac notemur, propterque ſcripta quædam accuſemur, quorum tutelarem defenſionem habemus coram veritatis Tribunali paratam; cogitavi quidem ſilendum eſſe, quod & feci. Nam tertius jam annus hic eſt, ex quo a calumniatoribus notatus accuſationis flagella ſuſtinere cœpi, hoc uno contentus, quod Dominum habeo ſecretorum cognitorem, ac calumniæ iſtius teſtem. Quoniam vero multos jam ſilentium noſtrum eo rapuiſſe video, ut ex illo intentatas calumnias confirmarint, noſque* *Cur modo Apologeticum hoc Opus proferatur.* *S. Baſil. tom. 2. pag. ed. Morel. 869.*

non lenitatis ac patientiæ gratia, ſed quod ad expromendam veritatem os aperire neutiquam audeamus, eoque ſilere me arbitrentur: oh eam cauſam ſcribere vobis conatus ſum, obſecrans veſtram in Chriſto dilectionem, ut calumnias quas una pars objicit, non mox ut prorſus veras admittatis; propterea quod, ut ſcriptum eſt, neminem judicat lex, niſi prius audiat, & cognoſcat quid faciat. Præterea quum univerſam Theologiam in utilitatem & commodum noſtratium juſſu Magiſtri Ordinis in lucem emiſerim, & in quæſtionum delectu, præſertim vero in ſyſtemate *de Gratia* ſtabiliendo, ejus, aliorumque nobis præſidentium nutibus obtemperaverim, ac præcipua theoremata ad eorum mentem ſtatuerim, qui apud nos majori habentur in pretio; jam non privatam ſententiam meam, ſed univerſi Ordinis inſtitutionem vindicandam eſſe putavi, nullo Auguſtinenſium in iis, quæ adverſarius vellicat, diſſentiente. Si enim, ut Cicero ait, perutile civitati ac reipublicæ eſt, *ut ne plane ab accuſatoribus illudamur*; majoris profecto utilitatis cenſendum erit accuſationes propulſare, quando accuſatores ipſam rempublicam aggrediuntur. Quoniam inſuper adoleſcentes permulti, maxime Itali, qui diſciplinæ Theologicæ ſedulam navant operam, libris utuntur meis, hiſque permulta haud vulgaria comprehendi putant Gymnaſiarchæ, quibus pro ſua erga me humanitate nec ſtylus, nec methodus, nec ſelectarum rerum copia omnino improbatur; alia autem ex parte iiſdem adoleſcentibus, ut dixi in Paræneſi præmiſſa Theologico Operi, ſtudium, vigilias, laboreſque meos conſecrare, eoſque ſupellectili quadam ſacræ eruditionis, & domeſtico inſtrumento, quantum penus habet mea, donandos eſſe decrevi: ea propter & iſtis conſulendum eſt, ne abſterriti adverſantium clamoribus pedem referant, ſed potius alacriores effecti, & ad cavendas inſidias, atque ad paterna documenta. inſtitutaque capeſſenda inſtructiores, iter, quod aggreſſi ſunt, ſedato lubentique animo proſequantur. Tria ergo me ut tandem in arenam ſpectantibus univerſis deſcendam, vehementer ſuadent, & quodammodo cogunt, provocantium vociferatio, cauſæ communitas, & juniorum profectus; quibus adactus incitamentis Anonymum accuſatorem non revincam tantum, verum etiam quaquaverſus exagitabo. Eos autem hujus conflictationis judices eſſe volo, qui nullis præjudiciis præoccupati, ac diu multumque exercitati in Theologicis palæſtris, auctorumque catholicorum aſſidua lectione, recte intellexerunt quæ definita ſunt, & quæ relicta diſputantium arbitrio: aliorum enim, qui aut privato ſtudio præoccupantur, aut unius duntaxat, vel alterius ſcripta legerunt, aut quum ſcioli ſint, & verboſi, de libris omnibus magna imprudentia, atque infinita loquacitate pronuntiant, quemadmodum non timeo garrulitatem, ita judicium contemno, atque adſpernor.

Pro Sex. Roſc. Amer.

VII. Jam vero ad libros Anonymi diſcutiendos propius eſt accedendum; & in hoc proloquio ea, quæ ipſe præfatur, ſunt expendenda. Principio autem ſeſe offert frons & inſcriptio librorum venuſtiſſima ac ſpecioſiſſima, quæ talis eſt, *Bajaniſmus*, & *Janſeniſmus*. Nihil moror derivationem, flexionemque verborum; parum quippe ingenii, aut acuminis præfert, ejuſdemque eſt generis, ac *Atheiſmus*, *Mahometiſmus*, *Manichæiſmus*, *Spinoziſmus*, *Lutheraniſmus*, *Calviniſmus*, *Pyrrhoniſmus*, aliique ſexcenti. Puto ignoraſſe Anonymum, quibus characteribus ſuas adverſus Noriſium accuſationes diſtinxerit auctor Operis inſcripti, *Henricus Noris Dogmatiſtes*. Papæ quam eleganter, quam belle! Eæ ſunt ſingularum accuſationum notæ, *Manichæiſmus*, *Pelagianiſmus*, *Semipelagianiſmus*, *Calviniſmus*, *Lutheraniſmus*, *Dominiciſmus*, *Noriſmus*. Si has notas inſpexiſſet inſignium titulorum Venator; nullus dubito, quin volumina ſua inſcripſiſſet, *Bajaniſmus*, *Janſeniſmus*, *Bellelliſmus*, *Bertiſmus*; quo ſane majorem ſibi exiſtimationem plauſumque conciliaſſet, eamdemque oſtendiſſet perſpicacitatem mentis, ac oſtendit ubicunque *Bajanum*, & *Janſenianum* ſyſtema ingenioſiſſime, & acutiſſime appellavit *Bertianum*, & *Bellellinum*: qua in re ſalſiores ſales, & lepidiorem leporem nemo non videt. At *Bajaniſmo*, ac *Janſeniſmo* epithetum addidit *Redivivi*, neque iſtud cerebro natum ſuo; ſiquidem imitari ſtuduit, non Silium, aut Juvenalem, aut Tullium in Verrem dictionem illam *Redivivi* uſurpantes, ſed doctiſſimum Meldenſem Epiſcopum, qui adverſus Archiepiſcopum Cameracenſem edidit ſub hac epigraphe opus, *Quietiſmus Redivivus*. Egregie! Verba verbis, ſyntaxis ſyntaxi, inſcriptio inſcriptioni reſpondent, *Quietiſmus Redivivus*, *Bajaniſmus Redivivus*, *Janſeniſmus Redivivus*. Ita ſunt, ut apes apium, gutta guttæ, & ova ovorum, ſimillima; num autem Meldenſium Antiſtiti, gloria litterarum clariſſimo, & huic Anonymo eadem fuerit præeligendi tituli ratio, dicam poſtea. Enimvero aliud in ea inſcriptione eſt, quod præteriri non debet; Fulgentii ſcilicet Bellelli, meique commemoratio, *In ſcriptis Patrum FF. Bellelli, & Berti Ordinis Eremitarum S. Auguſtini*. Quænam, obſecro, hujuſmodi *ſcripta* ſunt? Clam

Titulus Bajaniſmi, & Janſeniſmi Redivivi expenditur, ac diſpungitur.

forte

forte exarata, & ad errores disseminandos dolose per urbem, orbemque dispersa? Nequaquam. Scripta in lucem edita sunt in urbe Roma veritatis magistra, domesticis, exterisque Theologis probata, omnique servato jure ad legendum exhibita. Neque in scriptis hujusmodi privata quædam sententia traditur, sed omnium instituti nostri Theologorum, quorum nomina, & Opera in iis articulis, qui adversario pituitam atramque bilem moverunt, tanta diligentia, tantaque fidelitate laudantur, ut nullibi adversarius potuerit me falsitatis revincere, ac satius duxerit de sententia libriisque præstantissimorum scriptorum, quos frequentissime commemoravi, callide dissimulare, ac tacere. Omnibus enim se præferens, maximaque sui ipsius existimatione distentus, neglectis auctoribus omnibus, quos sæpenumero laudavimus, spretoque aliorum judicio, gloriatur se luce clariore, quam meridiana sit, in scriptis nostris Bajana, & Jansseniana asserta deprehendisse, immo non semel pronuntiat a se nos *convictos* esse, nec aliud nobis supereſſe præter miserrima subterfugia: ideoque non tantum se existimat perspicaciorem censoribus quibusque nostris, verum etiam judicem rectissimum, ceteris perspicaciorem, & errori minime obnoxium. Oh miram, & prope divinam sapientiam, cum singulari humilitate conjunctam! Se tamen in fronte libri nec tali, nec alio charactere auctor delineavit, tabula colores, quibus pingeretur simulacrum Apollinis, dissolvente. Idem contigit cum typographi nomini, tum censorum approbationibus, quorum nec lineolam adspicimus, speciosissimo libro decorem alium repudiante. Neque enim ut auctoris, typographi, censorumque nomen minime appareret, fecit malevolus animus, & calumniandi libido; tametsi Theophilus Raynaudus tantorum voluminum scriptor, atque ad ferendum de calumniantibus judicium aptissimus, utpote qui in Haplothecis suis *contra ictum calumniæ* luculentissime disputavit, demonstrare studuerit auctoritate Nazianzeni in vicesima quarta oratione, Hilarii in Psalmum centesimum decimum octavum, necnon Luciani in Dialogo *de non temere calumniando*, in more apud calumniatores positum esse, struere clandestinas insidias, atque id maxime moliri, ut lateant. Prætermitto quæ in Concilio Lateranensi V. eOcumenico Leo X. Pontifex Maximus sancivit, ut *perpetuis futuris temporibus nullus librum aliquem, seu aliam quamcunque scripturam, tam in Urbe, quam aliis quibusvis civitatibus & diœcesibus imprimere, seu imprimi facere præsumat, nisi prius in Urbe per Vicarium nostrum & Sacri Palatii Magistrum, in aliis vero civitatibus & diœcesibus per Episcopum, vel alium habentem peritiam scientiæ libri, seu scripturæ hujusmodi imprimendæ ab eodem Episcopo ad id deputandum, ac Inquisitorem hæreticæ pravitatis, sive diœcesis, in quibus librorum impressio hujusmodi fieret, diligenter examinentur, & per eorum manu propria subscriptionem, sub excommunicationis sententia, gratis & sine dilatione imponendam, approbentur: qui autem secus præsumpserit, ultra librorum impressorum amissionem, & illorum publicam combustionem, ac centum ducatorum fabricæ Principis Apostolorum de Urbe sine spe remissionis solutionem, ac anni continui exercitii impressionis suspensionem*, Excommunicationis *sententia innodatus* existat. Prætermitto nonum ac nonagesimum canonem Moguntinæ Synodi anni 1549. *Multis Constitutionibus Imperialibus cautum est, ne quis librum aliquem sine certo auctoris & loci, ubi excusus sit, nomine, aut qui per commissarios, qui per loca huic rei curandæ destinati sunt, comprobatus non sit, vel excudat, vel excusum vendat*: Regulam item X. *Indicis* ex editis jussu Synodi Tridentinæ, quæ dicta sunt præscribentem; adjectamque Instructionem Clementis VIII. auctoritate firmatam, in qua titulo *De impressione librorum*, §. 1. hæc leguntur: *Nullus liber in posterum excudatur, qui in fronte nomen, cognomen, & patriam referat auctoris*. Hæc, inquam, prætermitto: cujas namque sit adversarius, & quo loco habeat Juris Canonici præscriptiones, nec multus, nec curiosus exquiram.

Vide finem Baianismi, *& initium* Janseniſmi Red.

Vide Libanii progymnasmata pag. 147. *edit. Paris.*

Rayn. in Haploth. cap. 1. *sect.* 1.

Tom. 14. *Concil. Lab. pag.* 257. *edit. Parisiensis.*

Eod. to. ia. columna 700.

VIII. At illud silentio præterire nequaquam possum, qua nempe conscientia, qua erga Apostolicam Sedem observantia ac veneratione Anonymus palam, editisque voluminibus, non hæsitanter, & duntaxat suæ opinationis momenta exhibens, sed assertive, & sententiam pronuntians, non tantum Bajanos, Jansenistas, & Constitutionum Apostolicarum fractores nos dixerit, verum etiam tales, qui fraude, dolo, mendaciis latas in novatores censuras effugere studuerimus: neque enim *Bajanismus, & Jansenismus Redivivi* sunt privata quædam scripta, nulli mortalium, præterquam censoribus, Judicibusque legenda: sed priusquam ad manus meas pervenirent, jam acceperam Lutetiæ apud Bibliopolas prostare, jam de his litterariæ ephemerides ex Hollandia certiores reddiderant universos, jam machinationem Anonymi & litterati & milites significaverant amicis Romæ degentibus, mihique nuntiatum est ut caverem, quando undique paratæ erant insidiæ, conflata atque intentata accusatio, constituti judices, immo nos, ut adversarius jactitat, convicti fractique.

Num fas sit alicui Janseniſmi notam impingere.

Nunc vero, quum mihi ſuſcipienda ſit actio, jure peto, ut ipſe adverſarius commonſtret, quomodo ipſe potius non ſit Apoſtolicarum Conſtitutionum violator & fractor, dum nos tamquam Janſenianos ac Bajaniſtas palam traducit; immo quomodo non ſit mortalium omnium ſeveriſſimus, damnando nos fraudis, doli, & artificiorum illorum, quæ novatores adhibuerunt, ideſt, latentem, & ſoli Deo notam conſcientiam noſtram redarguendo? Enim vero, quantum ad Janſeniani erroris notam attinet, neminem fugit Innocentium XI. anno 1679. die 2. Martii *omnibus in virtute ſanctæ obedientiæ præcepiſſe, ut tam in libris imprimendis, ac Mſs. quam in theſibus, diſputationibus, ac prædicationibus caveant ab omni cenſura & nota, necnon a quibuſcumque conviciis contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede re cognita ſuper iiſdem propoſitionibus judicium proferatur*: Innocentium XII. Pontificem Maximum Decreto emanato die Januarii ſexta anno 1694. præcepiſſe, *ne quis traducatur invidioſo nomine Janſeniſmi, niſi prius legitime conſtiterit aliquam ex quinque propoſitionibus docuiſſe, & tenuiſſe*; nobiſque ex certis monimentis conſtat, apud eumdem Pontificem per Joannem Libertum Hennebel Deputatum ſuum per id temporis ſupplices libellos, cum ipſi, tum Eminentiſſimis S. R. Inquiſitionis Cardinalibus exhibitos fuiſſe a celeberrima Univerſitate Lovanienſi, ægre ferente Theologos ſuos gratiam ex ſe effectricem, ſanioreſque morum regulas edocentes contumelioſa Janſeniſmi nota proſcindi. Clemens item XI. in ſua conſtitutione *Paſtoralis*, edita Romæ anno 1718. v. Kal. Septembris ad coercendam illorum licentiam, qui contendunt Scholarum noſtrarum placita reprobari cum propoſitionibus Queſnellianis ab eodem Pontifice damnatis in Bulla *Unigenitus*, ad hunc modum loquitur: *Ceterum in hoc ipſo præpoſtero judicio conſuetum calumniandi modum non derelinquunt; niſi enim excæcaret eos malitia eorum, ac niſi diligerent magis tenebras, quam lucem, ignorare non deberent ſententias illas ac doctrinas, quas ipſi cum erroribus per nos damnatis confundunt, palam & libere in Catholicis Scholis, etiam poſt editam a nobis memoratam Conſtitutionem ſub oculis noſtris doceri atque defendi, illaſque propterea minime per eam fuiſſe proſcriptas. Verum ſupercecidit ignis contentionis, & non viderunt ſolem lucidiſſimæ veritatis*. Dixi hæc a Pontifice Maximo fuiſſe ſancita adverſus rodentes, & vellicantes ſcholarum noſtrarum placita, quæ audaces adverſarii, ut modo facit Anonymus iſte, una cum Queſnellianis propoſitionibus anathema ſubiiſſe vociferabantur. Neque enim in Queſnello proſcriptas quiſpiam aſſeruit opiniones illorum, qui gratiam ſubjiciunt humanæ libertatis determinationi, aut illam juſto Dei judicio nulli mortalium denegari pronuntiant, aut liberi arbitrii defenſitant æquilibrium: ſed qui hæc, horumque conſectaria propugnant, nobis, ceteriſque a ſe diſſentientibus objectare ſolent Janſenii, & Queſnellii condemnationem. Pro nobis itaque ſaluberrimum illud Clementis XI. decretum latum fuit; nec eo tantum nomine Pontifici ter Maximo referendæ ſunt gratiæ, quod novos dogmatiſtas confixerit, ſed etiam quod nos a calumniantium dicteriis, conviciiſque immunes reddiderit. Quapropter Philippus Van-Waure Conſtitutionis *Unigenitus*, ac noſtrarum aſſertionum vindex illuſtris, in diſſert. *De præſenti hæreſi, ac ſchiſmate*, art. 5. Reflex. 2. numer. 7. & 8. producta Conſtitutione altera, quæ incipit, *Paſtoralis*, & quam nuperrime laudavi, gaudio exultans hæc litteris conſignavit. „ Venit deſideratum ab ore Petri ſubſidium, & quidem oraculum emanavit: tale videtur prodiiſſe, quod non modo pervicaces, & damnabiliter inobedientes percelleret, eo quod errores damnatos in Conſtitutione *Unigenitus* a dogmatibus in Catholicis Scholis tradi ſolitis non diſcernerent; verum & tacite per hoc non recte uſos contra nos, ſeu dogmata noſtra, Conſtitutione *Unigenitus*, inſinuavit, qui ab erroribus iſtis ea diſpeſcere nec voluerunt, nec forte volunt. Etſi namque ſit alia ratio Refractariorum, qui iſtam Conſtitutionem calumniati ſunt, quaſi everſivam Catholicorum dogmatum; alia vero Bullam illam venerantium: equidem non apparet diſſimilitudo quoad errorem interpretationis ejuſdem Conſtitutionis. Utrique enim in hoc conſonare mihi viſi ſunt, quod aſſerant dogma de relatione operum, de inſufficientia attritionis ſervilis, ac de gratia per ſe efficaci, per Bullam *Unigenitus* eſſe damnatum, eo quod concordet (ut illi putant) cum propoſitionibus ibidem proſcriptis. Primos errare declarat Pontifex his verbis: Quia *ignorare non deberent ſententias illas, ac doctrinas, quas ipſi cum erroribus a nobis condemnatis confundunt, palam & libere in Catholicis Scholis, etiam poſt editam a nobis memoratam Conſtitutionem, ſub oculis noſtris doceri ac defendi, illaſque propterea minime per eam fuiſſe proſcriptas*. Ergo verum eſt, quod dogma noſtrum non coincidat, nec confundi poſſit cum propoſitionibus damnatis: ergo & verum eſt, quod ex Bulla *Unigenitus* adverſarii ſcholæ noſtræ non recte deduxerint dogma noſtrum eſſe Queſnellianum,

Bullar. Rom. Tom. 11. p. 2. pag. 141. edit. novissimæ.

Dissert. edit. Lovanii an. 1718. pag. 10.

num, ſive in conſtitutione iſta ſpecialiter perculſum. Quod ſi negent male ſe deducere, quomodo male Queſnelliani dogmata Catholicarum Scholarum confuderunt cum erroribus damnatis? Declarat autem SS. D. N. Clemens XI. in hac parte illos erraſſe, eo quod iſta non diſcernerent, adeoque Conſtitutione illa abuſi ſint. Quomodo ergo eamdem mixtionem, ſeu confuſionem facientes dogmatum noſtrorum cum dictis erroribus, ſeſe ab omni abuſu, & errore vindicent æmuli noſtri, non video. „ Hactenus Van-Waure. Profecto quod Philippus Van-Waure Lovanii ajebat, id nos repetere poſſumus in Urbe Roma: in qua quæ typis edidimus, ore docuimus, coram viris doctiſſimis propugnavimus, atque Opera noſtra in lucem emiſimus Superioribus annuentibus, nec ignorante Pontifice æque Maximo ac Sapientiſſimo, qui ne pravæ doctrinæ ſpargantur ſemina, omnem curam adhibet, omnemque ſollicitudinem. Hæc autem ſollicitudo, quoniam ſummæ æquitati, ac profuſæ in omnes beneficentiæ conjunctiſſima eſt, pati nequit orthodoxos Scriptores, & erga Apoſtolicam Sedem ſtudioſiſſimos, qualem me eſſe profiteor, iniqua adverſariorum molitione oppreſſum iri: neque enim illum, quia omnia novit, ac prædeceſſorum ſuorum ſtatuta cuſtodit; atque confirmat, aut ignorat, aut violari ſinit, quæ ex Innocentii XII. & Clementis XI. definitionibus memoravi. Quibus addenda ſunt quæ Clemens XII. in Apoſtolicis Litteris, quæ incipiunt, *Apoſtolicæ Providentiæ officio*, datis die 2. Octobris anno 1733. celeberrimæ Conſtitutionis *Unigenitus* mentione facta, ſtatuit adverſus eos, qui Theologicam cenſuram Catholicorum Scholis inurere, earumque ſententias contumeliis audent inceſſere, videlicet: *Nos paterna quoque ſollicitudine inhærentes magnopere dolemus tenebras a diſſenſionis filiis offuſas nondum ex quorumdam mentibus ſatis eſſe diſcuſſas, ſed pleroſque etiam nunc intolerabili pertinacia contendere, cenſuris laudatæ Conſtitutionis doctrinam Sanctorum Auguſtini, & Thomæ de divinæ Gratiæ efficacia eſſe perſtrictam. Ut igitur nullas charitatis partes ad revocandos errantes Nobis reliquas faciamus, univerſis, & ſingulis Chriſtifidelibus quacumque dignitate, etiam Epiſcopali, & majori fulgentibus in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipimus, & ſub Canonicis pœnis mandamus, ne diſputantes, aut docentes ſive in Scholis, ſive in Concionibus, ſive ſcriptis editis, ſive aliter propoſitiones defendant, aut enuncient, quæ antedictas Novatorum calumnias firmare, ac promovere poſſint: mentem tamen eorumdem Prædeceſſorum noſtrorum compertam habentes, nolumus aut per noſtras, aut per ipſorum laudes Thomiſticæ Scholæ delatas, quas iterato noſtro judicio comprobamus & confirmamus, quidquam eſſe detractum ceteris Catholicis Scholis diverſa ab eadem in explicanda divinæ gratiæ efficacia ſentientibus, quarum etiam erga hanc Sanctam Sedem præclara ſunt merita, quominus ſententias ea de re tueri pergant, quas hactenus palam & libere ubique, etiam in hujus Almæ Urbis luce, docuerunt, & propugnarunt. Quamobrem fel. record. Pauli V. & aliorum Prædeceſſorum noſtrorum ad reſtinguendum diſſenſionum fomitem veſtigia proſequentes, & ſaluberrima mandata renovantes, auctoritate quoque Noſtra omnibus, & ſingulis ſuperius expreſſis interdicimus, & prohibemus ſub iiſdem pœnis, ne vel ſcribendo, vel diſputando, vel alia qualibet occaſione notam, aut cenſuram nullam Theologicam iiſdem Scholis diverſa ſentientibus inurere, aut earum ſententias conviciis, & contumeliis inceſſere audeant, donec de iiſdem controverſiis hæc Sancta Sedes aliquid definiendum, ac pronunciandum cenſuerit. Pacem ſiquidem, quam cum veritate diligendam Dominus præcipit, inter Catholicæ Eccleſiæ filios fovere, & communire debemus & curamus, ut conjunctis diverſarum licet ſcholarum ſtudiis firmius ſit adverſus erroris inſidias præſidium.* Hanc vero Clementinam Conſtitutionem, qua inhibetur, ne aut noſtræ, aut cuilibet alii Catholicorum Scholæ inuratur cenſura aliqua, dum *Janſeniſmum*, ac *Bajaniſmum* ſuum elucubrabat, animadverſor ante oculos poſitam intuebatur; quandoquidem illam cum Fulgentius Bellelli ſub initium poſtremi voluminis, tum ego in libro XVII. cap. 1. incauto adverſario objecimus; ac præmonſtravimus. Verum quid dixi, incauto? Callidiſſimo dicendum erat, ſiquidem ne videretur Auguſtinenſem Scholam inceſſere, duos tantum Scriptores commemoravit, quaſi hi ab aliorum ſententia diſceſſerint, & peculiare dogma contra communem inſtitutionem auſi fuerint intrudere. At neque hac ratione ſuadere quemquam poterit a ſe violata non fuiſſe decreta ac monita Pontificum Romanorum; quum manifeſtiſſimum ſit ea in nobis conviciis, & contumeliis affici, quæ nobis cum aliis plurimis communia ſunt, ut evidentiſſime in hoc Apologetico Opere commonſtrabitur: quamquam nec privatos Scriptores hoc genere contumeliarum laceſſiri ſinant ſive Innocentii XII. ſalubris præſcriptio, ſive Clementis XI. conſtitutio, ſive Pax cum veritate diligenda, quam inter nos cuſtodiri Clemens XII. imo Deus ipſe jubet, ac præcipit. Hanc utique pacem præ oculis habebant, qui in Generalibus Franciæ Comitiis anno 1709. coactis, tam perni-

Bullar. tom 13. edit. novissimæ pag. 362.

cioſos libros Janſeniſtarum, quam injuſtas Janſeniſmi inſimulationes interdixerunt; quod & ſtatutum fuit Regiis Edictis latis die 23. Octobris anno 1668. & 5. Martii anno 1702. prout in ſuo decreto die 15. Octobris anno 1703. teſtatus eſt Carolus Mauritius Le-Tellier Archiepiſcopus Remenſis. Illorum enim Generalium Comitiorum hæc ſunt verba: *Nequaquam tolerabimus importunos ac malevolos homines, qui viris bonis, doctiſque, & Eccleſiaſticæ rei ſtudioſis vagam, & invidioſam Janſeniſmi accuſationem inferunt, eo quoque nomine, quod morum corruptelas acriter inſectentur; cum nos pro candore, & æquitate Epiſcopalis Ordinis neminem pro ſuſpecto habituri ſimus, niſi eum, qui aut Conſtitutionibus Apoſtolicis detrahat, aut aliquam ex damnatis propoſitionibus tueatur.* Hæc omnia adverſario noſtro facile demonſtrabunt, num ipſi fas fuerit noſtro expreſſo nomine *Bajaniſmum*, & *Janſeniſmum* conſcribere; ne repetam, quod ſupra commemoravi, arrogatum ſibi, & proculdubio ſiniſtrum, animorum noſtrorum judicium.

Præoccupatur adverſarii reſponſio.

IX. Reponet fortaſſis, id ſibi eadem ratione licuiſſe, qua præſtantiſſimo Meldenſium Epiſcopo Jacobo Boſſuetio licuit edere adverſus Archiepiſcopum Cameracenſem Opus inſcriptum, *Quietiſmus Redivivus*; quam inſcriptionem dixi num. 7. adverſarium noſtrum imitatum fuiſſe. Sed longe diſpar eſt utriuſque tituli ratio. Clariſſimus enim Meldenſium Antiſtes notiſſimus univerſæ litteratorum virorum Reipublicæ in prævia ad lectorem admonitione num. 4. ait: *Grave quidem eſt nobis, grave Carnotenſi, de Cameracenſi aliud credere, quam id, quod idem Cameracenſis, Deo teſte appellato, a ſe intellectum eſſe ſignificat: ſed ſive id oblivione, ſive quacumque alia ratione geſtum, ipſa verba nos cogunt, vetantque aliud intelligere in Cameracenſis libro, quam id, quod & ipſe data quoque explicatione prodidit, & omnes etiam ejus acerrimi defenſores intelligendum arbitrentur.* Ubi duo advertenda ſunt: unum, quod vir prudentiſſimus aut oblivioni, aut alteri cauſæ tribuendum cenſet, quod alia ſit Cameracenſis proteſtatio, alia verborum, horumque explicationis doctrina; Anonymus autem iſte omnia, quæ a nobis Catholice dicuntur, fuco, fallaciloquentiæ, & mendaciis tribuit: alterum, quod ipſa Cameracenſis explicatio, & defenſorum ejus conſenſio abſque ulla verborum ambiguitate prodidit damnatum Molinoſii ſenſum; quum & nos, & defenſores ſententiæ noſtræ, latente adverſario, Baji, Janſeniique aſſerta ſaltem verbotenus, ſaniorum autem judicio & verbo & re abjecerimus. Deinde in *Quietiſmo Redivivo* Præſul Meldenſis Molinoſii, Guyonæ, ac Malavallii loca poſitioneſque cum locis & poſitionibus Archiepiſcopi Cameracenſis accuratiſſime conferens oſtendit utraque iiſdem verbis, iiſdemque ſententiis eſſe compacta; quando Anonymus nec unam in libris noſtris aut Baji, aut Janſenii, aut Queſnellii, aut alterius Novatoris propoſitionem potuit adinvenire, totamque accuſationum ſuarum molem ſuperſtruere tentavit in conſecutionibus a ſe deductis, quas nos nequaquam probamus, ſed tam falſas, quam male illatas eſſe contendimus. Tandem Cameracenſis Præſul poſt Molinoſii damnationem pravas hujus opinationes intrudens, quod ipſemet humillima & laudabili retractatione confeſſus eſt, fecit revera ut *Quietiſmus* extinctus reviviſceret: at inofficioſus iſte Cenſor ſententiam illam rodit, & quaſi nuperrime, poſteaquam in Bajo atque in Janſenio extincta fuerat ac ſepulta, ab inferis excitatam traducit, quæ ſemper a majoribus noſtris fuit tradita, non autem ætate hac noſtra, uti comminiſcitur homo injurius & mendax, e latebris Pſeudoauguſtinenſium Scholarum erupit. Quapropter & imperite Boſſuetium imitatus eſt in librorum ſuorum inſcriptione; & fruſtra illius præclariſſimi viri exemplo propulſare a ſe poterit notam calumniatoris.

Quid contineatur in Bajaniſmi Rediv. Præfatione.

X. Quoniam vero diu, multumque in fronte libri contemplanda commorati ſumus; ad præfationem, quæ *Bajaniſmo Redivivo* præmittitur, ac præſertim ad ea, quæ leguntur poſtrema parte, ſive num. 9. orationem convertamus neceſſum eſt. Præcedentibus namque paragraphis ad paginam uſque undecimam nil Anonymus narrat, niſi quæ & nos, & ſcriptores reliqui de re Theologica pertractantes expoſuerunt, damnatos ſcilicet articulos Baji a SS. Domino noſtro fel. record. Pio V. anno 1567. quinto Kalendas Octobris, ejuſque Conſtitutionem die 21. Decembris ejuſdem anni per Maximilianum Marillonium Vicarium Generalem Archiepiſcopi Mechlinienſis publicatam fuiſſe Lovanii, atque ab omnibus Sacræ Facultatis Theologis cum debita reverentia ſuſceptam: Michaelem Bajum *Apologiam* edidiſſe, qua tamen ponderata S. Pius V. priorem condemnationem confirmavit: hinc Bajum audaciorem factum a docendis propugnandiſque erroribus non deſtitiſſe, quamvis ab Epiſcopis Iprenſi, Sylvæducenſi, & Gandavenſi commonitum: Marillonium iterum ad hominis frangendam audaciam profectum fuiſſe Lovanium, ubi die ſexta Novembris anno 1570. publicata in Academiæ Conventu Piana Conſtitutione Theo-

logos

logos adduxit omnes ad ultro libenterque Apoſtolicis litteris obtemperandum: Gregorium XIII. ineunte anno 1579. Conſtitutione, quæ incipit, *Proviſionis noſtræ*, confirmaſſe Bullam S. Pii, ac Lovanium miſiſſe Franciſcum Toletum eximium S. J. Theologum, ac poſtea S. R. E. Cardinalem ampliſſimum, cujus opera damnatos articulos ipſemet Bajus proſcripſit, & die 24. Martii anno 1580. errores ſuos retractavit: Joannem Lenſæum edidiſſe *Expoſitionem* doctrinæ Catholicæ adverſus Bajanos articulos, jubente Epiſcopo Vercellenſi Bonhomo, Sedis Apoſtolicæ Nuntio apud Belgas, eamdemque expoſitionem a Doctoribus aliis Lovanienſibus fuiſſe probatam: Urbanum denique VIII. die 6. Martii anno 1641. Bulla, quæ incipit, *In eminenti*, S. Pii V. & Gregorii XIII. confirmaſſe Conſtitutiones, proſcripto etiam peſtilentiſſimo libro Cornelii Janſenii, cui titulus, *Auguſtinus*, tamquam continente, & renovante articulos, opiniones, ac ſententias in iiſdem Conſtitutionibus damnatas ac reprobatas. Hæc omnia in *Bajaniſmi Redivivi* Præfatione comprehenduntur, adeo trita, & communia, ut prætermitti potuerint, præſertim quod egomet in lib. XVII. cap. 1. eadem attigerim: nec attigerim tantum, ſed proximo capite tribus propoſitionibus affirmaverim, & multiplici argumentorum genere demonſtraverim cenſuras & conſtitutiones adverſus Bajum non eſſe adulterinas, aut ſubreptitias, atque tam in Bulla Sancti Pii Quinti, quam aliorum Pontificum, articulos Baji, & quorumdam aliorum auctorum ſimul proſcriptos, vere ac proprie *in ſenſu ab aſſertoribus intento* condemnatos fuiſſe. Quum autem neminem lateat, Bajanos, & Janſenianos omnes contendere, quod etiamnum Baji articuli, *in proprio ſenſu*, quem aſſertores intenderunt, defendi queant, plura commiſcentes de commatis tranſpoſitione, de qua tamen varia hominum feruntur judicia; & quod Bullæ quædam in Baji cauſa emanatæ cenſendæ ſint ſubreptitiæ: imploro nunc fidem Anonymi, ſi illi fides eſt ulla, an me potuerit ſalvo jure Baji, & Janſenii ſequacibus aggregare, quum Urbanianæ, aliarumque Apoſtolicarum Conſtitutionum vindicias ediderim, & Novantium machinamenta ſubverterim: an hæc doloſi novatoris, vel potius Catholici novatores infectantis ſint argumenta; an ex collatione ſuæ cum noſtra deſcriptione Bajaniſmi, a teterrima hujus nota cenſendi ſimus immunes. At calumniatoris intererat quæ nos adverſus Bajanos ſcripſimus prætermittere; ne forte irrideretur ab omnibus, narrans oppugnatores eſſe Bajaniſmi, quos non ſemel omni Bajaniſtarum fallacia imbutos eſſe affirmavit.

Tom. 3. de Theolog. diſcipl. a pag. 312. ad pag. 326.

XI. Puderet me, prudens Lector, commemorare quæ de ornatiſſimo viro Fulgentio Bellelli litteris mandavit Anonymus, eaque amaro licet animo deglutirem, niſi, quod iniquiſſimum eſt, ſæviiſſet in mortuum. Non equidem illud moror, quod virum ſapientia, ac dignitate conſpicuum, ubique Anonymus, ſi excipias frigidiſſimam illam libri inſcriptionem, vulgari communique *fratris* nomine appellat, nullibi aliquo viri percelebris addito charactere; quaſi Fulgentius ex illorum grege foret, quibus aut ſtruendæ penus, aut verrendæ domus, aut alterius hujuſmodi miniſterii cura committitur: etſi enim indecorum, ineptumque eſt, viros ſingulari aliqua proprietate affectos nomenclaturis communibus delineare; nihilo tamen minus *fratrum* vocabulo, quo ſignificatur arctiſſima neceſſitudo, caritatis vinculum, rerumque omnium communio, adeo nos gloriamur, ut iis, qui nos magnopere ſtudent deprimere, gratias ob id maximas referamus. Profecto ſi Anonymus aliqua animi moderatione ſervata, memor ſuæ dignitatis, & Chriſtianæ communionis diceret tantummodo, Fulgentius Bellelli erravit, incaute in Bajaniſmum, ac Janſeniſmum prolapſus eſt, atque in difficillimis de Gratia & de libertate quæſtionibus ipſe quoque cæcutiit; refutarem duntaxat præpoſterum adverſarii judicium, & commendarem animi temperamentum. Nunc autem quis ingenio nitiſſimus patiatur inſignem virum ab homine ſciolo, & quem ſui nominis pudet, dici *Auguſtini filium haud dubie ſpurium, novum hominem, qui e tenebris neſcio quibus exivit, ſtudioſiſſimum ac acerrimum Bajanæ doctrinæ defenſorem, Scriptorem temerarium, qui doctrinam Baji, dum illam fraudulenter inſectari videtur, non tantum defendit, ſed varios dolos, artes varias, variaque effugia, quibus uſi ſunt Baji diſcipuli, & præſertim Janſenius, ut Conſtitutionum Apoſtolicarum auctoritatem eluderet, & ipſe adhibet ad obnubilandos errores ſuos, ut ſic, ſi fieri queat, Eccleſiæ judicium atque cenſuram effugiat*: quis, inquam, talem petulantiam patiatur? Et tamen hæc omnia undecima *Bajaniſmi Redivivi* pagella comprehenduntur. Quid in toto bipartito Opere contineatur, ita poſſumus hinc agnoſcere, quemadmodum, ut eſt in proloquio, leonem ab ungue.

Qua ratione de Fulgentio Bellelli loquatur anonymus.

XII. Paucis hæc, quæſo, diſcutiamus. Ait Anonymus eſſe *filium Auguſtini haud dubie ſpurium* Fulgentium illum Bellelli, cui Fratrum Eremitarum Ordo præcipua Italiæ gymnaſia, Senenſe, Venetum, Peruſinum, Neapolitanum,

Ea, quæ de Fulgentio Bellelli dicta ſunt, refutantur.

litanum, & Romanum commiſit inſtituenda ac regenda: & de quo, poſtquam fatis ceſſit, ſupremus ejuſdem Ordinis Moderator ad Fratres univerſos, ut moris eſt in obitu præſtantiſſimorum virorum, publicas conſcribens litteras, *Nulla*, inquit, *delebit, vel delere poterit oblivio quæ vir iſte ætate & virtute præſtantiſſimus præclara compoſuit Opera, typiſque mandanda curavit, ut puros Auguſtinianæ doctrinæ fontes nobis, poſteriſque noſtris oſtenderet, & indigitaret*. Addit Anonymus, *e tenebris neſcio quibus exiiſſe* virum pluribus nominibus celebrem, utpote qui fuit Procurator Generalis Ordinis, Prior item Generalis pleniſſimis ſuffragiis electus, Theologus Jacobi Caraccioli Archiepiſcopi Epheſini, & Apoſtolici Nuntii ad Helvetios, necnon Eminentiſſimi Cardinalis Joſephi Renati Imperiali, quo etiam nomine interfuit Lateranenſi Concilio celebrato a Benedicto XIII., Romæ ad 25. perpetuos annos diverſatus, & non ſemel in rebus magni momenti a ſummis viris adhibitus. Dicitur *Scriptor temerarius*, eo quod ediderit Opus inſcriptum, *Mens Auguſtini de ſtatu creaturæ rationalis ante peccatum*, Lucernæ primum, deinde Antuerpiæ procuſum, & rurſus Romæ aliud in partes duas diſtributum, *De modo reparationis humanæ naturæ poſt lapſum, & ſuper propoſitionibus Queſnelli*: quorum duorum Operum primum anno 1717. a Sacra Romana Inquiſitione in diſcuſſionem vocatum, poſt iteratum, & rigoroſum examen ab omni cenſura evaſit immune; alterum vero, quod Romanis typis in lucem prodiit, comprobatum eſt cenſura, & judicio trium eximiorum Theologorum (ne de Auguſtinianis cenſoribus, doctrinæ ac probitatis fama conſpicuis dicam aliquid) quorum unus erat, & eſt hodiedum S. Officii Conſultor, & duo alii ejuſdem S. Romanæ Inquiſitionis, uti vocant, Qualificatores, e quibus unus ſingularis doctrinæ celebritate, & Vaticana Purpura fulget. Appellat denique *Bajanæ doctrinæ defenſorem acerrimum* Scriptorem illum præclariſſimum, quem non tantum prælaudati viri teſtantur eſſe *Janſenii, ejuſque aſſeclarum, infenſiſſimum atque ſtrenuiſſimum adverſarium, non minus in S. P. Auguſtini doctrina, quam in Eccleſiæ dogmatibus verſatum, & nihil tradentem, quod ab illorum veritate ac rectitudine deflectat, atque ab omni Janſeniano, ac Bajano errore quamlongiſſime diſſitum*; verum etiam Proſper S. R. E. Cardinalis Lambertini, nunc Pontifex Maximus, tanta ſapientia, tantaque omnigenæ eruditionis copia præditus, quantam oſtendunt lucubratiſſima ipſius Opera, in exquiſito Tractatu de Sacrificio Miſſæ *inſignem* appellat *Theologum*, laudatis non ſemel iiſdem libris, quorum optime noverat publicas privataſque cenſuras. Videat ergo Anonymus iſte Scriptor, qui in Operibus Fulgentii Bellelli ſe deprehendiſſe contendit, quod nec viderunt Auguſtinianæ familiæ Rectores, ſummique Theologi, nec doctiſſimi cenſores a Sacra Romana Inquiſitione delecti, nec præſtantiſſimi illi, quibus a Reverendiſſimo S. Palatii Magiſtro examen Operis commiſſum fuit, nec Benedictus XIV. tanta æquitate, ac tali judicii acumine pollens: videat, obſecro, videat Anonymus iſte, num vigilans ſuique compos Bajaniſmum reviviſcentem inſpexerit, vel potius dormiens illuſus ſit idolis ac phantaſmatibus: videat inſuper, an ea verba, quæ de Reverendiſſimo Patre ſcriptitat, *Temerarius ille ſcriptor*, potius in ſeipſum quadrent, quam in virum illum eximium, atque ornatiſſimum. Quo enim jure *temerarius* dicendus eſt, qui ſcripta ſua centorum judicio ſubjecit, atque in lucem edidit ſuperioribus annuentibus? quo jure *temerarius* dicendus eſt, quem Theologi, Purpurati Patres, ac Pontifices Maximi laudibus exornarunt? quo demum jure poteſt temeritatis notam effugere, qui tantum virum *temerarium* dicere non veretur?

Vide Approbat. præmiſſas Operi Romæ edito.

Lambert. de Jacrif. Miſſæ p. 4. nu. 70. & n. 74.

XIII. Excuſſo Anonymi judicio de Fulgentio Bellelli, conſtat quo loco habenda ſint quæ de me addit: inquit enim pagina 12. *Fratrem Berti Fratri Bellelli religione ac multo magis errorum ſocietate conjunctum, ſodalem ſuum, ſi non ſuperet, ſaltem æquare earumdem opinionum perverſitate, ſuoque in hæreticas novitates ſtudio; ſcripſiſſe librum, cui titulus eſt*, de Theologicis diſciplinis *in quatuor volumina diſtributum, in quo eaſdem iniit vias, eademque adhibet artificia ad renovandam Baji, ejuſque diſcipulorum doctrinam*. Hæc, ubi primum ea legi, cum ſatis perſpectum haberem ex præcedentibus in Fulgentium dicteriis ingenium Anonymi, ac proinde meliora non expectarem, nulla ratione me commoverunt, ſed a me riſu potius, quam indignatione fuerunt excepta, quantum tamen a viro patientiſſimo excipi poſſunt inſanientis furoris impetus præcipites, atque effræni. Non enim alia ratione tunc reſponſionem concepi, niſi qua modo utor, nequaquam, uti ſpero, honeſtiſſimorum virorum animum offenſura, atque in primis ingenuitatem, veritatemque, cujus producere poſſum locupletiſſimos teſtes, præſeferente. Itaque haud miror in me quoque tela iſta jactari, quæ nedum in virum doctiſſimum atque ornatiſſimum, ſed & in eos, quos ſecundo, ac tertio numero commemoravi, quamvis caſſo

Reſponſio ad ea, quæ de me Anonymus ſubjicit.

irritoque

irritoque conatu fuerunt intorta. Apertiſſime unuſquiſque percipiet, modo in his controverſiis fuerit aliquantulum exercitatus, Anonymum ea ſtyli libertate (ne dicam, acerbitate atque procacitate) perſonatos Neuſſerium & Risbrochium, auctoremque cenſuræ nomine Pragenſium Theologorum de Schola Roderici Arriagæ adverſus Henricum de Noris, præmiſſæ ejuſdem Riſbrochii inſulſiſſimis accuſationibus, fuiſſe ſtudioſiſſimo artificio imitatum, aut proſecutum ſaltem communem illam vetuſtamque conſuetudinem, quam ſectantur quicunque præjudicio doctrinæ, & calumniandi animo excæcati in Catholicos ſcriptores inſurgunt. Risbrochius enim affirmavit a Noriſio *Janſenium exhiberi, & concordare Norim cum Janſenio, quamquam eum raro nominet, & interdum leviter carpat*: Cenſura Pragenſis Risbrochiano Operi præmiſſa ait de Nori, *turbas Bajanas & Janſenianas revocare*, & in ejus libris occurrere *novitates pleraſque ac pernicioſas*; ac Bruno Neuſſer clamitat, Noriſium *propoſitiones Michaelis Baji ab Eccleſia, & multis Romanis Pontificibus jure damnatas amplecti, & reducere in exoſam lucem, atque Cenſuram Apoſtolicam commentis ſuis penitus elevare, itemque adſtruere propoſitiones in proprio verborum ſenſu damnatas, & in pravum ſenſum detorquere Conſtitutiones Pii, & Gregorii*. Quæ, aliaque plura ob eamdem omnino cauſam, ut ex horum librorum lectione manifeſtiſſimum eſt, in Noriſium conſcripta, ſi eadem non ſunt cum prolatis ab Anonymo, atque in nos jactatis conviciis; ſunt tamen ut graculus graculo, aut ſaltem ut aſpis viperæ, a qua mutuo ſumit venenum, perquamſimillima. Quapropter gratulandum mihi potius, quam condolendum, quod cum tali viro, iiſdemque de cauſis tamquam diſcipulus Baji, Janſeniique traducar; ne repetam cetera, quæ præmiſſa ſunt tertio numero. Quod etiam Fulgentio Bellelli viro doctiſſimo me dignetur Anonymus comparare, gratias illi ago plurimas: ſed utinam calcaſſem tanti viri veſtigia, atque aſſecutus fuiſſem doctrinæ illius partem minimam! Hoc mihi Theologicis ſtudiis operam impendenti præ ceteris accidit infortunii, quod nunquam talem inſtitutorem habuerim. Si autem ego tenuiſſimi ingenii homo applicui animum Theologicis Operibus conſcribendis; id non audaciæ meæ tribuendum eſt, ſed ſuperiorum meorum auctoritati. Ut enim horum juſſa facerem, Bononienſis cathedræ ornamenta, commoda plurima, melioriſque fortunæ ſpem abjeci, ratus religioſo viro melius eſſe obtemperare, etiam cum aliquo famæ diſcrimine, quam proprio genio cum nominis rerumque incremento indulgere: de Gratiæ autem ſyſtemate nil temere, & inconſulto deliberavi; ſed quod propugnavi, acceperam a præceptoribus, & illud itidem in lucem emiſi Superioribus annuentibus ac jubentibus. Immo non ego, ſed ipſi curarunt Operum meorum editionem; libroſque *de Theologicis diſciplinis* tales eſſe cenſuerunt, qui univerſæ Italiæ ſtudioſis adoleſcentibus ad capeſſendam germanam S. P. Auguſtini doctrinam, excutiendumque ſcholaſticum pulverem proponerentur. Illorum erga me ſingulari benevolentiæ, non ſcriptorum meorum pretio honorem hujuſmodi acceptum refero, hoc unicum ſolatium, fructumque percipiens, quod res iſta cum aliquo diſcipulorum proventu, atque utilitate contigerit. Janſeniana dogmata repellere ſtudui ex principiis Auguſtinianæ Scholæ, quæ inter nos communia ſunt, & exiſtimantur certiſſima: atque hoc ſane conſilio me ſperabam reportaturum bonorum approbationem, non vero mercedem illam, quam mihi rependit Anonymus, tantam nempe ſegetem calumniarum. Hanc utique non ex bono ſemine, quod ſeminavi, natam exiſtimo; ſed ex iis, quæ inimicus homo ſuperſeminavit, zizaniis. Nam quæcumque ab Eccleſia Catholica, Romaniſque Pontificibus damnata ſunt, ſincero animo, ſolemnique juramento damnavi, & damno. Inquit adverſarius, fraudulenter & artificioſe me gerere: at cum ipſe nequeat animum meum introſpicere; hujus Deus, qui ſcrutatur renes & corda, ſit judex. Certo ſi Eccleſiæ cenſuram effugere ſtuduiſſem; nec Romæ ſcripta edidiſſem; nec priuſquam ederem, ipſemet cenſuris ſubjeciſſem. At Romæ illa edidi, cenſuriſque ſubjeci: plurimumque miror, talem de Romanis Cenſoribus accuſatorem noſtrum opinionem tenere, quod ignorent ſenſum articulorum Baji, & propoſitionum Janſenii, & quod adeo ſimplices ſint, adeo creduli, ut ſinant ſe fraudibus doliſque novantium, quales nos Anonymus ubique appellat, circumveniri. Quare ut nos erroris, ita illos credulitatis & ignorantiæ, necnon Præſides, qui illorum utuntur opera, ſummæ imprudentiæ, nimiæque facilitatis audax criminator redarguit. Præterea ad Bajum quod attinet, ſancte juro, me nunquam antea hujus ſcripta legiſſe: legam tamen, quoniam ad hanc jacturam temporis faciendam inofficioſus animadverſor me invitum compellit. De Janſenio idem prorſus affirmo: Theologicum ſyſtema fabricavi Gregorio Ariminenſi, Noriſio, ac Theologis noſtris compluribus præeuntibus, horum interpretamentis, non fraude,

Risbroch. pag. 197. & 230. Neuſſer Prod. Velit. pag. 23. 24. &c.

non

non dolo, Bajana asserta refellens. Vereor, ne adversarius auctores nostros aliquando lustraverit: immo nec libros meos alia unquam, præterquam calumniandi, intentione perlegerit; ait enim a me Theologicum Opus fuisse *in quatuor Volumina* distributum, quando ego in Prolegomenis partitionem aliam præmisi, atque initio tria simul, postmodum alia duo, & rursus tria edita fuerunt in lucem: at fortasse quatuor Anonymus enumeravit, contendens ex his Bajanismum, & Jansenismum evincere, neglectis aliis. Hæc tantum ad ea, quæ in Anonymi Præfatione de me dicuntur, respondeo: *quod me sincero corde agere, & cum tremore Christianæ humilitatis, etiamsi pleriſque hominibus apertum non est, videt tamen ille, cui nulla corda clauduntur.*

Aug. epist 33. ad Proculejanum, alias 147. n. 1. t. 2. pag. 62.

XIV. Refutata Anonymi præfatione, non abs re erit nonnulla addere circa rationem scribendi, industriam, artificium, & methodum, quibus ille usus est in *Bajanismo*, & *Jansenismo Redivivo* conscribendis, ut unusquisque possit facilius conjicere, quomodo ad hujusmodi opuscula exornanda sese comparaverit. Primum itaque arripiens ea, quibus illi sententia nostra videbatur in invidiam trahenda, alto præteriit silentio quæcunque nos a Bajanistis toto cælo dissitos esse commonstrant, nullamque mentionem fecit illorum dogmatum, quæ a Baji, Jansenii que gregariis pertinaciter, pugnaciterque traduntur, a nobis autem pluribus disputationibus refutantur. Enimvero quod Bajus asseruit secunda, quarta, decima, decimaseptima, decimaoctava, & decimanona propositione, bona scilicet opera esse *meritoria æternæ vitæ natura sua*, non requiri ad meritum *gratiam adoptionis*, & opera, quæ remissionem peccatorum præcedunt, *promereri vitam æternam*, atque ipsa merita Christi pretium valoremque non traxisse *ex dignitate Personæ*, nos utique argumentis pluribus oppugnavimus. Affirmavit insuper Michael Bajus propositionibus 20. 39. 41. 64. 68. 48. 49. 72. 71. 65. non dari peccatum *natura sua veniale*, fieri libere quidquid fit *voluntarie*, etiamsi *necessario* fiat, concupiscentiam in renatis esse *peccatum*, ejusque motus, quos homines patiuntur inviti, esse transgressiones legis, ac præcepti, *Non concupisces*; necnon *infidelitatem* illam, quam Scholæ *negativam* appellant, inter vera peccata esse connumerandam: nos vero hæc omnia prolixis dissertationibus refutavimus. Atque hoc idem de compluribus alii Baji articulis dicendum est, de quibus pertractandi in Operibus nostris opportuna sese præbuit occasio. Propositiones item Jansenii singulas juxta Romanæ Ecclesiæ decreta proscripsimus, extare in ejusdem Jansenii libro affirmavimus, in ejus sensu damnatas fuisse tradidimus, pro libertate indifferentiæ acerrime pugnavimus, in quæstione *Facti Jansenisni* irreformabile judicium, & æquitatem Romanorum Pontificum defendimus, *Juramenti* formulas vindicavimus, iisdem subscripsimus, & adversus silentium, quod *Religiosum* dicunt, stylum acuimus: in quibus omnibus, ceteriſque, quæ in Bajano & Jansenisno dogmate præcipua sunt, habentque cum aliis damnatæ doctrinæ capitibus vinculum, atque connexionem firmissimam, certa ac manifesta res est, nos Catholicæ veritati confirmandæ, & novantium opinionibus evertendis, revincendisque conatum omnem nostrum, totamque, qualiscunque ea sit, operam, industriam, ac diligentiam contulisse. Respondeat nunc criminator, ostendatque quare hæc omnia neglexerit, quare cum tam multa adversus Bajum Jansenium que scripserimus, asserat a nobis *totum fere illorum systema* renovari: ostendat in quo doli, arteſque nostræ versentur; num dolus, num artificium Bajani aut Jansenisni hominis sit Constitutiones Apostolicas propugnare, fictitium comma respuere, libertatem indifferentiæ adversus dogmatistas defendere, omniaque nuperrime recensita præstare: ostendat postremo, quare cum longe plura ad corroborandas, atque pro modulo nostro illustrandas Catholicas veritates fuerint a nobis producta, versutus adversarius cuncta tacuerit, quasi nihil a nobis editum sit præter titivillitium quoddam, fœtumque damnatorum dogmatum abortivum, & quasi tricas solas, solasque apinas luserimus. Profecto etiam Stagirites tradens præcepta accusandi, & Plutarchus agens de utilitate ab inimicis capienda, docuerunt paucis saltem adversarios illos laudandos esse, in quos neque bono, neque malo animo fuerint auditores, illosque nec maligne, aut invide culpandos, nec fraudandos honore debito, propterea quod *ei, qui promerentes non laudat, fides non debetur vituperanti*. Quamobrem debebat accusator saltem, ut vituperanti sibi conciliaret fidem aliquam, fateri nos in assertionibus plurimis a Bajanistarum & Jansenistarum systemate discessisse; & quoniam laudibus, quas ab optimis viris non promeremur, ab improbis autem aspernati fuimus, atque aspernamur, prosequi nos non debebat, prædicta nos inter, ac Novatores commendare discrimina, nec tantum jactare illam nostram, a se contumelioſe confictam, *in toto fere systemate* cum iisdem Novatoribus cohærentiam.

Primum Anonymi artificium detegitur.

Arist. Rhet. ad Alex. cap. 37. pag. Reg. edit. 643. & Plutarch. pag. edit. Basil. 122.

Bajan. Rediv. pag. 2.

XV. Parum & exiguum est, quod adversarius silentio ea prætermiserit, in qui-

Anonymi artificium alterum.

in quibus abſque apertiſſimo mendacio negare minime potuiſſet nos immenſo intervallo a Janſenianis diſtare : proponit inſuper quoſdam pro ipſis Janſenianis characteres, quos certiſſime conſtat nobis nullatenus convenire, idque callidiſſime tacet. In exemplo ſit, quod ſcribit pagina 14. (& eſt princeps illius prænotatio) articulos Baji damnatos fuiſſe in rigore, & in proprio verborum ſenſu, *ſectatores autem Baji per fictam unius commatis tranſpoſitionem* contendere quod nonnulli poſſint *in ſenſu auctorum ſuſtineri*. Hanc ſectatorum Baji aſſertionem ego quidem data opera ſtudui refellere lib. 17. cap. 2. & argumenta omnia, ob quæ opinio de tranſpoſitione commatis quibuſdam, etiam non Bajaniſtis, probabilis viſa eſt, accurate diſſolvi. Hæc tamen argumenta incautus Anonymus (vide quam prudens ſit, quam ſapiens!) laudans pagina 4. *Acta Marillonii*, & *Atteſtationem Decani Sacræ Facultatis Lovanienſis*, & pagina 9. commemorans *Acceptationem Expoſitionis Lenſæi* factam a Duacenſibus, & Lovanienſibus Theologis, ſuppeditat ac ſubminiſtrat ignaris: ſiquidem ex iiſdem monumentis laudatis ab Anonymo, non aliunde, contendunt ſectatores Baji, immo, ut dixi, nonnulli Orthodoxi, famoſum comma transferendum eſſe. Percipiet id unuſquiſque, qui oculos conjiciat in Bajanam Hiſtoriam p. 2. Operum Baji edit. Colon. qua uſus eſt ipſe Anonymus, pag. 62. ubi legitur *Epiſtola Marillonii* ad Cardinalem Granvellanum, pag. 66. ubi extat *Atteſtatio Decani Academiæ Lovanienſis*, & pagina 202. ubi profertur teſtimonium *Petri Cuneri*, unius ex Theologis, qui pugnarunt adverſus Bajum, probaruntque Lenſæi Expoſitionem. Quum itaque perſpicuum ſit, a me validius, quam præſtet Anonymus, oppugnari Bajanos, a me rejici horum opinionem *de commatis tranſpoſitione*, & refutari ſubterfugia, quorum ipſe imprudentiſſime fulcra miniſtrat, dum laudat monimenta, unde tranſpoſitio illa, ſi vim haberent aliquam, aperte comprobaretur; cur diſſimulat ſententiam meam, cur tacet, niſi quod palmare ſit argumentum, in me non eſſe illum Bajaniſmi characterem, quem ſtatuit in prædicta commatis tranſpoſitione, a me penitus exploſa ac rejecta? Ita vero rem ſeſe habere haud obſcura ratio confirmat: nam cum Fulgentius Bellelli alicubi eamdem tranſpoſitionem improbare non videatur; tantum abeſt, ut accuſator a clamoribus temperet, quin potius adſcribit maximæ Theologi noſtri inverecundiæ, *iteraſſe calumniam, quam ad nauſeam uſque Bajaniſtæ evomuere*: quamquam alii, (ut Hyacinthus Serry Hiſt. de Auxil. ult. Edit. pag. 570. & Prælect. Theol. tomo 1. pag. 250. ac Vincentius Contenſonus tomo 5. pagina 198.) tranſpoſitionem illam non improbent; neque huic unicæ reſponſioni Fulgentius Bellelli adhæreat, ſed alias omnes producat, quas Noriſius, aliique noſtrates adhibuerunt. Igitur Anonymus non ſolum oppugnata a me Baji, & Janſenii aſſerta ſilentio altiſſimo præterivit, ne quem Baji diſcipulum appellat, fateri cogeretur Baji infenſiſſimum adverſarium; verum etiam declarans eſſe Baji ſectatores, qui ad commatis tranſpoſitionem confugiunt; ubi videt hanc a nobis refelli, prorſus obmuteſcit; & ubi ex aliorum ſententia commemoratam invenit, apertis tibiis increpat audaciam, atque

Bajan. Rediv. pag. 207.

Clamores ſimul horrendos ad ſidera tollit.

XVI. Si quid vero Anonymus in ſcriptis noſtris offendit, quod ei parum in lectione Auguſtinenſium Theologorum exercitato, ſive a veritate alienum, ſive ad conflandam, augendamque calumniam idoneum viſum eſt, non ſemel duntaxat, ſed frequentiſſime reprehendendum atque exaggerandum eſſe putavit: cujus generis eſt, hominem gratia deſtitutum nunquam *in praxi* ita operaturum fore, ut non erumpat cupiditas, aut philautia: quod inſcius homo putans a nobis excogitatum, & ignorans ex Noriſianis Vindiciis exſcriptum eſſe, nec diſtinguens inter cupiditatem, quæ eſt principium operis, & iſtud inficit & corrumpit, atque inter cupiditatem ſeu adventitiam, ſeu concomitantem, quæ nec operis cauſa eſt, nec illud intrinſecus vitiat, tamquam foret figmentum noſtrum, imo commentum Bajanum, & inexpiabile crimen, carpit pagina 173. & immediate ſequenti, redarguit rurſus pagina 269. vellicat iterum pagina 278. roditque itidem pagina 292. Frequentiſſime pariter objectat definitionem illam gratiæ, in qua comprehendendam diximus *caritatis inſpirationem*, ut perſuadeat imperitis nullam a nobis virtutem, nullumque opus ſalutare præter caritatem admitti: quaſi nos fidei, ſpei, timoris, aliarumque virtutum expreſſe, perſpicue, & abſque ulla ambiguitate verborum perutiles, & ſupernaturales habitus, actuſque nullibi tradidiſſemus: quando id non uno in loco, & præſertim libro 23. & 34. præſtitimus, necnon declaravimus in prælaudata Gratiæ definitione non coarctari *caritatis* vocabulum ad caritatem Theologicam, atque ad virtutem ſpecialiſſimam,

Tertium Anonymi Artificium.

mam, aut ad amorem illum benevolum, quo ſummum Bonum diligitur propter ſe; ſed tum ab Auguſtino, a quo definitionem illam exſcripſimus, tum a nobis uſurpari *caritatis* vocabulum * aliquando in ampliori ſenſu ad ſignificandam boni cupiditatem, & bonam voluntatem, quæ præcedit omnia opera ſpectantia ad pietatem veramque juſtitiam; aliquando autem ad ſignificandum amorem illum benevolum, atque habitum, virtutemque, quam paſſim Scholæ *caritatem* appellare conſueverunt. In his ergo, aliiſque permultis, quæ ſuo quæque loco diſcutientur, verba, quæ carpere ei libuit, nuda ac ſolitaria deſcribens, atque omittens legitimum illorum ſenſum, repetitam expoſitionem, loca, ubi luculentius eadem res pertractatur, teſtimonia Auguſtini idem omnino ſonantia, eorumque auctoritatem, qui nobis fuerunt inſtitutores & duces, morem proculdubio eis geſſit, qui, ut ajebat Pſalmographus, *calcaneum* obſervant, id nempe, quod illis videtur retrogradum, lubricumque, atque *verba aucupantur, quærentes alicubi laqueos, & nodoſas facere calumnias*.

* *Vide Explicat. centum Epiſcoporum Galliarum, diſſert. 1. §. 4. pag. 38. hujus Volumiuis.*

S. Aug. in Pſal. 55. n. 10. tom. 4. pag. 523.

XVII. Illud præterea ingenium, artem, animumque auctoris aperte prodit, quod aut ignorat, aut diſſimulat in Scholis noſtris ſententias illas, quas reprehendit, communes eſſe, ac vulgares: nam quæ ei potiſſimum flavam bilem, & Achæmeniam indignationem excitarunt, neceſſitas gratiæ ad diligendum Deum *tamquam auctorem naturæ*, ejuſdem gratiæ definitio ac diſcrimen, ſtatus *puræ naturæ* fictitius, opera quæ in Deum non referuntur *non bene* facta: hæc, inquam, ab omnibus Ægidianis, a Lovanienſibus noſtris, quotquot hactenus extiterunt, a Germanis, Gallis, & Italis propugnata ſemper fuere, ut poſtmodum demonſtrabo, ubi per ſingula accuſationis capita diſcurram. At accuſator, quaſi ea omnia eſſent farina noſtra, aut potius Janſenianorum cavillulæ, & quaſi nobis non præluſiſſent Gregorius Ariminenſis, Caſalius, Foſſeus, Noriſius, aliique ſexcenti, queritur aut ex ingenioli noſtri latebris erupiſſe, aut conſuetas eſſe novaturientium commentationes, atque clamoſior Claudianis tonitruis ait in ſcriptis noſtris Bajaniſmum, & Janſeniſmum reviviſcere ac pullulare: immo majorum noſtrorum conſtantem perpetuamque doctrinam, & ſyſtema, quod a Patribus noſtris accepimus, ut prætextu novitatis appareat execrabilius, non a Bajo tantum, vel a Janſenio, Bajanum, Janſenianumque cenſet eſſe appellandum, ſed ulterius ſpecioſiſſima, dignaque tali viro etymologia, Bertinianum, ac Bellellinum. Cuinam mortalium, niſi huic homini, qui univerſam Auguſtinianam Scholam tam audacter proſcindit, & perantiquam illius doctrinam exitioſæ novitatis incuſat, affingenda ad caput erit illa littera, cujus in Oratione pro Sexto Roſcio Amerino meminit Marcus Tullius?

Artificium Anonymi quartum.

XVIII. Arbitror autem neminem dicturum eſſe, quod juſtæ refutationis fines excedam, dum Anonymum atrociſſimæ calumniæ redarguo. Quum enim calumnia ſit *falſi criminis objectio*, ut inquiunt laudatus Tullius adverſus Salluſtium, & Magnus Auguſtinus Quæſtione 68. in Leviticum, ſive, ut illam circumſcribunt Jureconſulti, *iniqua & mendax infamatio*; ubi demonſtravero me, ceteroſque Auguſtinianos Scriptores, nec Bajanos, nec Janſenianos eſſe, ideoque injuſte ac mendaciter infamari, eiſque immerito probroſum crimen attribui, evidentiſſimum atque exploratiſſimum erit, auctorem *Bajaniſmi & Janſeniſmi Redivivi* eſſe purum putum calumniatorem, criminatoremque falſiſſimum. Ceterum ne mihi vitia ipſius accuſatoris objiciantur, dum *mendacem & calumniatorem* appello, id tantum quod in ejus ſcriptis exprimitur attendo, nec de ejus animo proferendi judicium mihi auctoritatem uſurpo; imo ſi eliminandi errores ſtudio permotus eſt, ſummopere ſtudium ipſum commendo: quamquam nemo veritatis *ſtudium* dixerit maledicta congerere, omnia ſiniſtre interpretari, inſidioſe & clanculum aggredi, ſingulaſque calumniæ proprietates lucubrationibus ſuis inſerere, ut Anonymus iſte fecit. Ipſe enim non ſolum nos duos, me ſcilicet, ac Fulgentium Bellellium, atque nobiſcum univerſos Inſtituti noſtri Scriptores, qui in nobis loquuntur, nobiſque adhærent, ex inſidiis adorſus opprimere, & tamquam malorum crateram frangere ſtuduit: verum & univerſum Opus tali pigmento linivit, ut ex hoc uno calumniæ dignoſceretur effigies, niſi hanc Tyrius Apelles coloribus expreſſiſſet. *Mulier*, enim, *fervida & irritata rabiem & iram præferens, & quam anteit vir pallidus acutum intuens, eiſque ſimilis qui longo morbo contabuerunt, quem facile conjicias livorem eſſe, & duæ, quæ mulierem illam comitantur, hortantes, componentes, ornantes, quarum altera inſidiarum imago, altera fallacia eſt*: mulier, inquam, iſta pennicillo Apellis depicta non tam *Calumniam*, quam germanam hujus ſororem repræſentat, Anonymi ſcilicet conviciatoris opellam. In hac ſiquidem & adverſus mortuum infenſiſſima indignatione exardeſcens, &

Num adverſarius dicendus ſit calumniator.

Apud Lucianum tom. 2. pag. edit. Salmurii 565.

cauſam

cauſam aſſumens, quam dicunt ἑτερομάλιον δίκην, non ſolum vocat virum eximium, ut vidimus num. 11. *ſpurium* Auguſtini *filium*, *e tenebris* prodeuntem, *temerarium Scriptorem*, Novatorumque *defenſorem acerrimum* ac *ſtudioſiſſimum*; ſed utentem ulterius *ſophiſmatibus*, *futilibus argutiis*, *ineptiis*, *paradoxis*, atque *doloſis effugiis*, hominem ad hæc adeo improbum, *quem nemo mortalium ferre valeat*, paſſim de me ſimilia eructans, & forte deteriora. Ergo dum Anonymus his, aliiſque plurimis contumeliis nos afficit, propterea quod proſcriptis ab Apoſtolica Sede propoſitionibus ſenſum illum tribuerimus, quem in illis damnari, ac reprobari cenſuerunt Vaſqueſius, Suareſius, Turrianus, Macedo, Noriſius, aliique viri doctiſſimi & præſtantiſſimi, horumque reſponſa tamquam figmenta noſtra, doloſque novantium ſubſannat, quod ſpero fore ut a nobis evidentiſſime demonſtretur; unuſquiſque a præjudiciis immunis facile poterit dijudicare, an accuſator ſtilo utatur fervido & irritato, an intueatur acutum, an contabeſcat livore, an comites habeat inſidias, atque fallaciam; an denique opus a ſe compactum ſit imago ipſa, pictumque ab Apelle ſimulacrum calumniæ.

Vide B. Rediv. pag. 2. 170. 181. 184. 203. 217. 247. *&c*

XIX. Ecquid, obſecro, dicerent eruditiſſimi Galliarum Scriptores, ſi Italorum aliquis in quempiam eorum ſcripta hujus generis, cujus eſt *Bajaniſmus* ac *Janſeniſmus Redivivus*, in lucem ederet, quot in nos clamores emitterent, quot lamentationes & querimonias? Edidit Chriſtianus Lupus, ut omnibus notum eſt, *de Appellationibus* exquiſitiſſimum Opus, in cujus fronte ſcripſit, *Adverſum profanas vocum novitates*, addiditque in principio Operis, *Adverſus quoſdam noſtrorum temporum Novatores*, nullo adverſariorum ſuorum expreſſo nomine. Id unum adeo Doctorem Sorbonicum Dupinium exulceravit, ut diſſertatione ſecunda *Diſciplinæ Eccleſiaſticæ* ſcripſerit Opus illud egregium *eſſe digniſſimum ut perpetuis damnetur tenebris*, *quod ſucco loliginis imbutum ſit*, *& Petrum de Marca Archiepiſcopum*, *Queſnellium Oratorii Presbyterum*, *Gerbeſium Doctorem Sorbonicum*, *& Garnerium Jeſuitam Novatorum nomine deſignans*, *& eos indignis modis ubique proſcindens*, *ac hæreticis ſemper adjungens*. Injuſtiſſima eſt expoſtulatio iſta Dupinii: nam Lupus, ut dixi, neminem in fronte libri indigitavit; in Epiſtola ad Innocentium XI. ſolius Paſchaſii Queſnelli (qui utinam Novatoribus non adhæſiſſet!) mentionem fecit: atque in corpore Operis ſolvit utique contraria Petri de Marca momenta, ſed illum impenſe laudat, & ait ceciniſſe illum ſuadente Innocentio X. palinodiam: Joannem Gerbeſium non ſemel appellat *ſapientiſſimum*, *& eloquentiſſimum virum*, quamvis in illa de Appellationibus materia interdum erraverit, interdum etiam probaverit appellationes ipſas, haud negans Chelidonium in Arelatenſi Synodo e propria Sede dejectum Romanam & Apoſtolicam Sedem adiiſſe ad poſtulandam Hilariani judicii reformationem. Garnerii, niſi forte labor memoria, Lupus eo loci non meminit, aut ſi meminit, certe non ſine laudis præconio. Novatores vero appellationes ad Romanum Pontificem præfracte conſtanterque negaſſe, & conſequenter a Lupo rectiſſime præfatum titulum fuiſſe appoſitum, novit quiſquis legit vel unum Bellarminum libro ſecundo *de Romano Pontifice*, vigeſimoprimo & quatuor ſequentibus capitibus, Calvini, Nili, Illyrici, Magdeburgenſium, aliorumque hæreticorum argumenta contra eaſdem appellationes ſolventem. Quid ergo? Si Doctor Sorbonicus audet aſſerere, quod ſit *imbutum ſucco loliginis*, *& felle intinctum* Opus illud Chriſtiani Lupi, in quo refellitur Novatorum opinio, quoniam eidem opinioni adhæſerunt Scriptores aliqui Galliarum: quo ſucco imbutum, quo felle linitum eſſe affirmaret duplex illud Opus, *Bajaniſmus*, ac *Janſeniſmus*, dum in eodem Opere nomen noſtrum apparet in ipſa fronte librorum, aperte impetimur & laceſſimur, & ubique dicimur Novatores, aut Novatorum diſcipuli, idque ob doctrinam illam, quam univerſa Auguſtiniana Schola propugnat?

Opportuna in Dupinium excurſio.

Dup. Diſcipl. Eccl. diſſ. ſert. 2. *pag.* 97. *Edit. Colon.*

XX. Erunt fortaſſe, qui dicant non eſſe Anonymum imitatorem Dupinii, neque calumniandi animo, ſed veritatis *zelo* commotum, veritum ne hydra Janſenianæ hæreſeos præciſa capita rurſus germinet, erigatque: veruntamen erga nos benevolentiam ſervare, eamque quibuſdam in Italiam conſcriptis epiſtolis ſignificaſſe. Mihi, ut dixi paullo ſupra, alterius animi dijudicandi non arrogo auctoritatem. Quæram tantummodo, num opportunus *zelus* dicendus ſit, ne error extra Italiam vagetur, Italos Orthodoxos inceſſere, ſcripta in lucem nutu Superiorum emiſſa opere edito furtivis typis traducere, ad opiniones recentiorum Scholarum revocare inconcuſſa, ac perantiqua Eccleſiæ dogmata, jactare ſolos ſibi adhærentes eſſe Antijanſenianos, ceteros a ſe diſſentientes in erroris ſuſpicionem adducere, ſub duorum nomine ampliſſimo Ordini bellum indicere, atque ad oculorum ſuorum caliginem avertendam maximi incendii præbere incentiva. Hunc profecto ita zelum dixeris, quemadmodum benevolentiam caritatemque præterire diſcrimina, quæ nos aperte ſegregant a Dogmatiſtis, ſiniſtre quæ non intelligas interpretari, dolo quæ occultari nequeunt adſcribere, abjectiſſimis nomini-

An zelo permotus Anonymus?

minibus, calumniis, impoſturis, dicteriis, inſimulationibus viros honeſtos onerare, clanculum mordere, initiſque conſiliis anathemati, ſi id conſequi valeas, ſubjicere. Zelus ne cenſendus hic eſt, atque benevolentia? Utinam ſit. Verum latentem in pectore Anonymi caritatem, de qua judex tantummodo eſſe poteſt Deus omniſcius & immortalis, deprehendi nequaquam ſinit hoſtilitas manifeſta: nec profunda illa, & acerbiſſima vulnera, quibus, etſi inania ſunt, in quorumdam tamen opinione confodimur & cruentamur, abſtergi valent tam leni, ac miſerrimo blandimento. Profecto ſi me inter adverſariumque meum interceſſiſſet conſuetudo aliqua epiſtolarum, ac me benevolentiæ hujus ſuæ dignatus eſſet reddere certiorem; auſus ei eſſem reſcribere quod Rufino Beatiſſimus Hieronymus: *Eſto tu bono animo ſcripſeris, & homo innocens, & amicus fideliſſimus, de cujus nunquam egreſſum eſt ore mendacium, me neſcius vulneraveris; quid ad me, qui percuſſus ſum? Num idcirco curari non debeo, quia tu me bono animo vulneraſti? Confoſſus jaceo, ſtridet vulnus in pectore, candida prius ſanguine membra turpantur: & tu mibi dicis, Noli manum adhibere vulneri, ne ego te videar vulneraſſe?*

S. Hier. Apol. adv. Ruf. lib. 1. to. 4 par. 2. pag. 361. edit. Martian.

XXI. At quoniam hæc Hieronymi verba nullum alium in præſentia locum habent, niſi quantum ſpectat ad vulnerum noſtrorum acerbitatem: ut ad Anonymi benevolum gratiſſimumque revertar animum, tametſi latet, & manifeſtus eſt ſoli Deo, aliquatenus tamen agnoſci ille poterit ex quadam a Magno Auguſtino tradita regula, juxta quam a malignantibus & malevolis amici ac benevoli homines ſecernuntur. Quiſquis enim in proximo ſuo errorem, ſeu vitium aliquod ſuſpicatur, & benevolus eſt, eumdemque proximum diligit, quoniam de alterius malo triſtatur, quod proprium eſt diligentium, vehementer cupit, ut quod in fratre arguit increpatque, ſit falſa atque inanis ſuſpicio: neque ſperat, aut confidit oppreſſurum ſe, devicturumque adverſarios, ſed ab iis potius vinci, ac ſuperari deſiderat. Contra vero qui ſuſpicionibus ſuis, & redargutionibus aliorum intendit animum, atque in his ducitur malevolentia, aut livore excæcatur; propterea quod invidi, & odio habentes lætari plurimum ſolent de aliorum infamia, dedecore atque oppreſſione, nil magis in votis habet, quam ut ſuſpicio vera ſit, & accuſatio comprobetur; ut quem reum putat eſſe, patrocinio deſtitutum, damnatum, perditumque quam ocyſſime intueatur. *Malevolæ ſuſpiciones* (inquit Auguſtinus ſerm. 343. num. 3.) *ſunt calumniantium*; & rurſus: *Qui benevole ſuſpicatur, vinci cupit; tunc enim bene lætatur, quando falſum inventum fuerit quod male ſuſpicabatur.* Quæro nunc, an malevola, an autem benevola, dicenda ſit ſuſpicio, & accuſatio Scriptoris doctrinam noſtram tanta confidentia redarguentis, ut paſſim affirmet ex *ſola lectione* librorum noſtrorum *exploratum eſſe* reviviſcentem in nobis Bajaniſmum & Janſeniſmum: artes, quibus cenſuras eludimus, eſſe prorſus *irritas & inanes*: nil nobis ſupereſſe, niſi ineptias, quæ moveant *riſum pariter & indignationem*: non poſſe *expreſſius & diſertius renovari*, quam renoventur a nobis, errores in Bajo & in Janſenio damnatos: *dolum, fraudemque noſtram* cunctis innoteſcere: *nonniſi miſerrima evaſione* Romanorum Pontificum cenſuras a nobis eludi: *intolerandam* eſſe, *nec omnino ferendam* audaciam noſtram; actum denique eſſe, *convictos* nos penitus, cauſam *deſertam*, atque expeditam. Vinci ergo non vult homo iſte: immo, ſi ſolus audiatur, jam vicit, jam cauſa finita eſt, ac magnopere triſtaretur, ſi quod male ſuſpicatus fuit, omnino falſum inveniretur.

S. P. Auguſtini Regula quædam ad calumniantes & malevolos ſecernendos.

Aug. to. 5. pag. 1325.

Bajan. Rediv. pag. 169. 171. 177. 188. 196. 274. 271. &c.

XXII. Invenietur quidem: nunquam enim veritati præſidium deeſt; ſemperque paratus eſt adverſus Daretem Entellus aliquis. Interim neminem inter ſapientes viros futurum fore exiſtimamus, qui cenſeat devictos & ſuperatos nos eſſe; quamvis id aſſerat glorioſiſſimus adverſarius, Cycloboro, atque Stentore clamoſior, eique aſſentatores nonnulli tamquam alteri Pyrgopolinici plaudant, dicentes unum ipſum interea vivere *virtute, & factis invictiſſimis*. Puto non hanc priorem eſſe pugnam, in qua viſus ſibi ſit aſſecutus victoriam, & quaſi triumphum agens, quod ii, qui virum noverunt, ejuſque lucubrationes, narrare poterunt: nam ego non novi, nec legi latinas alias hujus generis criminationes, quamvis noverim ac legerim alias id genus Gallico idiomate ſcriptas, minori tamen acrimonia, ac minori procacitate. A Gallorum tamen ingenio plurimum abhorret Anonymus: quum enim hi ſapientiſſimi ſint, humaniſſimi, ac temperatiſſimi, atque, ut in ſecundo de Divinatione ait Cicero, *victi ſilere ſoleant, canere victores*: ignorat is ſyſtema quod vellicat, de nobis loquitur duriſſima atque acerbiſſima, nequit moderationem tenere, & victoriam conclamat datis tantum ſignis, & nondum peracto certamine. At nemo mortalium ignorat vetus adagium, cujus meminerunt laudatus Cicero in quadam epiſtola ad Atticum, & in Oratione *De non temere credendo calumniæ* Lucianus Samoſatenſis,

De Anonymi confidentia, & jactantia.

Cic. Epiſt. ad Attic. 7. 17.

Ne judex fueris, partes ni audiveris ambas.

Lucianus pag. 568.

Immo ſi quis legit unquam, quæ litteris mandaverunt Noſtrates, & Noriſiana tantummodo Opuſcula, mirabitur confidentiam illam maximam ac ſingularem,

qua

qua Anonymus eamdem tundens incudem jactat a se firmissimam & inconcussam Scholæ Augustinianæ doctrinam in minutissimum pulverem redactam esse, atque omnino contritam. Sed de *Bajanismi & Jansenismi Redivivi* inscriptione, de Operis protheoria, de ratione scribendi, & de artificiis, quæ adversarius noster adhibuit, dictum satis, superque.

De methodo ab Anonymo adhibita.

XXIII. Addamus perpauca de methodo, qua Anonymus utitur. Quantum ad hanc attinet, contexit primo loco historiam Bajanismi, atque in certas classes partitur damnatas propositiones, quarum & sensum investigat: deinde conatur evincere hunc sensum cum in Operibus Fulgentii Bellelli, tum in iis, quæ a me in lucem edita sunt, contineri. In iis autem, quæ ad historiam spectant, & habentur articulo primo & secundo, a pagina nempe decimaquarta usque ad quadragesimam sextam, nil fere occurrit, in quo necessum sit immorari, & verba profundere. Inquit quasdam Baji propositiones *ob doctrinam*, quasdam autem *ob censuram* fuisse proscriptas: sed quotiescunque similes propositiones occurrunt, quarum una *doctrinam*, altera *censuram* continet, si de eadem materia enuntientur, ut contingit in propositionibus 28. & 29. tam *substantiam dogmatis*, quam *censuræ acerbitatem* perstringi. Addit non omnes propositiones damnatas esse, *quasi Bajum habeant auctorem*, quamvis Bajus auctor fuerit fere omnium, atque ceterarum *præcipuus saltem defensor*. Præterea animadvertit in illis propositionibus recensendis non eumdem ab omnibus Scriptoribus servari numerum, ideoque a se illum servatum iri, quem secutus est Editor Operum Baji, quæ in unum volumen coacta typis fuerunt edita anno 1696. Coloniæ Agrippinæ. Ait omnium fere articulorum Baji illud esse principium, quod omnis amor creaturæ rationalis aut sit *vitiosa cupiditas*, aut *caritas laudabilis*: huic accedere principium alterum, quod malum sit homini carere iis, quæ pertinent *ad creaturæ rationalis integritatem*, ad quam spectat *ut Deo per caritatem adhæreat*, ac destinetur *ad visionem Dei intuitivam*. Asserit Bajum, ut nimis evexit statum hominis ante peccatum, ita plus æquo statum ejusdem hominis post peccatum depressisse, docendo tandiu hominem *ex cupiditate* operari, quandiu in ejus corde *caritas* non diffunditur per Spiritum Sanctum: atque hinc sequi, quod liberum arbitrium sine gratiæ adjutorio nonnisi ad peccandum valeat, omniaque opera infidelium, qui Deum ignorant, ac proinde nequeunt Deum ipsum diligere, esse peccata. Postremo affirmat, Bajum reprobasse tamquam Pelagii assertum, dogma illud, & pronunciatum Catholicum, *Deus impossibilia non jubet*, ac docuisse omne opus, quod *voluntarie* fit, etiamsi *necessario* fiat, libere tamen fieri, ut systema suum cum libero hominis arbitrio conciliaret; atque hæc præcipua Bajani systematis capita in libro, cui titulus est *Augustinus*, renovata fuisse a Jansenio: de cujus itidem propositionibus agens Anonymus, pertractat primum de istarum sensu, deinceps ejusdem sensus Jansenianos assertores, atque propugnatores esse contendit.

Quid hoc in Opere præstandum sit.

XXIV. Nullatenus ego de historia Bajanismi, & de Baji, aut Jansenii propositionum æquissima, rectissimaque condemnatione cum Anonymo disceptabo, in his enim quid sentiam constat ex libro XVII. Theologicarum Disciplinarum. Ad examen revocabo quinam revera sit damnatus pravusque sensus articulorum illorum, sive Baji, sive Jansenii, sive etiam Quesnelli, quorum damnatam falsissimamque doctrinam a nobis defendi & renovari incredibili animositate asseverat. Quod utique, auxiliante Deo, atque intercedente Augustino, faciam tanta insignium Auctorum suffragante multitudine, ac tanta probationum evidentia, ut nisi accusatorem pœnitebit invidiosissimæ insimulationis, quod ab homine talis ingenii ac pertinaciæ vix, aut ne vix quidem sperandum est; fateatur tamen se innumeris Theologis Orthodoxis ac præstantissimis, quibuscum per omnia sentimus, injuriam intulisse maximam, ignorasse penitus illorum mentem, & nunquam scripta pervolutasse, nostra quoque lividis oculis perlegisse, ac longe majorem curam, atque solicitudinem sibi adhibendam esse, ut semetipsum purget a nota conviciatoris, & calumniatoris, quam impenderit nos accusando, & commentitium *Bajanismum*, ac *Jansenismum Redivivum* conscribendo. Quod vero Colonienſem Operum Baji editionem sequutus fuerit in damnatis articulis enumerandis, id quidem parum, aut nihil refert: atque ego pariter, ut numeri numeris respondeant, idem servabo. Addam quoque in fine secundi voluminis Romanorum Pontificum Constitutiones, quibus Baji, Jansenii, & Quesnelli propositiones eodem numerorum ordine, quo ab Anonymo, & a nobis citantur, inveniuntur dispositæ, ut facilius sub legentium oculos cadant, & quæ solis appositis numeris commemorantur, statim occurrant, neque sit necesse ut alibi requirantur. Ab adversarii tamen methodo recedam paullulum: nam divisionem articulorum Baji in certa capita, quam divisionem ipse præmittit art. 2. pag. 22. necessariam minime puto, tum quia eamdem, & quidem longe accuratiorem nobis exhibuerunt Franciscus Suarez in sexto Prolegomeno *de Gratia*, Turrianus in dissertatione *de erroribus Baji*,

Ripal-

Ripalda in tertio Volumine *de Ente ſupernaturali*, Lenſæus in *Expoſitione* iiſdem Bajanis Operibus inſerta, Ludovicus Bail *de Beneficio Crucis*, aliique permulti; tum quia nobis accuſator de ſingulis & univerſis articulis minime litem intentat; tum demum quia manifeſtiſſimum eſt (ut dixi n. 14.) illorum articulorum complures a nobis rejici, & prolixis diſſertationibus refutari. Ubicunque tamen neceſſum, aut opportunum erit, ad ipſam Anonymi partitionem confugiam, inſertaſque ab eo notulas in medium afferam. In hoc etiam a methodo Anonymi diſtabo aliquantulum, quod priori loco librorum meorum præmittam Apologiam; quum adverſarius Fulgentium Bellellium prius accuſet, damnatumque pronuntiet, defuncti piiſſimique viri cineres ventilando: ſiquidem poſtulat rectus ordo, ut primum noſmetipſos, ac deinde confratres defendamus, ſi maxime ſimus, quales nos eſſe profitemur, iiſdem confratribus infirmiores. Verum ſi quis eſt, qui in Apologetico hoc noſtro eumdem prorſus deſiderat ordinem, quem tenent libri adverſum nos exarati; facillime ordinem ipſum inveniet, ſi prima capita ſingularum diſſertationum noſtrarum legantur unum poſt aliud; tum ea, quæ tertio loco poſita ſunt, ac tandem quæ medium tenent. Data enim opera diſſertationes ipſas in tria capita diſtribui, quorum primum Baji ſenſum, & in eo allucinationes Anonymi, alterum librorum meorum vindicationes, ac tertium caput Operum Fulgentii Bellelli comprehenderet apologiam: atque ita legentium arbitrio aut jungi ſimul poterunt, aut ſeparari. Abſolvam denique Apologetici hujus Operis protheoriam alloquens lectores, judices, Theologoſque univerſos iiſdem verbis, quibus in fine Præfationis præmiſſæ celebri pro Chriſtianis *Apologiæ*, ſeu *Legationi*, Aurelium Antoninum, Commodum, omneſque Philoſophia imbutos adlocutus eſt Athenagoras Athenienſis: *Porro nunc ab initio inſtitutæ orationis meæ, obſecro vos, æquis, & benignis animis auſcultare ut dignemini, neque vos nulla ratione vigentis famæ præjudicio occupari, & ad illius veluti impetum rapi patiamini. Quin illud veſtrum ſapientiæ & veritatis avidiſſimum ſtudium mea quoque oratio ut ſentiat, ſinite. Sic fiet, ut neque vos per ignorantiam delinquatis: & nos depulſis confutatiſque iis, quæ temere in nos* adverſarius *effutiit, quietiores agamus.*

Athenag. pag. 4. edit. Pariſ. Sonnii.

DISSERTATIO PRIMA

IN QUA PERTRACTATUR

DE SENSU

BAJANI ARTICULI XXXVIII.

ALIORUMQUE SIMILIUM,

Ac demonſtratur eumdem ſenſum nullatenus contineri, ſed refelli penitus; & refutari cum in libris *De Theologicis Diſciplinis*, tum in iis, qui *Mens Auguſtini* inſcripti ſunt.

Vide quibus tam gravem, tamque nefariam irrogaris injuriam.

S. P. Auguſtinus lib. 1. contra Julianum cap. 4. num. 12.

CAPUT PRIMUM.

De ſenſu Bajanæ propoſitionis XXXVIII. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur.*

Bajan. Rediv. pag. 8.

ANonymus *Bajaniſmi Redivivi* auctor, præfatione præmiſſa, & articulis Baji in certa capita diſtributis, prolixe pertractat de ſenſu trigeſimæ octavæ propoſitionis, quam art. 3. §. 31. appellat *præcipuum totius Bajani ſyſtematis caput, ac quaſi totius doctrinæ baſim*; & in cujus ſenſu inveſtigando a quadrageſima ſeptima uſque ad ſexageſimam quintam paginam immoratur. Æquum eſt igitur, ut nos pariter priori hac Diſſertatione ſermonem inſtituamus de ipſamet propoſitione trigeſima octava, ejuſque ſenſu, tali ordine ac metodo, quibus facile unuſquiſque percipiat, quodnam revera ſit Bajani erroris fundamentum & caput, & an adverſarius verum legitimumque Bajaniſmum delineaverit, num autem umbratilem, natum in ejus cerebro, atque fictitium. Id profecto conſequemur, ſi tria ob ingenui Lectoris oculos ſtatuamus: primum videlicet quot ſenſus eadem propoſitio patiatur: alterum in quo eorumdem ſenſuum proſcriptam eſſe contendat Anonymus, & in quo proſcriptam fuiſſe docuerint Theologi præſtantiſſimi & ante, & poſt damnatas theſes Queſnellianas: tertium, quænam accuſator producat aſſertionis ſuæ munimenta.

§. I.

De multiplici ſenſu Bajani articuli 38.

I. PRincipio itaque *caritatis* & *cupiditatis* vocabula ita accipi poſſunt, ut *caritas* in prænuntiata Baji propoſitione non qualiſcunque caritas ſit, ſed regnans, prædominans, atque inferens juſtitiam, animæ ſanctificationem, ac meritum vitæ æternæ, ita, ut in ſenſu ejuſdem Bajanæ propoſitionis, ubicumque regnat laudabilis illa caritas, ipſa quodcunque rationalis creaturæ opus efficiat, reddatque illud ſanctum, & dignum retributione. In hoc autem ſenſu Bajanus articulus enuntiatur *de caritate habituali*, quoniam caritatem illam, quæ in cordibus juſtorum per Spiritum Sanctum diffunditur, ibique regnat, Theologi *habitualem* appellant, eo quod animarum juſtificatio juxta communem eorumdem Theologorum ſententiam fiat per gratiam inhærentem, ſive per ſupernaturalem quemdam habitum, aut formam, qua interius perficimur, vivificamur, & innovamur. Pari ratione *vitioſæ cupiditatis* nomen ita in Bajano articulo uſurpari poteſt, ut minime intelligatur qualiſcunque cupiditas, ſeu qualiſcumque mundi fluxorumque bonorum dilectio, ſed *cupiditas* cordibus impiorum adhærens, ibique regnans, aut potius tyrannidem exercens, ac tali ratione prædominans, ut quidquid agitur ab homine tali noxia cupiditate affecto, ſibi vindicet, omniaque opera aut eliciat, aut imperet, & cuncta proprio veneno corrumpat. Hanc vero prædominantem cupiditatem, quum ad inſtar cujuſdam habitus, vel formæ impiorum cordibus inſit, appellare itidem in Scholis conſuevimus *cupiditatem habitualem*.

II. Sane, ſi Bajana propoſitio, de qua ſermo eſt, ita accipiatur, ut omnis amor creaturæ rationalis ſit aut vitioſa cupiditas cordi impiorum inhærens, eidemque cordi prædominans, aut laudabilis caritas diffuſa in cordibus juſtorum per Spiritum Sanctum inhabitantem, & prædominans ac juſtificans, ita, ut ubi non regnat hæc laudabilis caritas, omnis motus liberi arbitrii, omnis amor, omniſque actus ſit a vitioſa cupiditate dominium imperiumque exercente; aut contra, ubi non regnat vitioſa iſta cupiditas, quidquid ex animo & voluntate procedit, effectus ſit laudabilis caritatis prædominantis atque regnantis: ſi, inquam, in hoc ſenſu accipiatur propoſitio Bajana, nemo unus eſt, qui ejus perverſitatem non percipiat, primoque aſpectu non videat quam jure, meritoque cenſuram ac damnationem Eccleſiæ, univerſorumque Catholicorum execrationem ſubierit. Enimvero ſi ubicunque ſedem regnumque non tenet amor juſtificans, ita præeſt cupiditas, ut ſibi ſubjiciat actus omnes creaturæ rationalis, eoſque jubeat, regat, ac moderetur; quidquid faciet peccator nondum juſtificatus, utpote profectum a radicem vitioſæ cupiditatis, erit peccatum & inquinamentum: atque ita, licet Spiritu Sancto movente, & nondum inhabitante, timorem concipiat, perpendat peccatorum ſuorum turpitudinem, in ſpem veniæ erigatur, & etiam per actus initialis amoris, imperfecti, nec prædominantis, ad gratiam in Sacramento obtinendam ſeſe diſponat; attamen hæc omnia erunt damnabilis cupiditatis effectus, hujuſque contubernio, atque influxu corrupta. At quis non execratur hæreticam hanc, pernicioſam, horrendiſſimamque doctrinam? ex qua manifeſtiſſima conſecutione deducitur, quidquid fit a peccatore peccatum eſſe, timorem quoque, ſpem, deteſtationem peccati, attritionem ſervilem, necnon actum caritatis initialis atque imperfectæ. Sat eſt ad hujus doctrinæ pravitatem deprehendam ad memoriam revocare ſextam Lutheri aſſertionem ex damnatis in Bulla Leonis X., & auctorum Confeſſionis Auguſtanæ, aliorumque Novatorum portenta a Sacroſancto Tridentino Concilio proſcripta ſeſſ. 14. & cap. 4. & can. 5. ne interim commemorem Bajanos alios articulos, propoſitiones ab Alexandro VIII. confixas, ceteraſque in celeberrima conſtitutione *Unigenitus* condemnatas. Profluunt abſurda alia ex prædicto ſenſu Bajanæ propoſitionis, ex quo non tantum ſequitur omnia opera, quæ fiunt ab impio, in quo regnat vitioſa cupiditas, ab hac infici, & inquinari, ac proinde flagitioſa eſſe, quæ caritati viam ſternunt, & ad juſtitiam diſponunt, ſive quæ Spiritui ſancto moventi, & nondum inhabitanti, tribuenda eſſe docet Fides Catholica; verum etiam illinc infertur, a prædominante cupiditate proficiſci, ab ipſa labefactari, & intrinſecus corrumpi quælibet officia moralium virtutum, operumque naturalium, quæ natura impellente, aut ſuadente honeſtate, vel jure humanæ conſuetudinis perficiuntur. Nam cum hujus generis opera originem non habeant a caritate per Spiritum Sanctum diffuſa, juxta execrandum illud & nefarium principium duplicis amoris prædominantis, neceſſum eſt, ut a cupiditate, quæ omnia inficit, oriantur, & labefiant. Ita ergo graviſſimum flagitium cenſendum erit, ſi quis naturali patriæ amore commotus ei in ſummo rerum diſcrimine opituletur: ſi ex indito erga parentes affectu honorem ipſis cultumque exhibeat: ſi proximo periclitanti & egenti commiſeratione permotus porrigat dexteram, & eleemoſynam largiatur: ſi ad infamiam, mortemque vitandam obtemperet humanis legibus; dicam verbo, nihil erit, ubi laudabilis caritas deſit, non exitioſum, non immundum, non turpe. Hunc ergo ſenſum, quem dilucide exhibet propoſitio Baji octava ac trigeſima, ſi de caritate & cupiditate prædominantibus, inhærentibus, &, ne abjiciamus orationem ſcholaſticam, *habitualibus*, eadem propoſitio enuntietur, conſtat Lutheranæ, & Calvinianæ hæreſi proximum eſſe, perverſum, execrandum, atque omni cenſura digniſſimum, idque extra omnem controverſiam poſitum eſſe nemo non videt.

Art. Baji 35. & 40. Ex Pro. poſ. damnatis ab Alexan. VIII. 8. 9. 11. 12. 15. Ex Queſnellianis 44. 45. 55. &c.

III. Potest alius sensus Bajanæ propositioni trigesimæ octavæ subesse, si nempe *vitiosæ cupiditatis* nomine intelligatur cupiditas prava actualis, qualiscunque ea sit, aut vehemens, prædominans & lacertosa, aut non prædominans, tenuis ac remissa: & similiter nomine *caritatis laudabilis* caritas actualis, qualiscunque ea sit, sive perfecta sive imperfecta, aut cordi prædominans, aut non prædominans, seu justificans animam seu non justificans. Naturæ quippe lumine perspicuum est, cupiditatem & caritatem, quemadmodum qualitates omnes affectionesque animorum, si *habituales* ac permanentes non sint, esse *actuales* ac transeuntes; & si ad intensiorem perfectumque gradum non pertingant, inferioris gradus esse, remissioris, atque imperfecti. Accepta igitur propositione illa de vitiosa cupiditate actuali, & de laudabili caritate itidem actuali, præscindendo ab eo num dominentur, vel non dominentur hominum cordibus, adhuc sub eadem propositione cubare deprehenditur duplex sensus. Ac primus est obvius, & illinc suapte natura fluens, nimirum, Quidquid a rationali creatura peragitur, habet unum ex his duobus principiis, idest, aut vitiosam cupiditatem actualem, aut laudabilem caritatem pariter actualem, adeo ut vel unius, vel alterius causa omnino fieri debeat: sitque intrinsecus vitiatum, contaminatum, corruptum, atque spectata substantia sua, & principio sive causa influente, damnationi obnoxium, & Evangelica Lege prohibitum, quotiescunque a cupiditate procedit: vel contra sit intrinsecus rectum, & quoad substantiam, objectum, & principium influens, bonum & dignum remuneratione, quando proficiscitur a caritate. In hoc quoque sensu censuram promeretur propositio Bajana. Falsissimum est enim opera omnia, quæ non proveniunt a caritate actuali, sive perfecta, sive imperfecta, oriri ex cupiditate vitiosa, ac proinde ex causa, ac principio in eadem opera influente corrumpi & infici, ut intrinsecus, & quoad substantiam suam, quoad proximum, propriumque objectum sint prohibita, sint flagitiosa, sint damnabilia. Enimvero, ut paullo antea dicebam, nullus ratione præditus dicturus est unquam, ex cupiditate vitiosa derivare officia moralium virtutum, & peccata esse actus pietatis, quos in parentes exercent filiifamilias, subsidia, quæ indigentibus viri misericordes impendunt, excubias & vigilias civium pro incolumitate patriæ, studium honestatis, abominationem dedecoris ac turpitudinis, salutis curam, aliaque id genus; quæ non ex actuali cupiditate, sed ex naturæ instinctu, ex humanarum legum præscripto, & ex omnium gentium consuetudine, cum a fidelibus, tum etiam ab iis, qui fide sunt destituti, sæpenumero efficiuntur. Nunquid enim vitiosa cupiditas dicenda est lex naturæ a Deo singulorum cordibus inscripta? nunquid vitiosa cupiditas amor honestatis ac probitatis? nunquid vitiosa cupiditas jus & necessitudo gentium universarum? Abeat ergo quisquis propositionem 48. Baji hoc sensu indemnem pronuntiat, ut quod non derivat a laudabili caritate, oriatur a cupiditate vitiosa, & ab ista intrinsecus corrumpatur. Nos quidem hunc sensum rejicimus & damnamus, haud ignorantes commemorata opera, aliaque iis consimilia minime esse fœturam damnabilis cupiditatis, illisque adscribentes bonitatem, quæ ex rerum substantia, & operum humanorum objecto repetitur, asserentes quoque talis esse conditionis, ut quantum est in se, possint in Dei gloriam referri; quod nullatenus fieri posset, si turpia forent in semetipsis, atque cupiditatis vitio labefactata.

IV. At enim in eadem Baji propositione, quatenus enuntiatur de cupiditate, & de caritate actualibus, alius occurrit sensus, non obvius quidem & proprius, sed vi intrusus atque adscitus, nimirum, opera, quæ nullatenus fiunt ex caritate actuali, saltem imperfecta, per quam referantur in Deum rationalis creaturæ finem ultimum, non esse undique bona, idest, quamvis sint bona spectata operum substantia, & considerato principio, a quo manant, & fine proximo, sive objecto, in quod directe tendunt, bona tamen non esse attenta circumstantia ultimi finis. Propugnant autem Augustiniani omnes, non duo tantum recentiores, quos Anonymus contumeliose insectatur, omnes, inquam, ut loco opportuniori demonstrabitur, in hoc sensu propositionem, de qua loquimur, non fuisse proscriptam. Contendunt enim verissimam esse sententiam, quod omnia opera deliberata creaturæ rationalis in Deum saltem *virtualiter* sint referenda, & quæ ita non referuntur, non sint bona spectatis omnibus circumstantiis; sed licet non sint derivata a vitiosa cupiditate, licet non sint intrinsecus mala, licet spectato fine proximo, & principio, a quo eliciuntur, habeant honestatis decorem, ac sint laudabilia; considerata nihilominus ratione ultimi finis, qua carent, aliquid illis desit, cujus causa dici nequeant bona simpliciter, & juxta omnem rationem; hominem vero deliberate operantem, & opera sua in Deum minime referentem, veniali saltem culpa delinquere; quæ culpa ex defectu debitæ relationis exorta operantem quidem afficit, sed intrinsecus non vitiat opera, quibus externa duntaxat est, concomitans, & adventitia, prout suo loco explicabitur. Et quoniam in horum Theologorum sententia falsissimum est, illa opera, quæ non referuntur in Deum, esse intrinsecus mala & oriri ex vitiosa cupiditate, falsissimum quoque erit omnem amorem creaturæ rationalis esse vitiosam cupiditatem, sive caritatem laudabilem: ideoque hunc sensum postremo explicatum non obvium esse, sed insititium, & ab omni censura immunem, Augustiniani omnes affirmant. Interim ergo prætermissis, quæ ad relationem operum nostrorum pertinent, de qua re Dissertatione tertia pertractabimus accuratius, constat propositionem trigesimam octavam Baji duplicem sensum pati, unum si accipiatur de cupiditate habituali & prædominante, ac pariter de caritate habituali & prædominante: alterum vero si accipiatur de cupiditate actuali sive sit prædominans sive non, & de caritate item actuali sive sit prædominans, sive non: prout explicavi num. 2. & 3.

V. Vidimus hactenus, quotuplex sensus damnatæ Baji propositioni subesse queat. Videndum nunc, in quo sensu damnatam esse adversarius noster contendat. Ait ille, eamdem propositionem nequaquam damnatam esse in sensu caritatis & cupiditatis habitualis, sed in hoc sensu damnatam dici a novatoribus, ut effugiant latas in Bajum censuras, & impune, si fieri possit, Bajanum systema defensitent, atque instaurent. *Novatores* (inquit pag. 47.) *ut censuram illius propositionis effugiant, contendunt illam intelligi debere de caritate & cupiditate habituali, non autem de actuali, ideoque illius sensum esse, quod omnis amor habitualis sit aut vitiosa cupiditas, aut laudabilis caritas, ita, ut omnis actio hominis justi sit laudabilis, & omnis actio peccatoris vitiosa, quam fatentur in eo sensu jure merito fuisse damnatam.* Addit, quod si hæc propositio intelligeretur de caritate & cupiditate, non actuali, sed habituali, etiam post Bullam S. Pii fas esset asserere quod omnia infidelium opera sint peccata, quod liberum arbitrium non valeat nisi ad peccandum, quod homo non potuerit a Deo creari abque caritate actuali, & quod timor gehennæ, & spes retributionis, nisi pro fine ulteriori habeant Deum caritate amatum, sint peccata, ideoque sibi provinciam assumit demonstrandi, *propositionem 38. damnatam esse in sensu caritatis & cupiditatis, non habitualis, sed actualis, & ab ipsomet Bajo sic intellectam esse illam propositionem;* ut inquit proxima pagina 48. Aggreditur itaque Anonymus demonstrare, quod propositio Baji proscripta fuerit in sensu *caritatis, & cupiditatis actualis*, nulla distinctione facta inter caritatem & cupiditatem cordibus dominantem, & non dominantem, perfectam aut imperfectam, ita, ut in sensu Baji quæcunque non fiunt ex caritate actuali, fieri necessum sit ex actuali cupiditate, ideoque officia virtutum moralium, ut amor parentum, vel sublevatio pauperum, necnon actus aliarum virtutum, ut fides, spes, timor, cum non referuntur in Deum, sive non fiunt ex *motivo* caritatis, profluant ab actuali cupiditate, & ab hac intrinsecus corrumpantur, & labefiant. Quare ad evitandam notam Bajani erroris asserendum putat, quod operibus moraliter bonis, quæ non referuntur in Deum, & nullatenus profluunt ex caritate actuali, nulla desit rectitudo finis, nec spectata aliqua circumstantia reprehendi queant, propter ea quod in operibus moraliter bonis non requiratur ordo caritatis, sed tantummodo *amor congruentiæ, quam habet aliquis actus cum recta ratione*, prout idem Anonymus loquitur initio paginæ 62. & alibi quam frequenter. Qua in re, ut præmonui num. 4. sententiam eorum, qui ajunt omnia opera deliberata saltem virtute in Deum esse referenda, aut anonymus non assequitur, aut callide cum Bajano errore confundit: siquidem illius sententiæ patroni non affirmant illa opera fieri ex cupiditate, & intrinsecus esse peccata, sed ajunt deesse illis circumstantiam debiti finis ultimi, licet bona sint quoad substantiam, & considerato fine duntaxat proximo. Plurimum enim hæc duo inter se discrepant, quod non referter in Deum, procedit ex cupiditate, a qua intrinsecus vitiatur, atque corrumpitur; &, Quod non refertur in Deum, inspectis omnibus circumstantiis bonum non est, licet non procedat ex cupiditate, nec ab illa intrinsecus inficiatur, sed in se, & quantum attinet ad substantiam operis, sive ut loquitur Augustiniana Schola, ex officio & ex objecto sit bonum; quorum primum Bajanismum redolet; alterum Augustinianum est, & a Catholicis bene multis asseritur.

VI. Profecto Anonymus his non distinctis, ut postea Augustinenses Scriptores traducat tamquam Bajanorum errorum fuligine aspersos, velut indubitatum & inconcussum statuit, trigesimam octavam propositionem

tionem damnatam esse in sensu charitatis actualis, & cupiditatis item actualis, absque ulla limitatione, nec distinguens caritatem prædominantem ab imperfecta, nec dividens caritatem, quæ actum proprium exerit, ab ea caritate, quæ actus aliarum virtutum ordinat in Deum finem ultimum, satis multumque se consecuturum existimans, si Baji articulum in sensu caritatis, & cupiditatis actualis, universim, & quomodolibet condemnatum esse demonstret. In hanc rem plura ex eodem Bajo, atque ex Jansenio producit, quæ omnia postmodum discutientur. Ait quoque nonnullos quibusdam permutatis vocabulis ausos esse Bajanum sensum exprimere propositione illa, quæ inter damnatas ab Alexandro VIII. septima enumeratur: *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, caritas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.* Huc etiam refert propositionem 44. Quesnellianam: *Non sunt nisi duo amores, unde voluntiones & actiones nostræ nascuntur. Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*, addens propositiones alias de charitate & Dei amore enuntiatas, ideſt, usque ad 58. quas omnes an. 1713. damnavit Summus Pontifex Clemens XI. Ex his Anonymus non tantum persuasum habet, articulum 18. Baji a Summis Pontificibus damnatum esse in sensu cupiditatis & caritatis actualis, indiscriminatim & universim, ut explicatum est paullo supra: sed ulterius pagina 64. confidentissime pronuntiat *luce meridiana clarius* esse, quod eadem propositio nequaquam damnata sit in sensu *caritatis habitualis*, & *gratiæ sanctificantis*; hinc ulterius inferens tractores esse Apostolicarum Constitutionum, & Novatoribus addictos Theologos illos, qui ipsam propositionem, ceteraque consimiles tradunt proscriptas esse in sensu caritatis habitualis, cujus nomine Theologi passim intelligunt gratiam sanctificantem. *Sequitur quoque* (ait pag. 65.) *eos favere erroribus damnatis, qui propositionem 38. Baji, aliasque similes exponunt de caritate habituali, & sanctificante.*

Bajan. Rediv. pag. 62. & 63.

VII. Nos contra arbitramur, Michaelem Bajum pronuntiasse articulum illum trigesimum octavum in sensu caritatis sanctificantis, perfectæ, ac prædominantis hominum cordibus, quam caritatem Scholastici communiter appellant habitualem; quamquam præfatus articulus censuram promereatur etiam enuntiatus de caritate actuali, & in sensu, quem numero 3. explicavimus. Sensum vero a Bajano intentum esse hujusmodi, scilicet, quod omnis amor creaturæ rationalis sit aut caritas justificans & prædominans, aut prædominans vitiosa cupiditas, demonstraturi sumus testimoniis, auctoritate, & dilucidis, inconcussis & irrefragabilibus documentis præstantissimorum Theologorum, qui idem, quod nos asserimus, præmonstrarunt. Neque Theologos tantum, qui scripserunt ante Constitutionem *Unigenitus*, & ante censuram & condemnationem propositionum Paschasii Quesnellii, sed & alios, qui floruerunt post eamdem constitutionem, atque pro hujus æquitate pugnarunt, acueruntque stylum adversus quadragesimam quartam, & sequentes Quesnellianas, in medium proferemus, testes ac judices locupletissimos. Quod ubi præstiterimus; ubi evidentissime comprobaverimus sensum Baji, sensumque eorum, qui postea Bajo adhæserunt, esse de caritate perfecta, prædominante, justificante, sanctificante, non vero de caritate actuali universim accepta, & juxta interpretationem Anonymi; nonne, quæso, perspicuum erit ipsum in expositione propositionis, quæ eo judice totius Bajanismi est fundamentum & basis, miserrime cespitasse, atque in iis, quæ visa illi sunt clariora luce meridiana, penitus cæcutiisse? nonne perspicuum erit, universam *Redivivi Bajanismi* molem innixam esse basi ac fundamento labili, arenoso, ac fictitio? nonne demum perspicuum erit, Anonymum prorsus ignorare quid sit Bajanum systema, & in quo differat a sententia Augustinensium Theologorum, ideoque non esse virum idoneum ac talem, qui ignotum sibi Bajanismum in libris nostris, & in Operibus Fulgentii Bellelli revivisentem, ut autumat, detegere valeat, & ceteris commonstrare? Age ergo, videamus, num quod asseruimus, firmissimis & validissimis monumentis comprobetur.

§. II.

Quid affirmaverint de sensu propositionis 38. Auctores, qui scripserunt ante Constitutionem Unigenitus.

ITaque Auctores, qui ante constitutionem *Unigenitus*, & post condemnationem articulorum Baji ediderunt Theologica Commentaria, atque de iisdem articulis pertractarunt, constantissime, & absque ulla ambiguitate tradiderunt propositionem 38. ejusdem Baji damnatam fuisse in sensu caritatis sanctificantis, perfectæ, ac prædominantis hominum cordi; ideoque non eludunt Pontificias Constitutiones, nec adhærent Bajanis erroribus, qui asserunt eamdem propositionem in tali sensu fuisse proscriptam.

I. Audiatur Gabriel Vasquez celeberrimus S. J. Theologus, qui in 1. 2. disput. 190. num. 184. & sequentibus agens de propositione Baji 28. hæc mandat litteris: *Ille ergo prædictam propositionem* 28. Liberum arbitrium sine gratiæ adjutorio nonnisi ad peccandum valet, *quam habet lib. 2. de Justitia & virtutibus impiorum cap. 9. in eo sensu intellexit, quem expressit aperte eodem lib. c. 4. & 5. nempe per auxilium gratiæ intelligens auxilium inhabitantis Spiritus Sancti, quo referantur opera illa in Deum: nam propos. 59. & 60. notata in prædicta Bulla, non admittebat ille distinctionem gratiæ Spiritus Sancti nondum habitantis, qualem concedimus ante remissionem peccatorum, & inhabitantis, qualem dicimus esse post remissionem: in quo contradicebat Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4. ubi distinguitur duplex hoc auxilium gratiæ; atque ita asserebat illam operationem studiosam esse, quæ est ex fide per dilectionem operante. Quo circa c. illo quinto inquit in hæc verba:* Amor noster aut pravus est, & dicitur cupiditas, vel libido: aut rectus, & dicitur caritas, & dilectio; fides autem, quæ bene operatur, non per timorem aut cupiditatem, sed per dilectionem bene operatur. *Notatur autem hæc doctrina propositione 37. quæ est hujusmodi*: Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur; aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur: *Deinde notandum est, hoc auxilium gratiæ Spiritus Sancti habitantis secundum sententiam hujus authoris tale esse, ut faciat hominem justum & sanctum, qui bonis operibus sic sanctis mereatur vitam æternam, & justificetur, simul tamen in peccato, & reatu æternæ pœnæ permaneat, propter quod vitam æternam non consequatur: ita docuit libro illo 2. cap. 5. Quare opera Catechumenorum, etiam in statu peccati permanentium, putat esse meritoria vitæ æternæ, quæ doctrina notata est in prædicta Bulla in multis propositionibus: nam prop. 9. & 33. continetur doctrina illa de catechumenis. 9. est in hunc modum*: Dicit opera Catechumenorum, ut fidem, & pœnitentiam ante remissionem peccatorum factam esse vitæ æternæ meritoria, quam vitam non consequentur catechumeni, nisi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur. 33. *sic habet*: Catechumenus juste, recte, & sancte vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per caritatem ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in baptismi lavacro demum percipitur; *quibus adde 42. his verbis*: In omnibus pœnitentibus ante sacramentum absolutionis, etiam in catechumenis ante baptismum, est vera justificatio, separata tamen a remissione peccatorum. *Similis est propositio 66. quæ est hujusmodi*: Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram caritatem, & caritas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis. *In propositione vero 59. & 60. est illa doctrina de gratia Spiritus Sancti inhabitantis. Hinc ergo recte constat, quam diverso modo sentiant Augustinus, & alii ejus discipuli de divino adjutorio, cum dicunt liberum arbitrium sine adjutorio divinæ gratiæ nonnisi ad peccandum valere; loquitur enim de adjutorio Spiritus Sancti nondum habitantis nec justificantis actu animam, nec adhuc opera meritoria vitæ æternæ in anima efficientis, sed paulatim ad justificationem ipsam animam moventis: at hic author loquitur de auxilio gratiæ Spiritus Sancti animam inhabitantis, & actu justificantis per effectum caritatis: quo circa longe diversa sententia ipsius fuit a sententia Augustini.* En Vasquez, quem nemo jure dixerit novatorem, fautoremve Bajani erroris, tria his verbis præstat. Primum ait Bajum non admisisse nisi gratiam Spiritus Sancti inhabitantis & actu justificantis animam. Secundo affirmat de hac gratia Spiritus Sancti inhabitantis, actu justificantis animam, & reddentis hominem justum & sanctum, accipiendam esse damnatam propositionem 38. sive, ut ille inquit enumerationem aliam sequutus, 37. Tertio demonstrat non posse Bajum explicari de caritate actuali, sive gratia Spiritus Sancti moventis, & nondum inhabitantis, quoniam ex aliis ejusdem Baji damnatis articulis evidens est, non aliam gratiam ab illo admissam, præter illam, qua homo justificatur, & promeretur vitam æternam. Quo ergo jure Anonymus eos, qui hac ratione interpretantur Bajanum articulum 38. appellare audet Novatores, Baji discipulos, ac tales, qui studeant Pontificias Constitutiones fraudulenter eludere? Sed accipe ipsius Vasquesii testimonium aliud brevius ac peremptorium. *Ex Catholicis* (inquit eodem vol. in 1. 2. disput. 190. cap. 1.) *Michael Bajus Decanus Lovanienſis, cujus disput. 192. capite ult. meminimus, docuit, ut ibidem etiam diximus, nullum opus fieri bonum, nisi auxilio gratiæ Spiritus*

Vasq. pag. edit. Lugd. 336.

Vasquez ibid. pag. 361.

Sancti inhabitantis, & justificantis actu animam ex vera caritate erga Deum; omnemque amorem rationalis creaturæ ipse dividebat in vitiosam cupiditatem, qua mundus diligitur, & in laudabilem caritatem, qua diffusa in cordibus per Spiritum Sanctum Deus amatur.

II. Nec dicas hanc esse unius Vasquesii explicationem. Etenim Franciscus Suarez insignis alter Societatis Jesu Theologus lib. 1. de Gratia cap. 4. n. 5. quo in loco disputationem instituit, *Utrum ad omne opus morale sit necessaria gratia sanctificans?* explicata primum hæresi Joannis Hus damnata in concilio Constantiensi sess. 1. quod nempe omnia opera peccatoris sint peccata, *quia peccatum in operante manens omnia ejus opera maculat*, hæc ad rem nostram prosequitur: *Ad hanc sententiam accessit Michael Bajus: nam inter ejus articulos in Bulla Pii V. 35. est*, Omne quod agit peccator, aut servus peccati, peccatum est. *Item in propositione 50. & 51. dicit motus concupiscentiæ etiam involuntarios esse peccata; & in 74. addit, in homine etiam renato, & in peccatum lapso concupiscentiam esse peccatum: & in 75. ait, eumdem motum esse transgressionem legis*, Non concupisces. *Et in 40. addit*, Peccator in omnibus suis actibus servit dominanti cupiditati. *Quibus omnibus propositionibus recte perpensis, aperte constat Bajum in hoc puncto non differre ab hæreticis. Accedit altera ejus propositio:* Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis caritas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur. *Quæ videtur esse basis ejus doctrinæ totius: nam subsumendo, peccatorem non diligere Deum illa laudabili caritate, plane sequitur eum semper operari prava, quia omnis hominis operatio est ab aliquo amore: ergo in peccatore est a vitiosa cupiditate a Joanne reprehensa: ergo est peccatum.* Est ergo juxta Suaresium basis totius fere Bajanismi propositio 38. quatenus significat hominem destitutum gratia sanctificante in omnibus operibus suis peccare, quoniam cum non diligat Deum caritate illa laudabili, qua caret, quidquid operatur, operatur juxta Bajum ex vitiosa cupiditate. Puto anonymum, si cum eximio & percelebri Theologo Suarez hanc Bajani systematis basim constituisset, nunquam de conscribendo *Bajanismo Redivivo*, ne oleum operamque perderet, deliberaturum fuisse.

Suarez p. 237. edit. Moguntinæ.

III. Aloysius Turrianus haud obscurus alius Societatis Jesu Theologus in Tractatu, quem edidit contra errores Michaelis Baji, agit cap. 5. de propositionibus 35. *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est, & amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, & ex sola philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum injuria Crucis Christi defenditur a nonnullis Doctoribus.* Propos. 37. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur; aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.* Prop. 39. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.* Atque de his propositionibus tali ordine recensitis Turrianus judicium hoc profert: *Circa propositionem 35. notandum est, doctorem illum in priori parte asserere, omne quod agit peccator, vel servus peccati, esse peccatum: intelligi autem debet, quia, ut supra diximus, existimabat nihil posse hominem efficere sine auxilio gratiæ inhabitantis. Item quia putabat peccare etiam in actibus sine libertate, ut constat ex prop. 49. & aliis, de quibus infra. Unde ex doctrina hujus authoris plene sequitur, omnia opera infidelium esse peccata, quia sine fide nemo potest esse justus: ergo nec facere opus honestum ex mente ejus doctoris, quia ut supra vidimus, ex mente illius per quodlibet opus honestum justificatur, & ideo prior pars prædictæ propositionis 35. error est, vel errorem sapit in sensu authoris. Circa secundam partem ejus propositionis, P. Vasquez disp. 195. cap. 4. censet non damnari doctrinam, sed censuram, quam author tribuit contrariæ opinioni. Ego vero existimo etiam damnari doctrinam illius authoris, quia existimabat omnem amorem objecti honesti sanctificare, in quo errat aperte, ut constat ex supradictis. Ex dictis intelligitur sensus prop. 37. & 39.* Cum ergo propositio 37. sit illa eadem, de qua differimus, hæc Turriano judice damnata est in sensu *amoris justificantis*. Num & Turrianus novator est, & Bajani systematis propugnator? Scripserat idem Turrianus cap. 3. ejusdem Tract. pag. 623. *Ille author*, Bajus, *manifeste docuit quemlibet actum bonum sanctificare hominem, ut formam, & ideo erravit dicens omne auxilium gratiæ esse inhabitantis Spiritus Sancti, quæ doctrina est contra fidem*; & paucis interjectis monet diligenter esse notandum, *Istum Doctorem*, Bajum, *non assignare distinctionem auxilii gratiæ naturalis, vel supernaturalis in ordine ad justificationem, quia sensit omnem actum honestum esse formam sanctificantem*. Idem repetit cap. 6. pag. 631. ubi ait Bajum existimasse, *Quodlibet opus, quo impletur præceptum, esse sanctitatem formaliter*. Si ergo Bajus non admittebat aliam *gratiam præter sanctificantem*; non potuit propositionem 38. enuntiare nisi in sensu ejusdem gratiæ sanctificantis, quam solam admittebat.

Aloysius Turrianus edit. Lugd. pag. 630.

IV. Huc revocari possent gravissimi illi, & præclarissimi Theologi, qui diserte tradiderunt Bajum in ceteris damnatis articulis, qui juxta Anonymum ex trigesimo octavo tanquam ex totius Bajanismi pestilentissimo fonte promanant, & cum illo nectuntur, locutum fuisse de gratia, quæ facit hominem justum & rectum, eumque sanctitate exornat, & adoptivum Dei filium constituit. Etenim Guillelmus Estius celeberrimus Theologus, & Universitatis Duacensis Cancellarius, pertractans in 2. sent. dist. 25. §. 6. de illorum sententia, qui asserunt non potuisse primum hominem a Deo condi cum effræni concupiscentia, sibique objectans articulum Baji 26. respondet ex hujus condemnatione prædictam sententiam nihil pati incommodi. *Patet enim* (inquit) *sensus articuli manifeste ex doctrina auctoris in eo capite, cujus titulus, sive summarium ab auctore præmissum ibi est cum articulo. Nam ibi præcipue agit de Gratia, quæ absolute justum & rectum hominem constituit. Idem patet ex articulis 21. 23. 24. præcedentibus, qui cum isto sunt ejusdem argumenti, & loquuntur tantum de dono gratiæ adoptantis hominem in filium Dei. Denique id liquet ex declaratione facultatis Theologicæ Lovanienses in scripto quodam super dictis articulis edito.* Eadem scribit insignis Thomista Joannes Baptista Gonet disp. 1. de statu puræ nat. art. 3. ubi ingenue ait sententiam suam fulciri non posse latis adversum Bajum constitutionibus, quoniam is loquebatur *de gratia sanctificante, quæ absolute hominem justum & rectum constituit*. Et Ludovicus Bail in Opere inscripto *de Beneficio Crucis*, in quo exagitat, refutatque Bajanos omnes articulos, *Non concinit Bajus*, inquit, *doctrinæ communi in Ecclesia receptæ, quod peccator sæpe per gratias prævenientes, & ineffi-caces adhuc justificationis realis, moveatur, incitetur, ac adjuvetur ad disponendum se sanctificationi, per varios actus fidei, spei, & caritatis, & pœnitentiæ seu contritionis. Vult istos omnes pios motus produci & causari a gratia ipsa sanctificante, quæ vita est hominis. Quasi vero gratia sanctificans esset medium ad illos pios motus, qui etiam metaphorice dici possunt vita hominis saltem inchoata; & non potius illi motus pii essent medium ad gratiam sanctificantem acquirendam, ad quam sunt dispositiones juxta Concilium Tridentinum sess. 6. in Decreto de justif. cap. 6.* Profecto si juxta Bajum gratia sanctificans est medium ad omnes pios motus, si de gratia sanctificante agit Bajus in aliis articulis, quos anonymus damnatos esse fatetur in sensu propositionis trigesimæ octavæ; nemo adeo bardus est, adeo plumbei ac obtusi cerebri, qui non videat ipsam propositionem 38. damnatam fuisse in sensu *gratiæ sanctificantis*, quando standum sit tam insignium Theologorum judicio.

Estius tom. 1. edit. Parisi. pag. 301.

Gonet tom. 2. pag. 546. edit Parisiensis.

Bail edit. Parisi. pag. 184.

V. Ipse Joannes Lensæus, Balliolanus alias dictus in Expositione, ad quam Anonymus sæpe nos provocat, & quæ inserta est Operibus Bajanis edit. Colon. an. 1696. qua editione & ipse Anonymus utitur, sensum damnatum hujus propositionis 38. ita declarat: *Omnino hoc a vero abhorrere censemus, omnem creaturæ rationalis amorem aut vitiosam cupiditatem esse, qua mundus diligitur, quæque a D. Johanne prohibetur, aut laudabilem illam, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur, caritatem. Est indubie medius quidam amor, quem naturæ author inseruit, quo non modo beatitudinem omnes expetimus, sed & parentes, & amicos, liberos, & conjuges, & quacunque alia ratione proquinquos irreprehensibiliter, ipsaque natura impellente diligimus: qui etsi longe abest ab illius excellentia caritatis, quam Deus per Spiritum Sanctum in eorum, qui justificantur, corda diffundit; tamen neque ita degener est, ut vitiosa debeat cupiditas æstimari: hæc ex Deo non est, ille Deum habet authorem: hæc damnanda atque prohibita est, illum naturæ lex, omnisque honesti postulat ratio ac requirit; hanc caritas divinitus infusa destruit atque evertit, illum firmat ac perficit.* Perstringitur his verbis uterque sensus, quem nos damnatum dicimus in Bajo, scilicet, quod amor honestus & naturalis sit vitiosa cupiditas, lege prohibitus, & vitiatus intrinsecus; quoniam quidquid non derivat a laudabili caritate actuali, juxta Bajum procedit ex cupiditate damnanda & vitiosa: & quod idem amor naturalis aut honestus sit degener, & adeo turpis, ut æstimari debeat vitiosa cupiditas, quoniam abest ab excellentia illius caritatis, quæ diffunditur per Spiritum Sanctum in corde eorum, qui JUSTIFICANTUR. Locutus est ergo Bajus *de caritate justificante*, judice quoque Lensæo.

Lensæus inter Oper. Baji pag. 168. secundæ partis.

VI. Vincentius Contensonus in *Theologia mentis & cordis*, complurium Sacræ Facultatis Parisiensis approbationibus commendata, lib. VIII. differt. 2. cap. 1. ubi demonstrat necessitatem specialis gratiæ ad opera moralis ordinis, objiciens sibi propositionem illam Baji, *Liberum arbitrium sine gratia & Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet*, ad hunc modum objectionem istam elidit: *Sensus Baji est, liberum arbitrium indigere gratia sanctificante, & caritate, ut bene agat: quod evidenter ex aliis propositionibus in ea Bulla recensitis*

Contenson. tom. 5. pag. 195. edit. Lugd. an. 1685.

ſitis colligitur, quæ tales ſunt: Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt. *Cenſet ergo Bajus, requiri ad hoc ut opus non ſit peccatum, quod operans non ſit peccator, ſeu quod habeat gratiam ſanctificantem. Item*: Diſtinctio duplicis juſtitiæ, alterius, quæ ſit per Spiritum caritatis inhabitantem, alterius, quæ ſit ex inſpiratione Spiritus Sancti, ſimiliter rejicitur. *Vides ergo manifeſte Bajum nullum opus bonum eſſe voluiſſe, niſi a gratia ſanctificante profectum; ſiquidem juſtitiam ab inſpiratione Spiritus Sancti excitatam, ab inhabitante diſtinctam rejecit. Ergo cum dixit liberum arbitrium ſine gratia, & adjutorio Dei nihil valere, niſi ad peccandum, per gratiam, perque adjutorium juſtitiam inhabitantem, ſine qua nihil bonum poſſe vult, intellexit. Idem clariſſime colligitur ex altera ejuſdem Michaelis propoſitione, quæ ſic habet*: Illa diſtinctio duplicis vivificationis, alterius qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia & vitæ novæ propoſitum & inchoatio per Dei gratiam inſpiratur: alterius, qua vivificatur, qui vere juſtificatur, & palmes vivus in vite Chriſto efficitur, pariter commentitia eſt. *Si autem nulla ſit inchoatio vivificationis & pietatis, nullaque ſit gratia, quæ non vivificet formaliter, planum eſt ad evitandum in omni actione peccatum opus eſſe gratia ſanctificante, in qua vita formalis animæ ſita eſt. Qui Baji ſenſus non ſolum falſus, ſed hæreticus eſt: ex eo enim ſequitur, diſpoſitiones, quibus peccator ad juſtificationem manuducitur, eſſe peccata: quod in Novatoribus noſtris ſacra Tridentina Synodus damnavit. Ex his etiam patet reſponſio ad aliam propoſitionem, cum enim Bajus nullam aliam veram gratiam agnoſcat præter ſanctificantem ſeu habitualem, quidquid ex gratia ſanctificante non proficiſcitur, ex ſolis naturæ viribus ortum habere conſequenter credidit; unde cum dixit*: Cum Pelagio ſapit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex naturæ ſolius viribus ortum ducit, agnoſcit; *idem eſt, ac ſi dixiſſet: Cum Pelagio ſentit, qui ſine gratia ſanctificante bonum aliquod opus agnoſcit, qui utique ſenſus damnandus eſt*. Ex his autem verbis evidentiſſime conſtat Contenſonum in ea fuiſſe ſententia, quod Bajus ad quodcunque opus bonum neceſſariam duxerit caritatem habitualem, & gratiam ſanctificantem, & quod præter hanc gratiam nullam aliam agnoverit: quod vir doctus etiam collatione articulorum Baji commonſtrat. Atque in eadem ſententia ſunt Ludovicus Abelly Epiſcopus Ruthenenſis parte 1. *Medullæ Theologicæ* Tract. 7. ſect. 7. pag. edit. Pariſienſis 402. aliique permulti, quos diſſert. 3. commemorabo, pertractans de relatione operum in Deum. Ex his interim confirmatur aſſertio noſtra, ſcilicet Bajum in propoſitione 38. nomine *caritatis laudabilis* intellexiſſe caritatem *habitualem*, aut *juſtificantem*, quoniam ſolam caritatem juſtificantem agnovit.

Macedo in Scrinio, ſeu Mens Aug. pag. 250.

VII. Franciſcus Macedo Ordinis Minorum S. Franciſci in *Scrinio* primum affert, probatque verba Vaſqueſii ſupra a nobis producta: deinde oſtendit plures propoſitiones Baji in ſenſu gratiæ actualis defendi ab antiquis Societatis Jeſu Theologis, quoniam nullam tentationem vel minimam poſſe vinci ſine gratia, docuerunt Bellarminus tom. 3. Controv. lib. 3. cap. 7. Toletus apud Vaſquium in 1. 2. diſput. 190. cap. 18. & Vaſq. ibidem, & diſp. 189. cap. 13. Nullum opus morale fieri ſine gratia Chriſti docuerunt, teſte ipſo Vaſquio 1. 2. diſput. 190. Scholaſtici multi, eamdemque ſententiam tenet Schola ejuſdem Vaſquii Complutenſis, docuitque Compluti, & Matriti P. Didacus Alarcon Societatis Jeſu in Collegio Complutenſi Lector primarius: liberum arbitrium ſine adjutorio gratiæ actualis non valere niſi ad peccandum, teſte ipſo Vaſqueſio citata diſſert. 190. cap. 18. docuit Auguſtinus, & 22. canone Synodus Arauſicana, propugnavitque eamdem ſententiam Comment. in cap. 6. Joannis ſummus Theologus Maldonatus. Recenſitis demum propoſitionibus aliis Scholaſticorum, quas modo Mediſtæ cenſura inurunt, & Bajanas eſſe queruntur, librum hoc monito abſolvit: *Videant igitur nuperi quidam authores, qua ratione audeant proſcribere iſtas & hujuſmodi alias ſententias, eo tantum nomine quod in Bulla Pii, & Gregorii continentur, cum antiquis & claris Societatis auctoribus & heroibus, dum eas condemnant, errores impingant, dum contra cenſent, eorum judicio refragentur; & caveant ne dum aſperius eas ac ſimiles notant, Vaſquii unius e Jeſuiticæ Theologiæ ſummis principibus ſententia graviorem notam incurrant*. Hæc Macedo. At ne alio videamur divertere, & ex remotioribus apertas conſecutiones deducere; idem P. Macedo in *Cortina* pag. 247. ait: *In eo errore erat Bajus, ut nullum opus bonum admitteret ſine fide perfecta, & gratia ſanctificante; ut patet ex propoſit.* 59. *&* 60. *qui error alienus eſt a ſententia Auguſtini, qui tantum requirit fidem, & gratiam inchoatam, & ante juſtificationem bona opera admittit. Qua de re videndus Vaſquez, Suarez, & Smiſing. tract.* 3. *dub.* 6. *q.* 7. *num.* 376. Eadem ſcripſit Macedo tom. 2. Collat. 10. diff. 2. ſect. 3. pag. 378. ubi demonſtrat propoſitiones Baji, præſertim 27. *Liberum arbitrium ſine gratiæ adjutorio nonniſi ad peccandum valet*, nequaquam Auguſtini, ejuſque diſcipulorum, qui ad omnes actus, ut undique ſint boni, nec ſpectata aliqua, ſive intrinſeca, ſive extrinſeca circumſtantia pravi ac vitioſi, neceſſarium putant actualis gratiæ auxilium, communiſſimam ſententiam infringere: immo objectiones, quas adverſarii noſtri petunt ex damnatione articulorum Baji, inanes & contemnendas eſſe pronuntiat, hæc verba ſubjiciens pag. 597. *Quod objiciunt de Bajo, ut nobis terrorem incutiant, inane eſt. Jam illam formidinem ſupra removimus & in Cortina, & in Mente Innocentii, & in libro de Clavibus Petri, eamque objectionem occupaverat, & diluerat Vaſquez, Turrianus, Ripalda, & tota Schola Vaſquii Complutenſis. Quære hujuſmodi auctores in locis ſupra adductis: diſſlabis inanem nubeculam.* Advertendum eſt autem, ſolius P. Macedi teſtimonio Cardinalem Noriſium de Bajaniſmo accuſatum (non enim nos omnium primi hujuſmodi calumniis impetimur) a ſe avertiſſe ſuſpicionem erroris: ut conſtat ex *Parallelo propoſitionum damnatarum Michaelis Baji, & quarumdam ſimilium Henrici Noris*, refutato a doctiſſimo Cardinali ſub nomine Annibalis Ricci. Si autem ſolus Macedo ſufficere viſus eſt ad purgandum, vindicandumque Noriſium; quanto magis ad nos purgandos, vindicandoſque ſufficere debent & Macedo & Noriſius ipſe, atque Theologi alii præſtantiſſimi, quos hactenus commemoravimus?

Vide Noriſium Tom. 1. novæ ed. pag. 1343.

VIII. Dixi, *Noriſius ipſe*: nam is agens de textu A. poſtoli ad Rom. 14. *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, ac demonſtrans recte Auguſtinum de his verbis cum Juliano diſſerentem ea interpretatum fuiſſe de fide, a qua opera deliberata in ultimum finem dirigantur, objecta ſibi Bajana propoſitione, *Omnia opera infidelium ſunt peccata*, ad hunc modum reſpondet cap. 4. *Vindiciarum* §. 5. *Bajus nullos actus bonos ex Dei gratia ab infidelibus fieri volebat, eo quod gratiam tantum admittebat Spiritus Sancti inhabitantis in anima, quicum in infideli non inhabitet, hinc arbitrabatur, nullum in eodem divinæ gratiæ auxilium reperiri. Horum teſtem appello Gabrielem Vaſquez* 1. 2. *diſput.* 109. *cap.* 18. *num.* 134. *ubi de opinione Baji in libro de Juſtitia, & virtutibus impiorum cap.* 4. *&* 5. *hæc habet*: Non admittebat ille, *&c.* prout ſupra num. 1. præmiſſum eſt. In *Parallelo* idem, de quo paullo ſupra, ad propoſitionem Bajanam, *Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio nonniſi ad peccandum valet*, reponit quæ præcedenti numero exſcripſimus ex *Cortina*, & ex *Collationibus* Patris Macedi, eademque repetit in animadverſionibus ſuis ad *Prodromum Velitarem* Brunonis Neuſſer p. 1. cap. 6. quæ autographæ in noſtra Urbis Bibliotheca aſſervantur. Quare etiam Henricus Cardinalis Noriſius, quem etſi idem Bruno Neuſſer, ſeu quiſquis ſub ejus nomine latuit, Fulgentius Risbrochius, aliique hujus farinæ homines Baji & Janſenii diſcipulum appellaverunt, eruditi tamen omnes maximis laudibus proſequuntur, adeo, ut ſupremus Eccleſiæ Paſtor Benedictus XIV. ſapientia æque ac poteſtate Summus eum authenticis litteris nuncupaverit *Romanæ Eccleſiæ ſplendidiſſimum Lumen*; Noriſius, inquam, de ſola caritate, quæ *per Spiritum Sanctum inhabitantem* diffunditur, ſeu de ſola *caritate juſtificante*, proſcriptos Baji articulos explicavit. Vide & Lambertum Le Drou infra §. 5. nu. 6.

Prodromus Velit. Cod. Bibl. Angelicæ pagina 29.

Bened. XIV. in Brev. ad FF. Auguſtin. dato die 31. Martii an. 1745.

IX. Eadem, quæ Noriſius, tradiderunt Auguſtiniani omnes, qui negant dari veras, & ſecundum omnem circumſtantiam laudabiles virtutes, quæ non referantur in Deum: quorum auctorum permultos inferius commemorabo. Unum nunc proferam, qui in Ægidium Romanum edidit Commentarios, & quem ſequuntur ex noſtratibus univerſi, qui *Ægidiani* dicuntur. Erit is Fridericus Nicolaus Gavardi, qui tomo IV. Scholæ Ægidianæ qu. 5. de Virtutibus art. 7. ad 26. Bajanam propoſitionem num. 9. cum Noriſio reſpondet, *Hanc propoſitionem damnatam fuiſſe reſpective ad prop.* 35. Omne, quod agit peccator, &c. *multa enim opera agit peccator per gratiam actualem, quæ ſtat ſimul cum peccato, & excitat peccatorem, ac movet in Deum, ut docet Trident. ſeſſ.* 6. *cap.* 6. *quæ ſunt opera bona, non autem peccata. Bajus autem admiſit ſolam gratiam ſanctificantem, quæ nequit ſtare cum peccato*. Et quamvis hic auctor aliam tradat reſponſionem, ſcilicet, Bajum in libro de Vrtutibus impiorum 2. non loqui *de Gratia habituali*, ſed nihilo tamen minus rectiſſime fuiſſe damnatum, eo quod exiſtimaverit opera, quæ actuali caritate non referuntur in Deum, eſſe quoad ſubſtantiam, & intrinſecus mala, utpote a vitioſa cupiditate derivantia: hæc etiam reſponſio veriſſima eſt, ut præmonui §. 1. num. 3. immo utraque in eumdem plane ſcopum collineat; ſi animadvertatur eamdem eſſe apud Bajum *caritatem actualem*, & apud orthodoxos Theologos *caritatem juſtificantem, ſive habitualem & inhærentem*, eo quod ipſe Bajus rejecerit tamquam minus congruentem, & commentitiam duplicem juſtitiam, &

Noris Tom. 1. pag. 1054.

Gavardi tom. 4. pag. 74.

duplicem vivificationem, quarum una sit per excitationem Spiritus Sancti moventis, altera per Spiritum Sanctum cor inhabitantem, & in eo donum sanctitatis & justificationis diffundentem, prout constat ex damnatis articulis 60. & 61., atque proximo §. confirmabitur. Interim arbitror unicuique persuasum esse, permultis gravissimisque Theologis attestantibus, Bajum nullam aliam caritatem agnovisse præter *justificantem*, ideoque in sensu hujus charitatis enuntiasse propositionem 38. ceterasque huic cohærentes; nec absque summa vel injuria, vel falsitate potuisse scribi ab Anonymo, id esse commentum & subterfugium novatorum, qui Bajanis erroribus patrocinantur, & Constitutiones Apostolicas studeant eludere: quod evincere ac demonstrare hujus secundi paragraphi scopus erat.

§. III.

Prædictorum Auctorum de sensu Bajanæ propositionis XXXVIII. judicium æquissimum rectissimumque esse monstratur.

TAm expressis, planisque Auctorum, quos laudavimus, testimoniis, ex quibus manifestissimum est juxta eorum sententiam tricesimum octavum Baji articulum condemnatum fuisse in sensu caritatis justificantis, non video quid Anonymus respondere valeat, nisi singulos deceptos esse, & Bajani systematis supina ignorantia laborasse. Debuerat itaque, si hæc illi opinio insidet, asserere quod nos lectione clarissimorum Theologorum decepti fuimus, id quod ignorantiæ erroriscque nostri justissima foret excusatio: & non debebat litteris tradere, adhibitas a nobis interpretationes esse figmenta, subterfugia, dolos, fraudesque Novantium; quod an vere dictum sit, poterit unusquisque dijudicare. Sed nec illud existimandum est tot, ac tam celebres Scriptores fuisse deceptos; quum præter singularem illorum doctrinam, manifestæ quoque rationes suadeant judicium, quo pronuntiarunt prædictam propositionem 38. in sensu caritatis justificantis, sive gratiæ sanctificantis damnatam, æquissimum rectissimumque fuisse.

I. Id ergo hoc tertio paragrapho demonstraturus præmitto regulam, qua dignoscendus est sensus intentus ab assertoribus damnatorum articulorum, traditam a Francisco Suarez Prolegomeno 6. de Grat. cap. 2. num. 12. ubi data opera *de Censura Pii V. & Gregorii XIII.* pertractat. Ait ergo Suarefius, sensum ab assertoribus intentum, damnatumque Romanorum Pontificum Constitutionibus esse illum, *quem verba præseferunt*, sive qui ex ipsis verbis, quibus proscripti articuli constant, erui quamfacillime potest. *Nam* (audias ratiocinantem Suarium) *si sensus omnium illarum sententiarum ab assertore intentus non posset ex verbis ipsis a Pontificibus relatis satis colligi, sine Operum ejusdem assertoris integra lectione, & antecedentium, & consequentium nova collatione, consequenter etiam ipsa Pontificia decisio sine eadem diligentia certo colligi non posset, quia nesciremus quo sensu illas sententias damnaverit: at vero lectio illorum librorum nobis est prohibita, ut ex eodem Brevi, in quo talia scripta damnantur, constat: ergo intercluſa est nobis via, & ratio assequendi proprium sensum ab illo assertore intentum, & a Pontificibus damnatum, & sic non possemus ex illa Bulla firmum argumentum contra aliquam opinionem sumere, etiamsi in illis assertionibus, & proprio earum sensu contineri videatur. Consequens est absurdum, & gravitati tanti decreti repugnans.* Si autem ex verbis in Bulla relatis sensus alicujus propositionis adhuc videatur ambiguus; regulam aliam suppeditat Suarefius proximo num. 13. ut scilicet abjiciamus novam, inusitatam, & ab Ecclesia Catholica rejectam doctrinam: & si hoc etiam nos de sensu damnato certiores non reddat, sed duo sensus occurrant, quorum *unus* (vellem, ut hæc Suarii verba attentis auribus ab Anonymo exciperentur) *cohæret cum aliis assertionibus in eadem Bulla damnatis, non vero alter; tunc clarum etiam est, propositionem in priori sensu assertam fuisse, ac proinde in eodem damnari. Et hanc conjecturam maxime spectandam, & præ oculis habendam moneo. Existimo enim tanta consideratione, & æquitate assertiones has ex libris illius doctoris decerptas fuisse, ut si non tantum singulæ, sed omnes etiam simul spectentur, facile possit intelligi sensus, in quo ab auctore asserta fuerunt.* Præclarum sane monitum, cui si viri Theologi obtemperarent, damnatorum scriptorum opera spernerent atque eliminarent, nullam Apologeticis eorum libris ad errores obtegendos conscriptis præstarent fidem, Ecclesiasticis definitionibus unanimi consensione, ac debita reverentia subscriberent, nec se mutuis calumniis dicteriisque proscinderent. Hac itaque regula usurus ex ipsis verbis tricesimæ octavæ propositionis, atque ex hujus cum aliis una damnatis collatione, sensum ab auctore intentum dilucide planeque explicabo.

Suarez tom. 1. de Gratia edit. Mog. pag. 179.

Suarez ibidem pag. 180.

II. Ac principio, si verba quibus propositio 38. compacta est, expendamus: quis ignorat, vocabulum *caritatis* communi, usitatissima planissimaque apud Theologos significatione, degente inter homines Bajo, designasse, ac nostra etiam ætate commonstrare gratiam sanctificantem, ac supernaturale donum Spiritus Sancti in cordibus justorum inhabitantis? Theologorum columen Sanctus Thomas 2. 2. qu. 23. art. 1. docet, *caritatem esse singularem amicitiam hominis cum Deo, per quam vocamur a Deo in societatem Filii ejus*; ac proximo articulo 2. demonstrat *caritatem esse habitum, quo homo inclinatur in actus omnium virtutum propter Deum*, appellatque eo loci charitatem *habitualem formam superadditam potentiæ naturali*, plura differens de pervulgata illa propositione Magistri lib. 1. sent. dist. 17. *Caritas est Spiritus Sanctus mentem inhabitans*. Atque in hac significatione acceptum fuisse ætate Baji vocabulum *caritatis*, apparet ex ipsa *Explicatione* Joannis Lansæi edita adversus Bajanos articulos cap. XI. ubi perstringens propositiones ad caritatem spectantes, *Falsum est*, inquit, *hominem in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis existentem posse veram habere caritatem. Etsi enim ante suam justificationem insit in pœnitente amor aliquis justitiæ, eaque dilectio, qua Deum diligere incipit tanquam totius justitiæ fontem; is tamen amor, qui caritatis naturam assequitur, seu vera illa & sincera caritas, quæ est ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, cum æternæ damnationis reatu non consistit, semperque illa caritas, quæ legis est plenitudo, quaque Deus ex toto corde, totaque anima diligitur, cum peccatorum est remissione conjuncta.* Apparet ex Petro Cunero, qui in libro adversus Bajum conscripto, ait, *Caritas, quia omnes in ea divinam concipiunt amicitiam, non sustinent communes fidelium aures, quod sine culpæ remissione in aliquo inveniatur*: atque in Tractatu *de Caritate* art. 1. *Verissimum est* (inquit) *quod D. Thomas scriptum reliquit, caritatem esse amicitiam Dei quæ super eam societatem, & communicationem fundatur, qua Deus nobis pater, & summum bonum est, & nos populus, & filii ipsius, templum Spiritus ejus, & membra Filii sui.* Apparet demum ex ipso Bajo, qui in Brevibus adnotationibus ad *Censuram Parisiensium* hæc scribit: *Scio Scholæ commune esse documentum, caritatem esse habitum omni cupiditate, & omni tentatione fortiorem, cui addi quidpiam possit, sed nihil detrahi, nisi per peccatum mortale in totum pereat, per cujus subitam & insensibilem infusionem formaliter fiat omnium peccatorum remissio, & sine cujus infusione fieri non possit.* Et in publica prælectione, quam habuit Lovanii anno 1570. hortantibus Martino Rythovio Episcopo Iprensi, Francisco Sonnio Silveducendi, Cornelio Jansenio Gandavensi, ut a se quamlibet infamiæ notam dispelleret, palam & coram omnibus confessus est, se minime distinxisse *inter bonam voluntatem, & charitatem, secundum consuetum modum loquendi Scholæ. Caritas enim a Schola non aliter accipitur, quam quomodo Paulus accipit* 1. *ad Timoth.* 1. Charitas de corde puro, &c. *hoc est, de caritate perfecta, quæ est actus, vel habitus, quem operatur Spiritus inhabitans & propitius. Et talis caritas non est eis, qui nondum habent remissionem peccatorum.* Quare *si caritatis* nomine, spectata communi & obvia significatione, intelligitur apud Theologos Spiritus Sanctus inhabitans, amicitia & societas Dei atque donum illud præstantissimum, quo reddimur filii Dei, ac templum Spiritus Sancti, & cujus infusione fit peccatorum remissio: si hoc sensu ætate Baji omnes Scholastici usurpabant hoc vocabulum *caritatis*, idque Bajus ipse rotundis verbis fatetur; nonne perspicuum est, *caritatem laudabilem* in tricesima octava propositione juxta sensum, *quem verba præseferunt*, esse Spiritum Sanctum inhabitantem, amicitiam & societatem Dei, & donum gratiæ sanctificantis, per quam constituimur Dei filii, membra Christi ac templum Spiritus ejus, & qua fit peccatorum remissio?

S. Thomas 2. 2. pag. 160. & 162. edit. Ven. anni 1593.

Jo. Lansæus pag. 176. p. 2. Oper. Baji.

Petrus Cunerus apud Le Drou de contrit. pag. 365. & in Tract. de gravissimis controversiis, pag. 250.

Bajus p. 2. pagina 21.

Eadem p. 2. pag. 143.

III. At demus adversario, sensum ab auctore intentum ex verbis, quibus damnatus articulus constat, obscurum adhuc esse & ambiguum, ita ut debeamus illum juxta monita & regulas Suarii ex aliis Bajanis propositionibus expiscari. Certissimum est, Bajum in ea sententia extitisse, quod homo per quodlibet opus bonum justificetur, ac mereatur vitam æternam. Ait enim propositione 18. *Opera Catechumenorum, ut fidem, & pœnitentiam, ante remissionem peccatorum facta, esse vitæ æternæ merita:* prop. 44. *Operibus plerisque, quæ a fidelibus fiunt, ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientiæ, & veræ legis justitiæ, non tamen iis obtinet incrementa virtutum:* & cohærenter docuit fieri non posse, ut aliquod Dei præceptum servetur quoad solam substantiam operis, & non habeatur meritum vitæ æternæ,

næ, adeo, ut nec opus aliquod moraliter bonum fieri queat, quo non promereamur æternum regnum; rejecitque propterea Bajus propositione 58. celebrem illam doctorum distinctionem, qua tradunt, *divinæ legis mandata bifariam impleri; altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quod valeant operantem perducere ad regnum æternum, hoc est, ad modum meritorium.* Atque hinc factum est, ut cum Bajus ex una parte assereret quolibet bono opere hominem justificari, & promereri regnum æternum; ex alia autem parte minime negaret reatum peccati tolli per Sacramenta, & per ministerium Sacerdotale, ut inquit propositione 54. & 55. hæc paradoxa deglutire & devorare coactus fuerit, quod vera *justificatio* persistat *sine remissione peccatorum:* atque id revera affirmavit propositionibus 31. 32. 33. & 43. Jam vero, si per quodlibet opus bonum homo justificatur, & promeretur vitam æternam, nec fieri potest aliquod opus bonum *quoad substantiam*, quod simul ad regnum cælorum non valeat operantem perducere, juxta sensum propositionum 18. 44. & 58. justificatio autem, ut Catholica fides docet, fit per Spiritum inhabitantem, ac meritum vitæ æternæ gratiam sanctificantem supponit; legitima & necessaria consecutione deducitur, Bajum ad quodlibet opus bonum necessariam existimasse gratiam habitualem, gratiam sanctificantem, gratiam Spiritus Sancti inhabitantis; seu gratiam & caritatem actualem quidem, sed quæ juxta Bajum & justificet, & conferat meritum vitæ æternæ, habeatque proinde dotes illas, quas communi Theologorum sententia habet gratia sanctificans, gratia inhærens, gratia inhabitantis Spiritus Sancti.

IV. Ex aliis Baji propositionibus idem infertur. Propositio enim 16. ad hunc modum se habet, *Non est vera legis obedientia, quæ fit sine caritate:* propositio 35. ita sonat, *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*; & propositio 40. est hujusmodi, *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.* Quantum enim attinet ad propositionem 16. in ea vocabulum *caritatis* aperte sumitur pro ea caritate, quæ justificat & sanctificat, quoniam ex propositione 44. juxta Bajum omnis obedientia legis est *vera justitia*, & operibus, quibus Dei mandatis obtemperant, fideles *justificantur*; & juxta propositionem 58. nequit observari præceptum divinum *quoad operis substantiam*, quin simul servetur *quoad meritum regni æterni*: ideoque in sensu Baji illa *caritas*, in qua consistit legis obedientia, est caritas hominem justificans & rectum faciens, eique conferens meritum æternæ vitæ. Quantum vero attinet ad propositiones 36. & 40. aperte in his affirmatur, nullum actum amoris innoxii, nullum opus intrinsecus bonum, nullum actum, qui non sit corruptus a vitiosa cupiditate, fieri ab homine nondum justificato; ideoque cujuslibet operis, quod rectum sit quoad substantiam, & non vitietur a noxia cupiditate, unicum juxta Bajum datur principium, nempe sanctificans gratia, amor justificans, & caritas, qua sumus filii Dei, membra Christi, ac templum Spiritus Sancti. Nec quemlibet movere debet, quod Bajus in sua *Apologia* fateatur has duas propositiones hæreticas esse, & queratur sibi per calumniam illas affingi. Nam primum Apologia ista Bajus obtinere nequaquam potuit, ut damnatio præcedentium propositionum, unde hæ duæ manifeste derivant, revocaretur. Deinde in sensu Baji datur justificatio *sine remissione peccatorum*, ut dictum est paullo supra; ideoque bene hæc duo in sensu ejusdem Baji consistunt, quod homo semper deserviat cupiditati, semperque peccet ante justificationem, & ante meritum vitæ æternæ, & tamen non semper peccet ante remissionem peccatorum. Ac tandem, cujuscumque sint duæ illæ propositiones, sive Baji, sive alterius auctoris, sponte ex doctrina ejusdem Baji derivant: semel enim dato, quod non detur aliquod opus bonum quoad substantiam, quod simul non habeat meritum vitæ æternæ, ut legitur propositione 58., planissime sequitur, quod ubi non est *gratia sanctificans*, sine qua meritum vitæ æternæ nequit haberi, nec etiam reperiri possit aliquod opus, quod sit bonum *quoad substantiam*, & intrinsecus non sit *a dominante cupiditate* corruptum. Quapropter duæ illæ propositiones 35. & 40. sive Baji sint, sive alterius, eumdem pravum sensum præseferunt, & jure meritoque iisdem Apostolicis Constitutionibus insertæ fuerunt ac reprobatæ.

Vid. Apolog. Baji tom. 2. Oper. ejus pag. 99. & 101.

V. Luculentius dignosci potest intentus a Bajo sensus ex propositione 60. *Similiter & illa distinctio duplicis justitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum caritatis inhabitantem; alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo caritatem diffundentis, qua divinæ legis justificatio impleatur, odiosissime, & pertinacissime rejicitur*, sive ut Vasquez, Turrianus, aliique legunt, *ut odiosissima, & pertinacissima rejicitur*. Prava & in hoc articulo enunciata doctrina non solum adversatur Tridentinæ Synodi definienti sess. 14. cap. 4. aliud esse impulsum Spiritus Sancti nondum quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens excitatus & adjutus viam sibi ad justitiam parat, seu ad justificationem disponitur; aliud vero ipsam justitiam, seu justificationem, quæ per Spiritum Sanctum inhabitantem, & in cordibus eorum, qui justificantur, diffusam caritatem efficitur; verum etiam ostendit nullam in sensu Baji dari caritatem, nisi sanctificantem, sive Spiritus inhabitantis. Sublata quippe præcedenti distinctione, necessum est, ut ubicunque est divina inspiratio, ubicunque est excitatio cordis ad pœnitentiam, quæ inspiratio & excitatio est a Spiritu Sancto movente, & quæ est inchoatio quædam & conceptio justitiæ, sit ibidem Spiritus caritatis inhabitans, sanctitas & vera justitia. Itaque a Bajo distinctione illa duplicis justitiæ rejecta, debebat necessaria consecutione actibus singulis, quibus impius excitus & adjutus gratia Spiritus Sancti moventis, aut fidem, aut spem, aut timorem, aut imperfectam dilectionem exercendo viam sibi parat ad justitiam, alligari, & individuo consortio perfecta caritas, vera justitia, & Spiritus Sanctus inhabitans copulari; alioqui distinctionem, de qua supra, minime rejecisset: ideoque in sensu Baji quilibet actus bonus, & ad perfectam justitiam disponens, sive sit actus fidei, sive actus spei, sive actus timoris, sive detestatio peccati, sive dilectio Dei tamquam fontis omnis justitiæ, sive quilibet alius motus liberi arbitrii excitatus a Spiritu Sancto movente, erit laudabilis caritas diffusa per Spiritum Sanctum inhabitantem, sanctificans animam, & habens meritum vitæ æternæ. Atque huic rationi innixi Vasquius, Turrianus, Macedo, Norisius, & alii asseruerunt Bajum admisisse solam gratiam sanctificantem, ut constat ex illorum verbis productis paragrapho præcedenti.

Vide Turrian. pag. 642.

VI. Huc spectat proxima propositio 61. *Denique & illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propositum & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, qua vivificatur, qui vere justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur, commentitia judicatur, & scripturis minime congruens.* Hujus enim propositionis idem, ac præcedentis est sensus. Enim vero hac distinctione duplicis vivificationis semota, consequens est, peccatori, statim ac inspiratur illi detestatio peccati, & propositum & inchoatio novæ vitæ, statim ac incipit vivificari sese ad gratiam sanctificantem præparando, inesse illam vivificationem, qua vere justificetur, & qua factus vivus palmes in Christo, manens in ipso, qui ait, *Ego sum vitis vera; ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*, sit Dei filius, fructumque bonorum operum, ac meritum gloriæ referat. Contra qui nondum justificatus est, & nondum est vivus palmes in Christo, ita juxta sensum hujus propositionis præcisus erit, ita omni vivificatione destitutus, ita mortuus, ut per pœnitentiam & per vitæ novæ propositum & inchoationem nullatenus vivificari credatur. Quapropter in sensu Baji cujuscunque actus boni & quoad substantiam, & quoad meritum vitæ æternæ unum duntaxat principium admittitur, ideest, *caritas*, qua homo *justificatur*, & qua fit *vivus palmes* in vite Christo: sublato autem hoc principio caritatis justificantis, & perfecte vivificantis, omnia opera quoad substantiam & intrinsecus mala erunt, quidquid agit peccator, peccatum erit, & ipse peccator in omnibus suis actibus serviet dominanti cupiditati, nullaque erit vera legis obedientia absque caritate, quæ diffunditur per Spiritum Sanctum inhabitantem. Hinc vero magis, magisque comprobatur, & frustra Bajum in sua *Apologia* conquestum fuisse, quod sibi per calumniam affictæ sint propositiones 35. & 40. de quibus diximus num. 4., cum sint doctrinæ ipsius Baji evidentissima consectaria; & bene sapienterque Auctores antecedenti paragrapho laudatos tradidisse, quod Bajus nullam gratiam agnoverit, tanquam principium bonorum operum, *præter gratiam sanctificantem*, & præter caritatem, quæ per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus eorum, qui *justificantur*. Itaque hoc præclarissimi Theologi docuerunt, & rectissime docuerunt: quod hoc docuerint, demonstratum est supra eorum testimoniis locupletissimis; quod vero rectissime hoc docuerint, adhibita Suarii regula, collatisque invicem pluribus Bajanis articulis, demonstratum est modo.

Joan. 15. 1. 5.

§. IV.

§. IV.

Oſtenditur etiam Auctores, qui ſcripſerunt poſt Conſtitutionem Unigenitus, *aſſerere articulum Baji XXXVIII. in ſenſu caritatis habitualis & gratiæ ſanctificantis fuiſſe proſcriptum.*

PRogreditur nunc Diſſertatio ad expendendum quo ſenſu damnatum articulum Baji trigeſimum octavum cenſuerint Auctores illi, qui floruerunt poſt celeberrimam Conſtitutionem *Unigenitus*, qua Summus Pontifex Clemens felicis recordationis Papa XI. confixit Queſnellianas propoſitiones, in quibus Bajani comprehenduntur errores. Anonymus *Bajaniſmi Redivivi* Auctor, ut præmonui §. 1. n. 6. ſcribit, eumdem errorem, qui continetur in articulo illo Baji, renovatum fuiſſe a Queſnellio in damnata propoſitione 44. quæ eſt hujuſmodi: *Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones & actiones omnes noſtræ naſcuntur. Amor Dei qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor quo nos ipſos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum ſit malus;* additque Anonymus, quod eumdem errorem ſapiunt & præferunt proximæ propoſitiones Queſnellianæ, 45. *Amore Dei in corde peccatoris non amplius regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas*, & ſubſequentes aliæ uſque ad octavam & quinquageſimam. Vide *Bajaniſmum Redivivum* pag. 63. Æquum eſt igitur, ut mentem inſignium Scriptorum circa has propoſitiones Queſnellii ſedulo inveſtigemus.

I. Occurrit primo Inſtructio Paſtoralis, cui anno 1714. Nonis Februarii ſubſcripſere quadraginta duo Epiſcopi in Urbe Pariſienſi congregati, & quam poſtea ſexaginta alii Antiſtites adprobarunt, ita, ut non unius tantum, vel alterius Doctoris, ſed totius Cleri Gallicani, aut ſaltem dignioris partis ejuſdem Cleri doctrinam, Inſtructio illa dicenda ſit continere. Præfert ipſa hunc titulum: *Inſtruction Paſtorale approuvée par l' aſſemblée de Meſſeigneurs les Cardinaux, Archevêques, & Evêques; & propoſée à Meſſeigneurs les Prélats abſens*; ac typis edita eſt eodem anno 1714. In hac itaque Inſtitutione de propoſitionibus Queſnellii ſpectantibus ad caritatem, hæc traduntur: „ L' Egliſe inſtruite par l' Apôtre nous enſeigne que les mouvemens de foi, de crainte, & d' eſperance, par les quels Dieu prepare à la juſtification, ne ſont point des pechez: que bien loin de *rendre l' homme hypocrite & plus criminel*, ils ſont bons & utiles, (a) *qu' ils ſont des dons de Dieu & des mouvemens du Saint Eſprit, qui excite l' ame, quoiqu' il n' y habite pas encore*: & que les actions, qui ſont faites par ces motifs, non ſeulement ne ſont pas mauvaiſes, mais qu' elles ſont des diſpoſitions à la juſtification: c' eſt ce que le Concile de Trente a declaré. Queſnellius itaqua arbitrabatur, motus fidei, timoris, ac ſpei, quibus ad Juſtificationem diſponimur, eſſe intrinſecus peccata, ideoque nullum ante juſtificationem, & gratiam ſanctificantem agnoſcebat bonum opus, quod a noxia cupiditate non ſit vitiatum; id quod Galliarum Antiſtites dilucide explanant. Sequitur enim Paſtoralis Inſtructio: „ Les propoſitions condamnées renferment une doctrine toute contraire. Nous y voions, *qu' il n' y a que deux amours; la charité & la cupidité*: toutes les actions ont leur ſource dans l' un ou dans l' autre de ces amours. Tandis qu' on eſt ſous le regne de la cupidité c' eſt a dire avant la juſtification & la reconciliation, toutes les actions ſont corrompues; il n' y a ni *foi, ni eſperance en Dieu ni Religion, où il n' y a point de charité*; il n' y a nulle bonne œuvre, tout, juſqu' à *la priere*, eſt peché & *hypocriſie*. Les actions chrétiennes ne ſont point faites *chrétiennement*, ſi elles ne ſont faites par le motif de la charité. „ En aperte docent rurſus Gallicani Epiſcopi traditam a Queſnellio doctrinam omnino Tridentinæ Synodo oppoſitam, nempe quod ante juſtificationem & reconciliationem, quæ fit per caritatem habitualem, ſeu diffuſam in cordibus eorum, qui juſtificantur, per Spiritum Sanctum inhabitantem, quidquid peccator agit peccatum eſt, eumque magis maculat, & hypocritam reddit; propterea quod ante juſtificationem regnet vitioſa cupiditas, actus omnes corrumpens, nec ſinens aliquid fieri niſi ſui cauſa, impulſu ſcilicet ejuſdem cupiditatis. Deſideras ne clariora? Paucis interjectis in illa Inſtitutione hæc leguntur: „ En vain, mes chers Freres, on s' efforce d' autoriſer la doctrine contraire par les textes de Saint Auguſtin, & des autres Peres: il nous ſuffiroit, pour faire voir qu' on abuſe de ces autoritez, de marquer que les heretiques des derniers tems, ainſi que les defenſeurs de Bajus, les ont alleguez cent fois pour ſoûtenir leurs erreurs; mais que l' Egliſe, qui connoit mieux le ſens, & la doctrine de Saint Auguſtin, & des autres Patres, que les heretiques, qui les lui oppoſent, elle qui eſt l' interprete infaillible de l' Ecriture & de la Tradition, n' a pas laiſſe de proſcrire dans le Concile de Trente les erreurs de Luther & de Calvin, & dans la Bulle du Saint Pape Pie V. les propoſitions de Bajus, ſemblables à celles, qui ſont condamnées. A ces raiſons ſi deciſives on peut ajouter, que nous trouvons dans Saint Auguſtin même des differences & des principes, qui rendent les textes, qu' on objecte, auſſi conformés à le doctrine de l' Egliſe, que les propoſitions cenſurées y ſont contraires. Le Saint Docteur reconnoît en effet deux amours, mais ſous le nom d' amour de Dieu, il renferme non ſeulement la charité habituelle ou dominante, mais la charité actuelle, & encore toute bone volonté, & tout amour du bien: il rapporte à cette charité toutes les diſpoſitions, qui preparent le pecheur à la juſtification, il reconnoit, qu' il y a de bons mouvemens dans ceux même qui n' ont point la charité, & qui ſont ſous le regne de la cupidité. „ Productis deinde ad hoc demonſtrandum duobus Auguſtini textibus, quorum uterque depromptus eſt ex libro de Spiritu & litt. cap. 27. ad hunc modum concludunt: „ Eſt ce là le langage des propoſitions cenſurées? Elles donnent à entendre au contraire, qu' il n' y a point de veritable charite, que la charité habituelle ou dominante. Les diſpoſitions qui preparent la voye à la charité, loin de pouvoir être rapportées à la charité, ſont de vrais pechez; parce que ſans la charité, & ſous le regné de la cupidité, *toutes* nos *actions* ſont corrompues, venant de la cupidité, qui regne dans le cœur, des que la charité n' y domine pas. „ Itaque juxta ſententiam doctiſſimorum horum Epiſcoporum propoſitiones Baji Queſnellianis ſimillimæ enuntiant, nullam aliam in ſenſu & Baji & Queſnellii dari charitatem præter habitualem & dominantem, omniaque opera peccatorum, qui hujuſmodi caritate ſunt deſtituti, atque ante juſtificationem & reconciliationem ſubjiciuntur cupiditati prædominanti, fieri ex cupiditate, a qua intrinſecus corrumpantur; adeo, ut omnia opera juſtificationem præcedentia, illa etiam, quæ ſunt a Spiritu Sancto movente, & quibus ad gratiam ſanctificantem diſponimur, reddant hominem magis peccatorem & hypocritam, ut commenti ſunt Lutherus, Calvinus, horumque gregarii a ſacroſancta Tridentina Synodo condemnati. Damnata eſt ergo propoſitio Baji 38. *in ſenſu caritatis habitualis*; quatenus ſenſum reddit, duo tantum eſſe actionum noſtrarum principia; caritatem habitualem & dominantem, & cupiditatem pariter habitualem & dominantem; cum juxta principia Auguſtini, cujus auctoritate hæretici, & novatores abuti ſolent, duo quidem ſint actionum humanarum principia, ſed ea ſint cupiditas actualis, & caritas actualis, ampliori ſenſu accepta pro qualibet cupiditate boni, ſeu bona voluntate.

II. Non parvi momenti æſtimanda eſt Inſtructio illa Paſtoralis, quam doctiſſimi Præſules, præſertim vero Armandus Gaſto S. R. Eccleſiæ Cardinalis de Rohan, ſummo ſtudio ac diligentia ediderunt, expreſſis damnatis erroribus, ſcholarumque opinionibus caute prudenterque relictis, ne in definitionibus fidei aditus contentioſis diſputationibus aperiretur. Id quadraginta Epiſcopi ſignificarunt reliquis Archiepiſcopis & Epiſcopis Regni Galliarum in Epiſtola data Pariſiis eodem anno 1714. die 10. Martii, necnon in altera data nonis Februarii ad Sanctiſſimum Dominum Clementem XI. in qua legitur: „ Cette inſtruction Paſtorale ſera donc comme une eſpece de rempart & de digue oppoſée aux interpretations fauſſes & contraires au veritable ſens de la Conſtitution, par les quelles des hommes pervers s' efforcent en vain de fruſtrer l' Egliſe des grands & heureux fruits; qu' elle eſpere avec confiance, & qu' elle commence deja a recueillir de ce decret Apoſtolique. „ Quanti etiam Summus Pontifex Armandum Cardinalem, ceteroſque illos Epiſcopos in Comitiis Pariſienſibus congregatos, eorumque ſtudium ac ſollicitudinem fecerit, colligi poteſt ex Apoſtolicis litteris datis eodem anno die 7. Martii.

III. Extat Pariſienſibus typis procuſum Opus, cui titulus „ Explications ſur la Bulle *Unigenitus* „ ex quibus explicationibus facile ſenſus Baji & Queſnellii eruere poſſumus: nam cum a Duce Aurelianenſi, qui eo temporis Galliarum regna regebat, exhibitæ fuiſſent centum Epiſcopis, hi illas probarunt, & doctrinæ Eccleſiæ uniformes omnino eſſe cenſuerunt, commendantes ſimul expoſitionem damnatarum theſium, quæ prædicta Inſtructione Paſtorali comprehenditur. Memorati enim centum Epiſcopi de illis Explicationibus hæc Duci Aurelianenſis reſponderunt, „ qu' elles ne renferment rien, qui ne ſoit conforme à la doctrine de l' Egliſe, à celle de la Bulle, & à celle de l'Expoſition ſimple & naturelle, que les Evê-

Vide Inſtruct. Paſtor. pag. 40. & ſeqq. ubi adnotant. in margine propoſitiones Queſnel. 44. 45. 46. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. & 59.

(a) *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. & can. 4. 5.*

Recueil an. 1714. A Paris pag. 75. & 85.

Ibid. pag. 69.

Vid. Clem. XI. Epiſt. & Brevia ſelectiora to. 2. pag. 384.

A Paris de l' Imprimerie Royale 1720.

Vide pag. 63.

Evêques de France ont faite de cette même Bulle, en la recevant, & en la publiant avec l' inſtruction Paſtorale de 1714. „ In his itaque Explicationibus art. 3. pag. 36. hæc leguntur.

„ Le terme de charité peut être pris en deux ſens differents ; 1. pour tout amour de Dieu, actuel ou habituel, naiſſant ou dominant ; amour qui juſtifie, amour qui ne ſuffit pas pour juſtifier, amour propre aux juſtes, ou tel qu' il peut ſe trouver dans les pecheurs: en un mot pour tout amour du vray bien, pour toute bonne volonté. La charité eſt priſe en ce ſens en divers endroits des Ecrits des ſaint (*a*) Peres, & de quelques (*bc*) Theologiens. 2. Le terme de charité eſt pris ordinairement par (*d*) S. Thomas meſme, dans une ſignification plus reſtreinte, pour la troiſiéme vertu Theologale, pour l' amour habituel de Dieu, pour l' amour qui eſt propre aux juſtes, qui nous unit à Dieu, & qui nous rend les membres vivans de Jeſus-Chriſt ; & c' eſt ainſi que l' entendent communement les Theologiens & les fideles.

(a) *S. Aug. in Pſ. 9. num. 15. & lib. de Dono Perſ. cap. 16.*
(b) *S. Thom. 2. 2. qu. 19. art. 8. in Corp.*

La foy & l' eſperance renferment toûjours quelque amour de Dieu, pris dans la primiere ſignification, mais la foy & l' eſperance peuvent eſtre ſeparées de la charité, priſe dans la ſeconde ſignification, & peuvent agir ſans elle ; & quoy qu' alors elles ne nous rendent ni juſtes, ni dignes du Ciel, elles ne demeurent pas pour cela ſans quelque fruit, elles ont des actes qui leur ſont propres, & qui diſpoſent a la charité.

(c) *Dionyſ. Petav. lib. 8. dogm. Theol. tom. 1. cap. 20. num. 8. Guil. Eſtius in lib. 3. ſent. diſt. 27. §. 2.*

Ce ſont donc autant d' erreurs contre la foy, & juſtement condamnées par la Bulle, de dire que le pecheur, qui perd la charité habituelle, perde en même tems la foy ; qu' il n' y ait plus de ſentiment de craint, ni acte d' eſperance, ni bonnes œuvres, ni culte, ni priere, ni religion pour le pecheur, qui a perdu la charité ; que, lorſqu' il a perdu cette vertu, la cupidité qui regne dans ſons cœur, corrompe toutes ſes actions, qu' il n' eſt plus que tenebres, erreur, & peché, & qu' il ſe trouve dans une impuiſſance generale de faire aucun bien, qui ſoit agreable à Dieu.

(d) *S. Thom. p. 3. qu. 84. art. 5. ad 2. Id. 2. 2. qu. 65. art. 5. in corp. 2. 2. q. 23. art. 1. in Corp. quæſt. 24. art. 2. in corp.*

C' eſt encore un erreur deja condemnée par le (*e*) ſaint Siege, d' avancer qu' il n' y a point d' autres principes de nos actions, que la charité habituelle, & la cupidité habituelle.

(e) *Bul. la S. Pii V.*

Les Peres (*a*) de l' Egliſe enſeignent qu' il y a deux amours, l'amour de Dieu & l' amour de la creature, qui ſont les principes des mouvemens de la volonté ; mais ils entendent par l' amour de Dieu non ſeulement la charité habituelle, & l' amour dominant, mais tout amour actuel de Dieu, toute bonne volonté, tout amour de vray bien, en quelque degré qu' il puiſſe eſtre ; & ils entendent par l' amour de la creature non ſeulement la cupidité habituelle, mais tout amour des creatures, foible ou dominant ; & ils n' ont jamais pretendu que tous les mouvemens de la volonté, qui ne partent pas de la charité habituelle, fuſſent produits par la cupidité, & qu' ils fuſſent par conſequent des pechez. Ils enſeignent expreſſement au contraire (*b*) qu' il y a de bonnes œuvres, & de bons mouvemens en ceux qui ſont encore ſous le regne du peché, comme il y a des pechez veniels dans les juſtes qui poſſedent la charité habituelle. „

(a) *S. Leo ſerm. 88. cap. 3. S. Augu. Serm. 344. novæ edit. num. 1. Id. lib. 14. de Civit. Dei cap. 28. lib. 9. de Trinit. cap. 7. & 8. & alibi.*
(b) *S. Auguſtinus lib. de Spiritu & lit. cap. 27. Sicut enim non impediunt a vita æterna juſtum quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur ; ſic ad ſalutem æternam non proſunt impio quædam bona opera, ſine quibus difficillime vita cujuslibet peſſimi hominis invenitur.*

Pag. 37.

Ex his explicationibus tam ſplendide, ac tam magnifice ſuffragio centum Epiſcoporum probatis evidentiſſimum eſt ſenſum in Bajanis articulis reprobatum eſſe illum, quem nos adfirmavimus eſſe rejectum, duo tantum dari actionum humanarum principia, ideſt caritatem habitualem & cupiditatem habitualem, actus vero qui a caritate hujuſmodi non procedunt, ut ſunt ii omnes, qui præcedunt juſtificationem, a cupiditate dominante profluere, atque ab ipſa corrumpi : evidentiſſimum eſt ea verba „ C' eſt encore un erreur deja condamnée par le ſaint Siege, &c. „ prolata eſſe de propoſitionibus Baji, ſiquidem citatur e veſtigio Bulla S. Pii V. ac demum evidentiſſimum eſt, Baji errorem renovari in propoſitionibus Queſnellianis omni jure ab Apoſtolica Sede confixis. Quapropter ab Anonymo afferente a novatoribus & diſcipulis Baji contendi, quod 38. articulus damnatus ſit in ſenſu charitatis habitualis, non ii tantum Theologi, quorum ſupra meminimus, & quorum poſtea mentionem faciemus, ſed etiam illi centum Galliarum Epiſcopi, qui pro æquitate Conſtitutionis *Unigenitus* curam, ac ſolicitudinem maximam exercuerunt, turpiſſima ignorantiæ nota, necnon iniquiſſima calumnia dilacerantur.

IV. Prodiit jam ab anno 1717. typis Bruxellenſibus perutile & celebre opuſculum ſub hoc titulo, „ Les cent & une Propoſitions qualifiées en détail „. Ibidem §. *Sur la charité*, hæc habentur: „ Le ſiſteme des Novateurs renferme trois erreurs principales touchant la charité. 1. Ils prétendent qu' il n' y a abſolument aucune bonne action, que celles qui viennent de la parfaite charité. 2. Que là où la parfaite charité ne domine pas, toutes les actions ſont des pechez. 3. Que la vraye foy, la vraye eſperance, & toutes l' autres vertus chrétiennes, ne peuvent ſubſiſter ſans la charité ; ou plûtôt que toutes ces vertus ne ſont rien de diſtinct de la parfaite charité. Car dans le ſiſtéme de ces Meſſieurs, il n' eſt pas queſtion d' habitudes infuſes ; la ſeule délectation dominante y fait tout en bien & en mal, en vertu & en vice. „ Proximo item §. *Sur les deux Amours*, iſta leguntur: „ Il eſt trés-vray que toute action humaine vient originairement de quelque amour. Il eſt encore vray que tout amour ſe reduit à l' amour de Dieu & à l' amour des creatures ; mais il n' eſt point vray que tout amour de Dieu ſoit un amour de parfaite charité, un amour dominant & de preference ; ni que tout amour de la créature ſoit un amour déreglé & criminel. C' eſt l' erreur de Baius, qui enſeignoit, *que tout amour de la créature raiſonnable, eſt ou cette cupidité odieuſe, que l' Evangile condamne : ou cette louable charité, que le Saint Eſprit repand dans nos cœurs.* Erreur que le Pere Queſnel établit dans la ſoixante-quatrieme des cent & une propoſitions condamnées. *Il n'y a*, dit-il (*a*), *que deux amours d' où naiſſent toutes nos volontez, & toutes nos actions : l' amour de Dieu qui fait tout par Dieu, & que Dieu recompenſe : l' amour de nous-mêmes & du monde qui ne rapporte pas à Dieu ce qui lui doit être rapporté : & qui par cette raiſon même devient mauvais.* Rurſus ad hanc propoſitionem Queſnellianam 44. infra, ubi ſingulæ peculiari afficiuntur cenſura, hæc extant: „ Fauſſe ; car il y a un amour de Dieu, qui ne fait pas tout par Dieu, & un amour de nous-mêmes, qui rapporte à Dieu ce qui lui doit être rapporté. Erronee ; car dans le ſens de l' auteur elle ſignifie que toute action qui ne vient pas du principe de la parfaite charité, vient de la cupidité charnelle ; ce qui eſt un erreur dans la Foy. Trés-approchante de l' hereſie de Luther ; que toutes les actions de pecheurs ſont des pechez ; car étant évident que nulle action du pecheur ne vient du principe de la parfaite charité, ſi tout ce qui ne vient pas de ce principe eſt peché, toutes les actions des pecheurs ſont des pechez. „ Vident omnes, opinor, auctorem quoque hujus opuſculi exiſtimare, quod tam triceſima octava Baji, quam quadrageſima quarta propoſitio Queſnellii damnata ſit in ſenſu caritatis perfectæ, dominantis, & quæ non poteſt in peccatore inveniri : quod de caritate hac dominante & perfecta cum Bajus, tum Queſnellius locuti ſint, ubi de duplici amore ſermonem inſtituerunt ; & quod virtutibus omnibus (caritate excepta) habitibuſque ſublatis, ea tantum opera laudaverint, quæ ab eadem caritate perfecta & dominante derivant, exiſtimantes omnes alias actiones oriri a cupiditate vitioſa & eſſe peccata ita, ut peccata ſint opera omnia impiorum, illa etiam, quibus ad gratiam & juſtificationem percipiendam ſemetipſos diſponunt.

Pag. 41.

(a) *Propoſit. 44. Pag. 81.*

Pag. 81.

V. Dixi paullo ſupra laudatum Opuſculum perutile & celebre cenſendum eſſe ; nam præter editiones factas idiomate Gallico, quo primum conſcriptum fuit, Italica etiam lingua translatum anno 1723. typis Mediolanenſibus in lucem prodiit, omneſque Itali non Theologi tantum, verum & rudiores ejus lectione percipere potuerunt, articulum Baji triceſimum octavum in ſenſu caritatis juſtificantis dominantis, ac perfectæ fuiſſe damnatum. Accedunt, quæ de ipſomet opuſculo leguntur in Præfatione *Bibliothecæ Janſeniſticæ*, cui etiam additur in fine ſecundi voluminis in lucem emiſſi anno 1740. „ On a placé (ita in ea Præfatione) à la fin de cette Bibliotheque un petit ouvrage devenu aujourdhuy fort rare, mais infiniment propre pour mettre tout le mond au fait des erreurs du tems. C' eſt un petit Traité dans le quel le cent & une propoſitions extraites du livre des Reflexions morales du Pere Queſnel ſont qualifiées en détail. In hoc Opuſculo, quod Antijanſeniani tale putant, ut hoc uno poſſit univerſus mundus Queſnellianos errores vitare, nemo ſui compos dicturus eſt contineri fraudes ac ſubterfugia novantium, qui Baji, Janſenii, & Queſnellii veſtigia premunt.

Edit. Mediol. pag. 28. 63. &c.

VI. Extat & aliud Opuſculum, cui titulus, „ Venin des 101. Propoſitions „ impreſſum anno 1714. in quo de Propoſitione 44. Queſnelliana hoc judicium profertur : „ Propoſition qui revient à la 38. de Bajus, & prouveroit que la crainte de l' Enfer & les autres actes qui precedent la juſtification du pecheur, & ne viennent pas encore de l' amour de Dieu, ſont des pechez. „ Et recenſita propoſitione 45. hæc ibidem ſubjiciuntur : „ Erreur, qui retablit ces Propoſitions de Bajus, *tout ce que fait un pecheur ou un eſclave du peché, eſt peché* : c' eſt la 35. *un pecheur*

Venin, &c. pag. 15.

pecheur dans toutes ſes actions obëit à la concupiſcence dominante: c' eſt la 40. Motif bien propre pour engager les pecheurs à prier, à jeuner, à faire l' aumône &c. Notez que cette Propoſition 45. rétablit de plus l' hereſie frappée d' anathême par le Concile de Trente ſeſs. 6. can. 7. Sçavoir que non-ſeulement la crainte de l' Enfer: mais même les autres actes qui precedent la juſtification du pecheur, & qui par conſequent ne viennent pas encor d' un amour dominante en lui, ſont auſſi des pechez. „ Perſpicuum eſt, hunc quoque ſcriptorem recenſitas Baji & Queſnellii propoſitiones damnatas intellexiſſe de caritate dominante, quæ non adinvenitur in impiis, qui juxta ſenſum earumdem propoſitionum, priuſquam juſtificentur, in omnibus actibus ſuis deſerviunt dominanti cupiditati, ac ſemper peccant: qui utique ſenſus eſt hæreticus, & prædamnatus a Synodo Tridentinâ. Hoc etiam Opuſculum plurimi faciendum eſſe conſtat, cum ſtatim Latinitate donatum Coloniæ Agrippinæ iterum ſit evulgatum eo conſilio, ut etiam Germani venenum illarum propoſitionum non obſcure dignoſcerent, ut habetur in Præmonitione ad lectorem.

Eodem anno 1714.

VII. Eumdem ſenſum caritatis juſtificantis deprehendit in propoſitione 44. Queſnellii præclarus Auctor alterius Opuſculi, cui titulus, *Veritas & æquitas Conſtitutionis Unigenitus Theologice demonſtrata*, quod in lucem editum eſt Gandavi anno 1724. Nam & in hoc Opere ad ipſam propoſitionem 44. legimus: *Senſus eſt, omnes volitiones & actiones humanas eſſe peccaminoſas, niſi profluant ex amore Dei perfecto & dominante* (qui omnia agit propter Deum) *juſtificante, ſeu cum juſtificatione connexo* (quem Deus remunerat.) *Vide propoſit.* 28. *Eſt falſa & erronea, quia in ſenſu auctoris ſignificat quod omnis actio, quæ non procedit a perfecta caritate, procedat a carnali cupiditate. Eſt proxima hæreſi Lutheri docentis omnes peccatoris actiones eſſe peccata: nam nulla actio peccatoris procedit a perfecta charitate Dei; omnis actio, quæ non procedit a caritate Dei, eſt peccatum; ergo omnis actio peccatoris eſt peccatum.* Et ad propoſitionem 45. *Eſt erronea; quia caritas non ſanctificat omnes juſti actiones, utpote qui aliquando venialiter peccat; ergo cupiditas non corrumpit omnes peccatoris actiones. Eſt hæretica, quatenus aſſerit omnes peccatoris actiones eſſe peccata contra Tridentin. ſeſſ. 6. can. 7. & Conc. Conſt. damnans 16. Joan. Hus. Ex propoſit. ſequitur 1. actus fidei, ſpei, attritionis, quibus ſe ad juſtificationem peccator diſponit, eſſe peccata; ſequitur 2. Jonam Ninivitas hortando ad pœnitentiam* (*utique amore Dei in illis non regnante*) *hortatum eſſe ad peccata; ſequitur* 3. in omnibus ſuis actibus peccatorem ſervire dominanti cupiditati. (*Eſt Baji* 40.) omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſſe. (*Eſt Baji* 35.) omnia opera infidelium eſſe peccata. (*Eſt* 25.) *item* 8. *&* 12. *inter* 31. *denique quidquid contra præcedentem, pugnat & contra hanc. Sic in forma: in peccatore mortalis peccati reo non regnat amor Dei, ſeu cupiditas* (regnat enim carnalis cupiditas, ubi non eſt Dei caritas. *S. Aug. Ench. c.* 11.) *atqui de fide eſt, quod in peccato mortali poſſit facere actiones, quas non corrumpit cupiditas* (*Trid. ſeſſ. 6. c. 7.*) *ergo de fide eſt, quod, quando amor Dei non amplius regnat in corde, cupiditas non omnes actiones corrumpat.* Bene habet: & hujus libri auctor cenſet Queſnellianas & Bajanas propoſitiones damnatas eſſe in ſenſu caritatis perfectæ regnantis in corde juſtorum, & in ſenſu dominantis cupiditatis regnantis in corde impiorum.

Veritas, & c. 56.

Ibidem pag. 59.

VIII. Præſtantiſſimus Auctor Operis, quod inſcribitur *SS. D. N. Domini Clementis P. XI. Conſtitutio Unigenitus Theologice propugnata*, anno 1719. Romæ impreſſum, pertractat p. 2. de ſenſu quadrageſimæ quartæ propoſitionis Queſnellianæ; & cap. 1. animadvertit ab auctore ſignificari amorem efficacem, non affectu ſolummodo, ſed etiam effectu, qui reipſa omnia agat propter Deum; amorem inſuper, qui habeat meritum proprie dictum, quod a Theologis appellatur *de condigno*, & ad quod prærequiritur *ſtatus gratiæ*. Atque his præmiſſis, *Dum igitur* (inquit) *Queſnellius enuntiat*, Non ſunt niſi duo amores, &c. *ſuis verbis in ſenſu propriiſſimo & obvio acceptis convincitur aſſerere, omnem volitionem & actionem eſſe peccatum, quæ non naſcitur ex amore Dei ſuper omnia & juſtificante: neque id ſufficere, ſed debere elici a juſto, alias fore & ipſum amorem Dei vitioſum, ſi a peccatore pœnitente elici contigerit.* Poſtquam præclarus auctor demonſtravit cap. 2. & 3. propoſitionem illam Queſnellii adverſari ſacris litteris, ac Tridentino Concilio, pergit cap. 4. oſtendere quomodo etiam definitionibus Summorum Pontificum ſit contraria: atque enumeratis propoſitionibus Baji 16. & 27. ait: *Succedit* 38. Omnis amor creaturæ rationalis, &c. *Quid in hoc articulo eſt, quod non conveniat iſti Queſnelliano*, Non ſunt niſi duo amores &c.? *Utriuſque articuli ſenſus idem, eadem labes eſt, quod omnem amorem hominum, aut caritatem eſſe cenſeat, aut malam cupiditatem ſeu peccatum. Plures alii Bajani articuli cum præſenti Queſnelliano connexionem habent ineluctabilem.* Optime. Articuli 44. Queſnelliani, & articuli 38. Baji eadem eſt labes, idem error; idem pravus ſenſus. Queſnellianus agit *de amore Dei ſuper omnia, & juſtificante, & qui elicitur a juſto.* De hoc itaque amore Dei ſuper omnia, juſtificante, & qui elicitur a juſto, accipiendus eſt articulus 38. Baji.

Jacobus Le Fontaine to. 2. pag. 266. col. 1.

Neque in hoc uno loco affirmat celebris Pontificiæ Conſtitutionis Propugnator Queſnellianum articulum 44. accipiendum eſſe de caritate perfecta & juſtificante: ſed hoc ſæpenumero repetit. Eodem namque volumine pag. 502. colum. 2. inquit: *Non alio Queſnellum amore, non alia caritate contentum eſſe, quam juſtificante, colligitur ex variis ejus de hac materia propoſitionibus: atque ex ipſis, ut aliquoties notavi, adverſariorum vindiciis. Conſidera propoſitionem* 44. Non ſunt niſi duo amores, &c. *Amor Dei, ex quo omnes volitiones, & actiones bonæ procedunt; amor, qui omnia agit propter Deum, & quem Deus remuneratur; amor Dei in cordibus regnans, indubie perfectus eſt, ea ſaltem perfectione, quæ ſatis ponderis habeat ad juſtificandum.* Proxima pag. 504. col. 1. demonſtrat, quod ex propoſitionibus & principiis Queſnellianis, *Fieri non poteſt, ut Dei dilectio ſit, ſive perfecta, ſive inchoata, ſine juſtificatione. Quapropter ſi nullum eſt opus bonum ſine amore Dei, compertiſſimum eſt, nullum eſſe bonum ſine juſtitia & ſanctitate; cumque opera omnia quæ bona non ſunt, & quidem ex gratia juxta prop.* 39. *&* 40. *peccata ſint, & condemnationem mereantur, manifeſtum eſt, opera omnia abſque amore juſtificante rejici inter vitia. Hinc ſequitur* 48. *propoſitio Bajana*, Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur; aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur. 40. In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati. 35. Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt; *quandiu nempe per caritatem non convertitur. Ibidem prop.* 25. Omnia opera infidelium ſunt peccata, & philoſophorum virtutes ſunt vitia. 27. Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio nonniſi ad peccandum valet. *Inter damnatas* 31. *ab Alex. VIII. reſtituitur a Queſnello hæc* VII. Omnis humana actio deliberata eſt Dei dilectio, vel mundi. Si Dei, charitas Patris eſt; ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt. 8. Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare; *quandiu ſcilicet infidelis manſerit.* 9. Revera peccat qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, diſconvenientiam cum natura ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu „. Fatente ergo ſtrenuo ac erudito Vindice Pontificiæ Conſtitutionis, articulus Baji 38. Queſnellianus 44. necnon alii hactenus recenſiti, in ſenſu caritatis dominantis, regnantis, & juſtificantis fuere proſcripti; quatenus ſignificant omnem amorem, omnemque actionem impiorum, in quibus non regnat caritas, ſed cupiditas, eſſe fœtum carnalis concupiſcentiæ, ab ipſa produci, infici & labefieri.

Queſnel. Delibe. rations de l' Aſſemblée & pag. 55. & ejus Proteſtat. §. 10. pag. 190.

IX. Quoniam in lucubrationibus Jacobi Fontanæ verſamur, haud abs re erit animadvertere Paſchaſium Queſnellium in ſuis obſervationibus ad Inſtructionem Paſtoralem xl. Epiſcoporum, de qua ſupra num. 1. conqueſtum fuiſſe, quod ſibi per calumniam imputatum ſit, ſolam caritatem juſtificantem a ſe agnoſci, atque affirmari connumeranda eſſe peccatis opera, quæ juſtificationem ipſam præcedunt, atque ad ipſam diſponunt. „ Il n' y a ni bon ſens, (ait Queſnellius) ni droiture à oppoſer à l' auteur des Reflexions, qui ne parle point de la charité habituelle, une Bulle que l' on ne peut excuſer qu' en ſuppoſant que les propoſitions qu' elle condamne, s' entendent de la ſeule charité habituelle ou juſtifiante. „ & infra pagina 58. „ La calumnie coûte peu aux auteurs de l' Inſtruction; on le voit ici ſenſiblement. Car ils imputent à l' auteur des Reflexions, de vouloir que les diſpoſitions *qui preparent le pecheur à la juſtification, loin de pouvoir être rapportées à la charité, ſont de vrais pechez.* Propugnator itaque Conſtitutionis *Unigenitus* ad refellendum hoc Queſnelli ſubterfugium, ſeu potius audaciam atque perfidiam, ad propoſitiones de caritate addidit Appendicem in quatuor capita diſtributam. Hunc primo capiti præfigit titulum, *Fides peſſima Queſnelli proteſtantis, ſe in Propoſitionibus de caritate non intelligere juſtificantem.* Hanc vero peſſimam fidem pateſacit ex propoſitione 51. *Fides juſtificat quando operatur; ſed non operatur niſi per caritatem:* qua propoſitione recitata, *Evidens eſt* (inquit) *caritatis nomine hic intelligi juſtificantem; alias enim falſiſſimum foret, & manifeſte hæreticum, ſi fides juſtificare diceretur per caritatem, quæ non juſtificet: quis enim hactenus in Eccleſia audivit Catholica, plus roboris fidei ad reconciliationem eſſe, quam caritati, ſive juſtitiam a fide peccatoribus tribui, quos non ſanctifi-*

Eadem P. 2. pag. 834.

ficiet caritas? Idem confirmat collatione propositionis 40. *Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*, & propositionis 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*, atque proposit. 27. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio:* atque his productis, ait pag. 837. col. 2. *Prima scilicet gratia, juxta Quesnellum necessaria, est caritas sanctificans; alias conferret remissionem criminum caritate non justificante, quod dictu absurdissimum foret, & hæreticum.*

Secundo Appendicis capiti titulus iste præponitur, *De caritate habituali, & dominante protestatio Quesnelli fraudulenta convincitur.* Ibi vero præmissa Protestatione, qua Quesnellius asserit se procul abfuisse a confundenda caritate habituali & justificante cum ea, cujus motus & actus justificationem præcedunt; rectissime orthodoxus Constitutionis Defensor monet, ubi de damnatis dogmatistarum erroribus agitur, fidem auctoribus habendam non esse, si alicubi tradidisse oppositum videantur. *Ecclesia quidem Catholica*, (ait) *Episcopi, ac Pontifices nunquam sibi impositam censuere legem, omnia hæreticorum, aut novaturientium placita inter se conciliandi, & ab oppositionis liberandi vitio. Prius enim terram cælo junxeris Empyreo, quam omnia inter se cujuslibet hæretici dogmata.* Quod monitum ii memoria tenere debent, qui ex variis assertorum textibus, aut ambiguis, aut verisimilibus, aut aliqua ex parte veris, sensum damnatorum articulorum erui contendunt, obvio illo planissimoque relicto, quem verba præseferunt. Ceterum, ut propius ad rem accedamus, repetita pag. 847. col. 2. propositione 44. *Non sunt nisi duo amores, &c.* ad hunc modum loquitur: *Quis per istiusmodi amorem Dei, unde omnis bona actio, & volitio nascitur, intelligat amorem fluxum & debilem, non vero habitualem potius & dominantem?* Elidit deinde fallaciloquentiam Quesnellii dicentis se caritatem habitualem ab actuali dominante distinxisse; nam sive nullam caritatem admiserit præter habitualem, sive admiserit actualem quoque, sed quæ indissolubili nexu justificationem secum afferat, & peccata remittat, eadem omnino est consecutio, omnia in sensu Quesnellii esse noxia, & corrupta a vitiosa cupiditate, si a caritate justificante nequaquam procedant. Quaproter sapientissimi Galliarum Antistites in sua Pastorali Institutione modo caritatem habitualem commemorarunt, modo prædominantem duntaxat: quoniam æque censuram promereris, si unam principium bonorum operum statuas caritatem habitualem, quæ, ut inquiunt Theologi, est forma sanctificans, & si principium illud dixeris caritatem perfectam atque prædominantem justificationi conjunctam. *Proprie non asserunt Episcopi* (verba sunt laudati Theologi) *nullam Quesnello caritatem veram* Pag. 848. col. 1. *esse præter habitum, sed vel habitum, vel actum, cujus imperio actus ceteri obsequuntur.* Et post pauca: *Motus caritatis quos Quesnellus se admittere ait in peccatoribus ante justificationem, intelligi debent de amoris Dei actibus, quibus justificatio obtinetur, quosque hæc immediate sequitur, eodem quidem tempore, sed posterius ratione:* & rursus; *Itaque* Pag. 850. col. 1. *vera Quesnelli sententia est, omnem caritatem esse aut habitum justificantem, aut dominantem actum, omnibus mundanæ concupiscentiæ motibus superiorem, qui justificationis habitum secum trahat arctissimo vinculo connexionis. Quomodo etiam separatur a justitia, si prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio, propos. 28.?*

In tertio Appendicis capite refellitur evasio Quesnellii ajentis, *Quis affirmavit unquam eos, in quibus* Pag. 855. *caritas justificans nondum dominatur, aut residet, nunquam agere nisi motu cupiditatis, sive nunquam uti sensibus instinctu caritatis actualis?* Ita vero lusio, & æquivocatio Quesnellii detegitur: *Distinguatur caritatis actus justificans ab habitu, qui justificationis forma est, vel comes individuus. Episcopi quadraginta Parisiis congregati, quorum documentum Pastorale hic potissimum insectatur Quesnellus, non accusavere illum, quasi solum admitteret caritatis habitum..... sed tantum quod* indicaverit, non esse veram caritatem, nisi habitualem, vel dominantem. *Ubi quidem adversarius, ad conflandam Præsulibus invidiam, sequiter supponit caritatem* habitualem, & dominantem *accipi pro una, eademque diversis tantum significata nominibus. Antistites autem nota distinctionis* habitualem vel dominantem *non pro synonymis accipiunt, sed pro diversis: priorem pro habitu, posteriorem pro actu cupiditatibus, & tentationibus superiore, qui omnibus animæ facultatibus imperet cum effectu. Sensus iste vere Quesnelli est, & lethiferum virus in eo situm, quod omnis actio, omnis usus sensuum ex alterutra non profluens caritate, inter vitia reputetur, &c.*

Quarto, & postremo Appendicis capite, quo *reprimitur observationis Quesnellianæ temeritas*, rursus asseritur: *Quando igitur propositione 44. dicitur omnis actio &* Pag. 863. *volitio nasci ex amore mundi pravo, qui non nascitur ex amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur, non patitur Quesnellus sibi tribui, quasi omnem actionem, ut prava origine immunis sit, asserat nasci debere ex habitu caritatis justificantis; sufficit si* Pag. 864. *processerit ex actu justificationem necessario inferente.* Post pauca: *Patet itaque Quesnelli sententia de necessitate justificationis præviæ ad omnem istiusmodi actum liberum: cumque omnis alia Quesnello deliberata actio peccatum sit, liquet omnia opera justificationem antecedentia esse delicta. Cum autem penes Catholicos peccatorum remissio in præsenti divinorum decretorum ordine non fiat absque infusione habitualis gratiæ, sive habitualis caritatis, sive hæc a priore distincta reipsa sit, sive solummodo ratione; quid aliud venire in mentem Doctoribus Catholicis potuit, quam quod juxta Quesnellum justificatio, atque adeo infusus caritatis habitus omnia præcedere debeat bona opera, imo omnia non mala, cum nulla penes illum sit differentia? Unde non studio elicita, sed ultro profluit assertio, quod in Quesnelli sententia nullum opus a noxa liberum sit, ubi non præcesserit justificatio, atque adeo infusus habitus caritatis: si talis in nova Theologia agnoscitur, de quo non una ratio dubitandi est.*

X. Quoniam vero multus fui in colligendis Auctoris hujus testimoniis; haud pigeat percurrere postremo loco ejusdem *Synopsim*, quæ apposita est ad calcem prælaudati voluminis: qua una potest sensus in Bajo, & in Quesnello damnatus luculentissime, & absque ulla ambiguitate deprehendi. Ergo in Synopsi propositionis 44. cap. 1. quæstiones istas proponit. *Quæstio 3. An Quesnellus in propos. 44. & seqq. intelligendus sit de amore Dei seu caritate justificante, idest, quæ cum justificatione infallibiliter connectitur? Quæstio 4. An Quesnellus ad actiones singulas exigat amorem dominantem? Amor dominans intelligitur, ex cujus impulsu, seu imperio omnia peraguntur. Quæst. 5. An ex Quesnelli principiis sequatur, ad cujuscunque actionis bonitatem, requiri justitiam, seu caritatem habitualem?* Ad omnes istas quæstiones Propugnator Constitutionis *Unigenitus* respondet, *Affirmative*: easque demonstrat argumentis, quorum pleraque superius sunt commonstrata: quia nempe *caritatis* significatio usitata & obvia, ac præsertim in lingua Gallica, talis est, ut accipiatur pro caritate justificante; quia Quesnellus prop. 44. loquitur de amore, *quem Deus remuneratur*; quia talem amorem necessario prævenit gratia, & juxta Quesnellum prop. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*; atque ob rationes alias complures, quas brevitati consulens prætermitto. Demonstratis tandem prædictis quæstionibus, deducit hoc COROLLARIUM. *Testatissima igitur Quesnelli doctrina est, in omnibus volitionibus, actionibusque peccari, nisi profluant ex amore Dei perfecto, justificante, dominante, & habituali: atque ita redarguitur imprudentissimi novatoris calumnia, conquerentis, se a 40. Galliæ Episcopis perperam accusari, quod ad actuum humanorum bonitatem requirat caritatem justificantem, & habitualem, vel dominantem.* Quid expressius, quid luculentius proferri potest? Quid uberius poterat desiderari ad dignoscendum quo sensu propositiones Baji & Quesnelli ad caritatem spectantes damnatæ fuerint? Damnatas fuisse *in sensu caritatis justificantis, & habitualis, vel dominantis* testatur celeberrimus auctor, quem nemo sanæ mentis dixerit partibus dogmatistarum addictum: testatur Theologus alter, qui edidit librum inscriptum, *Veritas & æquitas Constitutionis* Unigenitus *Theologice demonstrata:* testatur Scriptor alterius probatissimi Opusculi, *Venin des 101. Propositions*: testatur qui in lucem emisit Opusculum alterum, Italo etiam idiomate vulgatum, summisque laudibus celebratum ab auctore Bibliothecæ Jansenisticæ, idest, *Les cent & une propositions qualifiées en détail*: testatur liber insignitus eo titulo, *Explications sur la Bulle* Unigenitus, centum Galliarum Episcoporum calculis confirmatus: testatur quadraginta Episcoporum Pastorale documentum. Quis, obsecro, posthac dicturus est, eos, qui ajunt articulum 38. Baji, & 44. Quesnellii proscriptos fuisse *in sensu caritatis justificantis*, sive *in sensu gratiæ sanctificantis*, esse novatores, qui ad eludendas Pontificias Constitutiones, harumque censuras, quærant artes omnes, ac subterfugia? Quisquis id cum Anonymo effutiat, nube testium, qui ante, & post Constitutionem *Unigenitus* floruerunt, jam se manifestæ falsitatis, supinæ ignorantiæ, & exsecrandæ calumniæ convictum esse cognoscat.

§. V.

§. V.

Auguſtinianos ſcriptores, qui poſt Conſtitutionem UNIGENITUS *lucubrationes Theologicas ediderunt, propoſitiones, de quibus eſt quæſtio, in ſenſu caritatis habitualis, aut juſtificantis accepiſſe, apertiſſime demonſtratur.*

JUre itaque Auguſtiniani Theologi, quorum unanimis ſenſus eſt, omnia opera deliberata in Deum finem ultimum ſaltem *virtualiter* eſſe referenda, dum ſibi Bajani, aut Queſnelliani opponuntur articuli, reſpondere ſolent hos ſibi perperam objici; quum proſcripti fuerint in eo ſenſu, quod Bajus & Queſnellius ad opera undique bona neceſſariam exiſtimaverint caritatem habitualem & juſtificantem, atque ulterius dogmatizaverint ea, quæ a caritate non derivant, a cupiditate profluere, & ab iſta intrinſecus labefactari & corrumpi: quæ duo quam longiſſime diſcrepant a ſententia noſtratium, qui agnoſcunt opera moraliter bona, quoad ſubſtantiam, & quoad principium influens, & objectum proximum laudabilia, quamvis talia non ſint ſpectata ultimi finis circumſtantia, quam is, qui operatur, prætermittit, ac negligit, adeo, ut omiſſio iſta ac neglectus culpa aliqua ſit operantis, ſed operi extrinſeca duntaxat atque concomitans: quod prolixius tertia hujus operis diſſertatione explicabo. Jure, inquam, Auguſtiniani Theologi id reſpondent, quando Auctorum, quos laudavi, teſtimoniis, ſuffragiis & documentis locupletiſſimis fulciuntur. Nec dum Auguſtinianos Theologos dixi, intelligi volo aut ſolum Fulgentium Bellelli, cujus cauſam actito, aut me, quem nunquam tali, ac propria exiſtimatione proſequutus ſum, ut honeſtiſſimo Theologi nomine meipſum dignum crediderim; ſed plurimos, ac ferme univerſos, ut tertia, quam ſubjiciam, diſquiſitione commonſtrabo. Interim tamen producendi ſunt aliqui, ut horum laudato nomine, verbiſque exſcriptis, videat unuſquiſque me non propriam ac privatam, ſed totius Inſtituti communemque cauſam ſuſcipere, nec mihi, homini nullius aut pertenuis famæ, ſed Noriſio imprimis, cujus in hiſce controverſiis & verba & ſententias accurate exſcripſi, & cum Noriſio, univerſo Auguſtinenſium cœtui quanto veterem, tanto atrociorem calumniam impingi.

I. Præter Noriſium, & Fridericum Gavardi, quorum memini §. 2. num. 8. & 9. Petrus Manſo Hiſpanus, Doctor, ac Profeſſor Publicus Salmanticenſis in Diſſert. de Virtutibus Infidel. contra Bajanos quæſt. XI. §. 1. ait: *Si velis uno verbo comprehendere omnes errores Baji & Queſnelli, obſerva quod quidquid Theologi docent de libero arbitrio; & de neceſſitate gratiæ ad merendum de condigno; idipſum tenent Bajus, & ſequaces de libero arbitrio, & de neceſſitate gratiæ habitualis, & caritatis infuſæ ad bene moraliter operandum*: & paucis interjectis agens de propoſit. Baji 38. ac de propoſitione Queſnelli 44. obſervat in utraque ſermonem inſtitui *de amore Dei ſupernaturali, benevolo, & meritorio de condigno*. In Opuſculo ejuſdem argumenti pro ſent. Noriſii §. 2. num. 4. objecta ſibimet propoſitione 38. Baji, *Omnis amor creaturæ rationalis, &c.* Reſpondet, *hoc & reliqua argumenta gratis congeri contra Doctores noſtros, & animo tantum impugnandi. Et licet arguens inanes dicat ſolutiones noſtras; nobis videtur inania potius dicenda prætenſa abſurda; quæ licet contra Bajanos, exigentes caritatem infuſam ad omnia opera moraliter bona, legitime deducantur; ſecus contra Catholicos ſcientiæ noſtræ doctores*. Hujus rei rationem hanc reddit, quoniam aliqui ex noſtris *pro relatione virtutum exigunt tantum caritatem naturalem*, ideoque agnoſcunt *medium inter cupiditatem, & caritatem infuſam. Qui vero ex noſtris exigunt amorem Dei ſupernaturalem, non petunt caritatem infuſam & perfectam, ſed inchoatam & imperfectam, quæ poteſt eſſe in peccatoribus, & reipſa eſt, dum ſe diſponunt, juxta Tridentinum, ad obtinendam juſtificationis gratiam.* An admittenda ſit caritas naturalis, qua ſcilicet Deus abſque auxilio ſupernaturali diligatur amore benevolo ac propter ſe, & an qui caritatem hanc denegant, Bajo aliquatenus ſubſcribant, erit opportuniori loco inquirendum.

P. Manſo de Virtut. infid. pag 458.

Reflexio Vindex &c. pag. 69. & 70.

II. Bernardus Deſirant, Janſeniſtarum inſectator acerrimus, Romam a Clemente XI. evocatus, ſacrarum Scripturarum in Archigymnaſio Romano Interpres, ſtudiorumque Collegii Urbaniani de Propaganda Fide Præfectus parte 4. operis inſcripti *Auguſtinus vindicatus*, ubi pertractat de propoſit. 44. Queſnelliana, *Ex frequenti* (inquit) *cum Janſeniſtis collatione didicimus, quod ſtudioſe omittant vocem* laudabilis illius caritatis, *ne apertius quam optent exigere videantur caritatem habitualem, quæ vel cum gratia ſanctificante a parte rei eſt eadem juxta Scotiſtas, vel a gratia ſanctificante inſeparabilis eſt juxta Thomiſtas*. Poſt pauca: *Cum autem vocem* caritatis *in eumdem finem impenderit in propoſitionibus ſubſequentibus* 46. 47. 48. 50. 53. 54. 55. 56. & 58. *mirum videri non debet, quod in hac propoſitione* 44. *per amorem Dei, amorem caritatis juſtificantis intelligat, etſi eam non exprimat; agit enim de amore*, quem Deus remuneratur. *Atqui juxta ipſum Deus non remuneratur opus, niſi quod proficiſcitur a caritate hominis juſtificati, qui alioqui non eſt capax meriti; aliis ergo verbis caritatem exigit, ſicut exegit Bajus* (*prop.* 38.) *& illi, quorum propoſitionem* (7.) *proſcripſit Alexander VIII. Itaque juxta præſentem Queſnelli propoſitionem*, Non ſunt niſi duo amores, unde actiones omnes noſtræ naſcuntur; *ſi proprie loquitur, agit de habitibus: nam volitiones & actiones ex habitibus naſcuntur, &c.*

Deſirant pag. 4. pag. 241.

III. Antonius Rolliers Profeſſor Lovanienſis in Opuſculo, cui titulus, *Reflexiones in propoſitiones* 101. *a SS. D. Clemente XI. merito damnatas*, cap. 4. in quo pertractat de propoſitionibus 44. 45. aliiſque ad caritatem & cupiditatem ſpectantibus, inquit: *Cum per caritatem intelligat author amorem Dei ſuper omnia & juſtificantem; falſiſſima eſt propoſitio: certum eſt enim quod peccator nondum juſtificatus ſæpe faciat actiones Chriſtianas modo Chriſtiano, dum ſe præparat ad juſtificationem, vel ex aliquo in Deum affectu exercet opera, V. G. miſericordiæ. Non uno ex capite peſſime ob hanc propoſitionem culparent ſententiam noſtram de relatione Scholæ Auguſtinianæ adverſarii, quæ non requirit, ut opus ſit undequaque bonum, amorem Dei ſuper omnia, vel juſtificantem, nec explicitam relationem in Jeſum Chriſtum: ſed contenta eſt tenuiſſimo dilectionis motu, quo etiam deficiente ſuſtinet opera vere manere bona moraliter, laude digna, &c. nempe, ex officio, & quoad operum ſubſtantiam.* Et infra: *Porro per caritatem, ut ſæpe monuimus, intelligit auctor amorem in corde regnantem & juſtificantem.*

Rolliers pag. 27.

IV. Emmanuel Cabeliau in Theſibus *de Religione* propugnatis Lovanii anno 1723. quas exornavit eruditis animadverſionibus in propoſitiones Queſnellianas, demonſtrat in his inſtaurari *Bajaniſmum*, atque *Interſperſo* 10. ait: *Si quis cupiat genuinas habere ſorores, Bajanæ* 27. *applicet inter Queſnellianas* 38. *Bajanæ* 25. *applicet* 42. *Bajanæ* 38. *applicet Queſnellianam* 44. *Bajanis* 35. *&* 40. *Queſnellianam* 45. *Bajanæ* 16. *Queſnellianam* 47. *& aperte videbimus quomodo Queſnellus cum Bajo ſupponat ſine gratia ſanctificante omne opus in ſe malum eſſe, & vitioſum.*

Cabeliau pag. 11.

V. Aurelius Piette Studii Theologici Regens in *Elucidatione difficiliorum quæſtionum*, Tractatu de Caritat. qu. 7. ubi demonſtrat non omnem amorem Dei ſuper omnia ſtata lege juſtificare, objectis ſibi pluribus Baji articulis, reſpondet Bajum agnoviſſe *ſolam caritatem habitualem, & juſtificantem*, quod demonſtrat damnatarum propoſitionum collatione. Id cum ego præſtiterim §. 4. arbitror nunc eſſe prætermittendum. Legi poteſt idem Auctor in Tract. de Actibus Hum. quæſt. 1. & in Tract. de Grat. quæſt. 8. in Theſibus vero propugnatis Lovanii anno 1719. poſtquam plura dixit de referendis in Deum operibus deliberatis caritate ſaltem virtuali, hæc ſubjicit Reflexione ultima de Queſnellianis articulis: *Duo tantum admittunt actionum humanarum principia, videlicet prædominantem caritatem, vel regnantem carnalem cupiditatem: inde ceu puro ex fonte puros effluere actionum rivulos; hinc tamquam ex radice corrupta nonniſi venenatos operum ſurculos pullulare; & quod conſequens eſt, opera omnia caritatis, & quidem talis caritatis arcu in Deum non directa vitiari, pollui, & coinquinari. Hanc falſitatis columnam evertere voluit Pontifex, quando memoratam propoſitionem* (*Queſnellianam* 45.) *damnavit. Et merito: multa enim in peccatoribus, quorum cor caritatis imperio nondum eſt ſubjectum, opera invenias, quæ jure laudes, nulla ratione impuritatis, alteriuſve malitiæ inſimulare poſſis. Quod ut manifeſtius fiat; ſuppone, quod talis peccator pauperem videat fame jam prope tabeſcentem, & tantum non emortuum, aliumve contuea-tur miſerum, & ulceribus plenum, triſti ſpectaculo percellitur & commovetur, exurgitque in eo commiſerationis affectus. Bonus profecto, piuſque eſt ille motus: vox eſt naturæ, quæ eum interne commovet, hortatur, & inſtigat, ut laboranti ſubveniat, & Samaritani æmulator factus vinum & oleum ſaucii plagis infundat. Si intimæ iſti voci aures cordis obſtruat, & quam porrigere poteſt, auxiliarem manum poſcenti miſero recuſet; minus ſe humanum præſtabit: pium autem ſe & humanum præbebit, ſi motui iſti obſequatur. Actio proinde ex tali affectu promanans, ex parte principii ſui vitium non contrahit, imo potius eſt actus virtutis ab auctore naturæ imperatus.* Eadem repetit de Actibus hum. quæſt. 2. §. 3. ſive Tom. 2. pag. 80. Ita recte, ſapienterque noſtrates ſuam a Bajo, & Queſnellio diſcrepantiam oſtendunt: quod alibi fuſiori ſtylo explanabitur.

Piette tom. 4. pag. 100.

VI. Petrus Lambertus Le-Drou Epiſcopus Porphyrienſis non ſolum in opere *de Contritione & attritione*,

ne, edito Romæ ante Constitutionem *Unigenitus*, anno scilicet 1707. verum etiam in *Confutatione* discussionis Theologicæ D. Augustini Michel, quam vulgavit anno 1714. emissa jam prælaudata Constitutione, constantissime asseruit Bajum in propositionibus de caritate agere *de caritate habituali*. Id vero priori in opere demonstrat primum testimonio Suaresii: deinde ex propositionibus, in quibus assertor docuit dari justificationem, *atque adeo infusionem gratiæ & caritatis habitualis*, absque remissione peccatorum; tum ex volgari *caritatis* significatione, qua juxta Scholarum consuetudinem intelligitur vel habitus, vel actus a Spiritu Sancto inhabitante productus: item ex quo Bajus loquatur de ea caritate, *quæ est plenitudo legis*, propositione 32. docuitque Bellarminus lib. 2. de Pœnitentia cap. 13. *neminem recte vivere, neque legem implere, nisi justificatum*. Quæ, aliaque plura in præcitato Opere legi possunt. In altero autem, sive in *Confutatione* discussionis Theologicæ, cap. 17. repetit locutum Bajum *de caritate habituali, vel actuali ei conjuncta*, ac ulterius existimasse virtutum officia, dum non referuntur in Dei gloriam, esse peccata, oriri a cupiditate, atque inde corrumpi, propterea quod in ejus sententia præcepta, *nequidem quoad substantiam, sine caritate servari queant*. Animadvertit subinde sententiam Lovanienſium (quam a nostratium compluribus propugnari non diffiteor) a Baji doctrina toto cælo distare, quod illi ita exigant *relationem in Deum per caritatem imperfectam, & sumptam pro casta seu benevola Dei dilectione, ut ea prætermissa nihilominus admittant opera moraliter bona, officia bona, opera honesta & virtuosa; doceantque tunc non peccari peccato* operis, *sed omissionis, seu prætermissæ in Deum relationis, ita quidem ut omissio & defectus relationis* non maculet ipsum opus, *sed duntaxat* operantem; *qui tunc* bonum male *facit, ut loquitur Sanctus Augustinus lib. 4. contra Julian. cap. 3. & (ut docet S. Thomas 1. 2. qu. 100. art. 10. ad 2. ac in Corp.)* implet præceptum, *atque adeo præbet veram* obedientiam legi, *quoad substantiam operis a lege præcepti, solumque deficit in eo adimplendo quoad modum*. Narrat ibidem quomodo Lovanienſium sententia anno 1677. a Sacræ Facultatis Theologicæ Deputatis hac ratione, & exhibito scripto explicata, a supremæ Inquisitionis Senatu, a quo ut discuteretur prædicta Facultas Lovanienſis enixe postulaverat, absque censura ulla dimissa fuerit. At de hac re iterum. Nunc enim tantum inquirimus Bajanum sensum: de quo mentem Porphyrienſis Episcopi satis, superque manifestam existimo.

Le Drou diss. 4. cap. 1. pag. 360.

Confut. Discuſ. Theol. pag. 452.

VII. Leonardus Vanroy in Universitate Lovanienſi Sacræ Theologiæ Professor cap. 1. de Caritate quæst. 6. agit de caritate & cupiditate, & ad articulum 38. Baji, *Omnis amor creaturæ rationalis, &c.* ait, *Articulum censuratum longe* a nostra sententia *discrepare, quia non admittit medium inter vitiosam cupiditatem & caritatem, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur, quæ est justificans. Ita sumitur in Tridentino sess. 6. cap. 7. & apud S. Aug. serm. 163. alias 3. de Verbis Apostoli, & alibi frequenter. Porro inter hanc caritatem, scilicet habitualem, seu justificantem, & vitiosam cupiditatem agnoscimus amorem medium, scilicet caritatem late dictam, seu dilectionem Dei propter se, quæ etiam in peccatoribus reperitur.* Postquam hoc ex aliis damnatis articulis demonstravit, ulterius ostendit latere etiam in art. 38. errorem maximum, si ita accipiatur de caritate, & cupiditate actuali, ut quod ex caritate non oritur, procedat ex cupiditate, atque intrinsecus sit peccatum, *Quia Bajus*, inquit, *non agnovit medium inter caritatem, & cupiditatem stricte dictam, quæ est actus in se malus, & vitiosus: porro nos officia quædam bona inter caritatem, & istam cupiditatem media agnoscimus.*

Vanroy tom. 2. pag. 158.

VIII. Benignus Sichrovvsky, qui Theologiam Scholasticam in lucem edidit anno 1720. qu. 3. de virtutibus art. 8. num. 127. agit de sensu propositionum Baji; ac primo docet cum Cardinali Norisio, quod *Bajus admisit solam gratiam sanctificantem, quæ nequit stare cum peccato:* deinde num. 128. concedens Bajum locutum fuisse de caritate actuali, eatenus damnatum pronuntiat, quatenus asseruit virtutum officia, quæ non referuntur in Deum, produci a cupiditate, & intrinsecus esse peccata. *Videndus*, inquit, *sensus Baji, & sensus Beatissimi Patris Augustini. Bajus igitur asserit lib. 2. de Virtut. Impiorum cap. 4. virtutum officia, dum in Deum non referuntur, esse peccata, sive non recte a peccato vindicari: & ideo ex omissione relationis in Deum vitiari moraliter, & fieri intrinsece mala & peccata. At vero Beatissimus P. lib. 4. contra Jul. cap. 3. ait, officia, seu opera virtutum esse moraliter bona ex objecto, & mala tantum ex fine, quia scilicet non referuntur in ultimum finem, in quo debent quiescere, &c.* Reliquos laudabo differtat. 3. quantum enim ad præsens pertinet institutum, exploratissimum esse reor, quod nostrum de proscripto propositionum Baji & Quesnelli sensu judicium peculiare non sit, neque e cerebro productum nostro, sed a viris gravissimis præmonstratum, ut vidimus superioribus paragraphis, ab Augustinensibus vero unanimiter receptum, probatumque, ut dictum est hactenus.

Tract. 6. pag. 150.

§. VI.

Evincitur eos, qui docent propositiones Quesnellianas de caritate proscriptas fuisse in sensu caritatis habitualis, aut justificantis, id asserere librato, æquissimoque judicio.

JAm vero Augustinianis Theologis articulum 38. Baji, & Quesnellianum 44. interpretantibus de caritate habituali, justificante, & in corde justorum regnum imperiumque exercente, atque de regnante ac dominante cupiditate inficiente quælibet opera hominum impiorum, non posse novitatis studium opponi, producta monumenta commonstrant. Quod enim spectat ad Bajanam propositionem, pugnat pro illis cum illustrium Theologorum auctoritas, tum ratio multiplex petita ex aliis Baji assertionibus: & quod attinet ad Quesnellianam, habent pariter ex testimonio exterorum, atque ex aliis Quesnellii thesibus validissima interpretationis suæ patrocinia. Quum testimonium illud, & quidem plurimorum, quarta sectione produxerim; proferam nunc depromptas a Quesnellii articulis probationes, ex quibus facile erui possit judicii a tot, tantisque viris pronuntiati æquitas & rectitudo.

I. Ipsa primum propositio 44. postulat, ut ponderatis verbis, obvioque istorum sensu spectato, enuntiata dicatur de caritate justificante. Agit enim de amore, *qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*. Profecto amor, qui omnia agit propter Deum, est regnans, dominans, ac tali imperio actionibus singulis præsidens, ut nullam a recto ordine sinat deviare: quare sub tali amore omnia rectissima sint, habeantque æternæ mercedis meritum, necesse est. Hinc damnato articulo ea verba apponuntur, *quemque Deus remuneratur*. Ea namque caritas, quam remuneratur Deus, est habitualis, & justificans, quam ad meritum requiri docet adversus hæreticos Fides Catholica: non enim ante justificationem datur meritum; alioqui non diceremur *gratis justificari*, ut definit Tridentina Synodus sess. 6. cap. 8. Conferas propositiones 55. & 56. Hinc sua sponte fluit planissima hæc ratiocinatio: Loquitur Quesnellius de illo amore Dei, qui omnia agit propter Deum, & quem Deus remuneratur. At amor, qui omnia agit propter Deum, & quem Deus remuneratur, est caritas habitualis, justificans, & prædominans. Ergo de caritate habituali, justificante, & prædominante loquitur Quesnellius. Hanc ratiocinationem suppeditavit nobis Pater Le-Fontaine in Constitutione *Unigenitus* Theologice propugnata p. 2. pag. 266. atque in Synopsi ejusdem propositionis cap. 1. quæst. 4. ut constat ex §. 4. num. 8. & 10.

II. Propositio 45. est hujusmodi: *Amore Dei in corde peccatoris non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. Hæc, & sequentes, ut ait auctor Bajanismi Redivivi pag. 63. *eumdem sapiunt & præseferunt errorem*, qui in propositione 44. comprehenditur. Articulus iste enuntiatur de peccatore, in quo non regnat Dei amor, & in quo regnat carnalis cupiditas, ideoque de peccatore, qui est destitutus gratia sanctificante; is enim est sub lege peccati, & regnante Dei amore privatus. Idem ergo docuit hoc articulo Quesnellius, quod tradiderat Bajus propos. 35. & 40. de quibus §. 3. num. 4. quod & observat Le-Fontaine citato in loco pag. 362. ideoque sensus pravus Quesnellianæ 45. est, impium caritate justificante destitutum, legi ac dominio cupiditatis regnantis subjectum esse, cui noxiæ cupiditati obsequitur, obtemperatque in omnibus actionibus suis, quæ proinde veneno præsentissimo concupiscentiæ vitiantur, & corrumpuntur. Quare itidem ratiocinamur: Eumdem errorem Quesnellianæ 44. sapit, ac præsefert Quesnelliana 45. Sed Quesnelliana 45. proscripta est in sensu caritatis justificantis, & in sensu dominantis cupiditatis. Igitur in sensu caritatis justificantis, & in sensu dominantis cupiditatis damnata est propositio 44. Quesnelliana.

III. Idem dicendum de propositionibus 46. 47. 48. 49. 50. quæ omnes eo collineant, ut nullum opus bonum agnoscant absque caritate. Quidquid Quesnellius obganniat; apertum est in obvio sensu enuntiari illas de caritate justificante. Hæc proprie dicitur CARITAS ab Apostolo ad Coloss. 3. 14. ubi illam appellat *vinculum perfectionis*: a S. Thoma scribente q. 1. de caritate art. 11. *Quælibet caritas sufficit ad salutem:*

tem : ab ipso Quesnello ad cap. 1. Joannis 3. universim de caritate pronuntiante, *nullum cum illa componi peccatum mortale*. Hæc non e penu nostra promuntur, sed ex lucubrationibus Propugnatoris Constitutionis Clementinæ in Synopsi ad propos. 44. cap. 1. qu. 3. Etsi dogmatistes subtesta fide reponat, agere se de caritate actuali, suis tamen principiis refellitur : nam in præmissis propositionibus pertractat de caritate, unde profluit legis obedientia, cui in ejus sententia adversamur quotiescumque *amor Dei non dominetur ut principium, & motivum actionum universarum*. Ita nempe Quesnellius docuit in suis observationibus in Lucam, 10. 27. Ubique sui similem adinvenimus, enimvero & hinc sequitur omnia opera ex caritate non procedentia transgressiones esse divinorum præceptorum, & intrinsecus peccata esse. Utamur itaque ratiocinatione consimili præcedentibus : Propositio 44. Quesnellii sensum præsefert, quem præseferunt propositiones aliæ de caritate. Atqui hujusmodi propositiones præseferunt sensum de caritate habituali, aut de caritate actuali dominante, sine qua juxta Quesnellum omnia corrumpuntur a regnante cupiditate. Igitur hunc sensum de caritate habituali, aut de caritate actuali dominante, sine qua omnia a regnante cupiditate corrumpuntur, præsefert quoque propositio Quesnelli quadragesima quarta.

IV. Propositione 51. ait Quesnellius : *Fides justificat quando operatur ; sed non operatur, nisi per caritatem*. Ex hac defensor Constitutionis citata qu. 3. synopsis hanc argumentationem depromit. *Hæc enuntiatio continet evidenter propositionem hanc*, Fides justificat quandocunque operatur per caritatem : *sed per omnem caritatem simpliciter dictam operatur fides, ut certum est ; ergo omnis caritas simpliciter dicta Quesnello justificat : quod argumentum est tam ineluctabile, quam quod maxime*. Adde aliam argumentationem æque perspicuam : Fides operatur in iis, qui credunt, qui sperant, qui timent, qui se ad justificationem disponunt. At juxta Quesnellium fides justificat quando operatur ; ergo justificantur qui credunt, qui sperant, qui timent, qui se ad justificationem disponunt. Duo obiter notanda sunt : primum in sensu Quesnellii nullum admitti absque caritate alicujus virtutis opus : alterum ex suis principiis Quesnellium cogi ad adstruendam cum Bajo justificationem absque remissione peccatorum. Istud manifestum consectarium est : illud vero etiam expresse traditum propositionibus 48. 49. 57. & 58.

V. De amore illo Quesnellus loquitur, ubicunque pertractat de amore Dei, qui proculdubio perutilis est, actiones Christianas facit, Deo loquitur, Deumque honorat. Vide propositiones 53. 54. & 56. Debet ergo hujusmodi amor esse ex gratia Christi, maxime quum nec naturalem, honestumque amorem aliquem Bajus admiserit sine gratia, qui amor legi non repugnet, non sit a cupiditate vitiosa, & damnationi non sit obnoxius, ex propos. 40. *Sine gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem*. At enim per Quesnellium gratia nullum in peccatore producit salutarem effectum ante justificationem remissionemque peccatorum ; nam est ejus assertio 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Priusquam ergo peccatori Deus peccata remittat, nullus erit amor innoxius, quoniam nullus erit effectus gratiæ : ideoque commendans Quesnellius Dei amorem & caritatem, de amore & de caritate verba facit, cui gratia sanctificans antecedit. Pugnat hoc quidem cum illo consectario, de quo numero præcedenti, & antilogiæ Quesnellium revincit ; sed egregie tamen intentum nostrum confirmat ; ad hunc enim modum ratiocinamur, Omnis effectus gratiæ aut est remissio peccatorum, aut peccatorum remissionem supponit, si verum sit, quod ait Quesnellius, *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Sed omnis Dei amor est effectus gratiæ. Ergo omnis amor, si verum sit quod ait Quesnellius, aut est remissio peccatorum, aut peccatorum remissionem supponit. Præclare defensor Constitutionis in Synopsi propos. 44. cap. 1. qu. 5. *Per propositionem 44. omnis volitio & actio, ut bona sit, procedere debet ex amore Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur ; sed talem amorem necessario prævenit gratia, ut certum est, & ultro Quesnellus agnoscit in propos. 39. & 40. Atqui per propos. 28.* Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio. *Ergo in Quesnelli systemate omnis actio bona, ut prærequirit gratiam, ita etiam necessario prærequirit justitiam, & caritatem habitualem*. Ex dictis perspicuum est propositionem Quesnellianam 44. ceteraque de caritate enuntiatas, tuisse proscriptas in sensu caritatis habitualis, aut justificantis ; idque demonstratum est Scriptorum plurimorum auctoritate, & collatione ipsarum propositionum, quæ illorum Scriptorum judicium prudens, ratum, legitimum, atque optimum esse manifestissime evincunt.

§. VII.

Referuntur alii pravi sensus Bajani articuli 38. *& demonstratur quo item sensu ab Alexandro VIII. damnata sit propositio* 7. *inter* XXXI. *Ex dictis duo apertissima Corollaria inferuntur.*

FAcile unusquisque ex dictis conjiciet, sensum damnatum in articulo trigesimo octavo Baji esse, quod nullus alius admitti debeat creaturæ rationalis amor, præter caritatem habitualem aut justificantem, & præter dominantem ac regnantem cupiditatem, ita, ut omnia, quæ justificationem præcedunt, ex noxio amore derivent, & intrinsecus sint peccata. Auctores, qui ante Constitutionem *Unigenitus* adversus Bajum stylum exercuerunt, & qui eamdem Constitutionem subsecuti Quesnellianum dogma oppugnarunt, necnon series, & ordo doctrinæ, quam & Bajus, & Quesnellius ubique disseminarunt, id luculentissime ostendent. A damnato itaque illius articuli sensu plurimum recedunt, qui ajunt præter caritatem habitualem, aut justificantem, dari amorem innoxium, rectumque a gratia actuali, non sanctificante, excitatum, & præter cupiditatem dominantem dari, etiam in impiis, amorem aliquem ab ipsa cupiditate non procedentem, nec sibi intrinseca ejusdem cupiditatis labe contaminatum. Latent tamen in illo Bajano articulo sensus alii perversi ; quos, ut magis appareat Augustinianæ sententiæ a novantium dogmate discrimen, in præsentia subjiciam.

I. Secundo ergo loco commemorandus est sensus *caritatis actualis*, quæcunque sit, sive justificans, sive non justificans, & *cupiditatis actualis* itidem quæcumque sit, seu prædominans, seu non prædominans. Nam si velit Bajum docuisse, omnes actiones, quæ non fiunt ex caritate actuali, fieri ex actuali cupiditate, a qua intrinsecus corrumpantur ; ultro lubenterque concedam, doctrinam hanc erroneam esse, atque hæreticam, utpote quæ inter vitia & peccata detrudat officia quælibet moralium virtutum, necnon actus fidei, spei, ac timoris, quibus ad justificationem disponimur, & quorum principium non est amor benevolus, quoniam iidem actus hunc potius præcedere solent, atque antevertere. Dixi de hoc sensu §. 1. num. 3. Hinc Bajanos asserere *nullum esse virtutis actum, qui non sit Dei propter se amor : virtutes non aliter esse diversas, quam diversitate & multiplicitate actuum caritatis : amorem virtutis propter se non esse honestum, sed turpem & vitiosum : detestationem peccati ortam ex timore vitiosam esse, peccare qui peccatum pœnæ formidine detestantur, ac talem detestationem nulla ratione disponere hominem ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ consequendam*, animadvertit Joannes Martinez de Ripalda disput. 3. adversus Bajum sect. 4. In hoc sensu damnatus est art. 38. quatenus inde infertur, *solos caritatis actus studiosos & laudabiles, ita ut opus misericordiæ ad sublevandam pauperis egestatem relatus, sit actus vitiosæ & damnatæ cupiditatis* ; & idem dicendum sit *de actu temperantiæ, & fortitudinis, immo & ipsius religionis*, ut testatur Ludovicus Bail ad eumdem articulum. Eumdem sensum reprobant, qui ajunt omnem caritatem actualem esse justificantem juxta sensum Baji ; nam hoc etiam præciso, sit ne, an non sit locutus Bajus de caritate justificante, fide tenendum est, non omnem actionem & volitionem, quæ non oritur ex Dei caritate, esse vitiosam ; alioqui vitiosus etiam foret actus fidei caritati prævius ; ut bene ratiocinantur adversus Quesnellum auctores prælaudati. Atque pravum hunc, perversumque sensum præsertim perstringunt recentiores, ut constat ex Honorato Tournely de Grat. qu. 4. artic. 2. Idem Anonymus hunc nefarium sensum indigitat scribens pag. 29. *Si nomine peccatoris intelligas eos omnes, qui non operantur ex motivo caritatis, consequens est juxta principium Baji in propositione* 38. *enuntiatum, quod peccator semper agat ex motivo cupiditatis, ac proinde quod semper peccet. Illud diserte docet in propositionibus sequentibus, &c.* producitque & ipse propositiones Baji 35. & 40. de quibus §. 3. num. 4. Gratanter hæc audimus : perversissima enim sententia est, quæ docet omne opus, quod non fit ex caritate, fieri ex cupiditate, & semper peccatum esse ; sed optamus, ne ab adversariis nostris idem sensus attribuatur doctrinæ eorum, qui ajunt omnia ex caritate, qua in Deum referantur, facienda esse, ut undique bona sint, nec sit omissio aliqua debiti finis ex parte operantis : at negant ea, quæ in Deum non referuntur, semper a cupiditate oriri, & intrinsecus esse peccata : quod est nostratium a Bajanistis latissimum amplissimumque discrimen, ut præmonui §. 1. num. 4. Hoc interim discrimine prænotato, iterumque repetito ; adversus Bajum fatendum est dari amorem honestum, ac naturalem, E. G. parentum, & propinquorum,

Ripalda de Ente supernat. tom. 3. pag. 29. edit. Colon.

Bail par. 2 pag. 131.

Tournel. pag. 411. Edit. Venet.

nec-

necnon actus moralium virtutum, qui licet in Auguſtiniana Theologia non ſint ſpectata omni circumſtantia laudabiles, ſubſtantia tamen ſua boni ſunt, neque a cupiditate promanant, neque ab ea corrumpuntur.

II. Continetur alius ſenſus reprobandus in articulo 38. cum enim univerſalis ſit, & de *omni amore* enuntietur; comprehendit quoque amorem illum beatitudinis innatum, quem in tot, tantiſque miſeriis creatura rationalis nunquam potuit amittere. Hinc Joannes Lenſæus in ſua Expoſitione refutans eumdem articulum 38. *Eſt indubie medius* (inquit) inter cari-
Lenſæus cap. 5. pag. 168. tatem, & cupiditatem, *amor, quem naturæ amor inſeruit, quo beatitudinem omnes appetunt*, ſubinde commemorans amorem alium naturali lege præſcriptum, erga parentes, amicos, conjuges, liberos, &c. de quo
In Vind. cap. 3. §. 4. tom. 1. pag. 944. num. præcedenti. Ea propter doctiſſimus Noriſius nuperrime Bajani erroris a ſe, nobiſque diſpellens, ac pertractans in Vindiciis de Virtutibus infidelium, ſibique objiciens cenſuram ac damnationem Bajanæ propoſitionis 25. *Omnia opera infidelium ſunt peccata*, inquit: *Sed hac cenſura S. Patris ſententia neutiquam percellitur. Etenim hic palam concedit in infidelibus aliqua opera bona in prima ſaltem ſui productione, ex gratia tamen donata. Præterea etiam ſine gratia homo appetitu innato ex Auguſtini ſententia amat ſummum bonum; nullus enim eſt, qui non velit eſſe beatus.* Similia Noriſius ſcribit in Parallelo, ut poſtea dicam. Præterea cum Bruno Neuſſer, aut quiſquis ſit auctor *Prodromi Velitaris* adverſus ipſum Noriſium, ut evincat hunc adhærere Bajo, & ab Auguſtino recedere, *Addis* (inquit) *unum ſupra non tactum, quod ſcilicet homo appetitu innato ſummum bonum amet, qui certe appetitus peccatum eſſe, aut dici nequit: ex Auguſtino igi-*
Prodrom. Velit. pag. 30. *tur omnia infidelium opera non ſunt peccata.* Cui argumento Cardinalis ampliſſimus diu multumque in his controverſiis exercitatus ad marginem Codicis Angelicæ Bibliothecæ hanc propria manu reſponſionem appoſuit: *Hæc eſt probatio noſtræ ſententiæ. Amor ortus ex appetitu innato ſemper bonus eſt. O ſtulte, intelligis?* Quæ verba idem profecto ſonant, ac ſi dixeris: Si inter noxiam cupiditatem, & caritatem per Spiritum Sanctum diffuſam medius eſt amor ortus ex appetitu innato beatitudinis, qui nec eſt vitioſa cupiditas, nec eſt laudabilis caritas; quo jure Auguſtinenſes, qui amorem illum bonum eſſe fatentur, tanquam Baji diſcipuli traducuntur atque infamantur, quaſi in peccatoribus, & infidelibus caritate illa deſtitutis omnia ſint peccata, & nil inveniatur boni, nil recti, nil a vitioſa cupiditate minime contaminatum.

III. Quemadmodum vero ex univerſali Bajana enuntiatione, *Omnis amor &c.* ſequitur non dari amorem aliquem bonum, qui non ſit laudabilis caritas, rejecto quoque amore beatitudinis innato; ita ſequitur non dari cupiditatem aliquam, quæ prohibita non ſit Evangelica lege, & hujus tranſgreſſio ac peccatum exiſtimari non debeat, quamquam ſit motus concupiſcentiæ indeliberatus, omnemque deliberationem præveniens. Atque hic eſt ſenſus quartus ex illa enuntiatione fluens, horrendus plane, & execratione digniſſimus. Hanc fuiſſe doctrinam Baji apparet ex ejus propoſitionibus 48. & 49. *Prava deſideria, quibus ratio non conſentit, & quæ homo invitus patitur, ſunt prohibita præcepto*, Non concupiſces. *Concupiſcentia, ſive lex membrorum, & prava ejus deſideria, quæ inviti ſentiunt homines, ſunt vera legis inobedientia.* Adverſus hunc Baji errorem ſcripſit in ſua Expoſitione Joan-
Lenſ. Op. Baji p. 2. pag. 177. nes Lenſæus: *Nullo pacto vera eſſet peccatorum juſtificatio, ſi motus ii carnis, quos inviti adverſus ſpiritum rebellantes ſentimus, eamdem quam prius, cum voluntarii eſſent, retinerent peccati rationem: nec poſſent tamen veram propriamque peccati rationem exuere, ſi veram legis tranſgreſſionem & inobedientiam continerent; quocirca ſtatuendum eſt motus concupiſcentiæ pravos pro vitiati hominis ſtatu prohibitos non eſſe præcepto*, Non concupiſces, *hominemque eos ſentientem, ſed non conſentientem, legis prædictæ pronuntiari non debere tranſgreſſorem.* Tam pertinaciter Bajus huic errori adhæſit, ut etiam in *Apologia*, edita ad cenſuras a ſe avertendas, tametſi dixerit motus concupiſcentiæ, quos inviti patimur, nobis non imputari ad reatum, in eis tamen reperiri ait veram præcepti tranſgreſſionem. Paradoxum ſane, quod detur verum peccatum, quod divino præcepto teneamur vitare, & tamen nobis non imputetur ad culpam. Nihiloſecius paradoxum iſtud
Bajus p. 2. Op. pag. 107. Bajus deglutivit, ſcribens citato in loco: *Unuſquiſque fidelium ex præcepto* Non concupiſces, *tenetur non concupiſcere: ſed quandiu id facto præſtare non poteſt, tandiu voluntas ei pro facto reputatur, ut peccator reus non habeatur.* Atque poſt pauca affirmat, *concupiſcentiam habitualem divina lege prohiberi, & non poſſe defendi, quomodo concupiſcentia apud Auguſtinum peccatum ſit, ſi non ſit contra præceptum*: cum tamen ab Auguſtino, immo & a Tridentina Synodo, concupiſcentia appelletur *peccatum*, quia pœna peccati eſt, & ad peccandum inclinat; prout demonſtravi lib. 12. cap. 13. & lib. 13. cap. 5. pertractans de concupiſcentia adverſus Pelagianos, atque lib. 16. cap. 3. ubi diſſerens de libertate indifferentiæ Bajanam hanc doctrinam exagitavi. Præterea quum Joannes Heſſelius Lovanienſis eadem cum Bajo circa concupiſcentiam dogmatizaſſet, Henricus Gravius Catechiſmum Heſſelii editurus, plura diligentiſſime caſtigavit, atque hæc addidit ad præceptum illud decalogi, Non concupiſces, *Non quilibet motus pravæ concupiſcentiæ caritatem, atque juſtitiam evertit.* Id cum Bajus ægre ferret (ſibi enim Heſſelius in pluribus erroribus adhæſerat) de emendato, & caſtigato Catechiſmo graviſſime cum Gravio per epiſtolam conqueſtus eſt: cui & Gravius reſpondit proferens hanc factæ a ſe emendationis rationem; *Ceterum quod ad ultimorum duorum Decalogi præceptorum, ſeu Paulini illius*, Non concupiſces, *interpretationem attinet; video Dominationem veſtram etiamnum in ea hærere ſententia, quam Pii V. Bulla aperte damnavit*: & paullo infra fatetur a ſe verba Heſſelii permutata fuiſſe, quod ſciret, *Carentiam ab omni concupiſcentiæ malo verbis illis*, Non concupiſces, *non proprie abſoluteque præceptam eſſe*. Apparet inſuper Baji in hoc errore tenendo ingenium pervicax ac delirans ex longiori Epiſtola ad Gravium conſcripta, in qua rurſus nititur demonſtrare omnem concupiſcentiæ motum eſſe peccatum; 1. *quia in hac vita a nobis exigitur, ut nulla habeamus carnis deſideria*. 2. *quia de primo homine veriſſime dicitur, quod non fuit ei prohibitum, ne concupiſcentiam malam invitus pateretur: ſi tamen docendi gratia ponatur, eadem pati potuiſſe quæ ſancti inviti patiuntur, præcepti tranſgreſſor fuiſſet*. 3. *quia non eſt poſt hominis lapſum facta aliqua hujus præcepti mutatio, neque aliter dictum fuit primo homini ante peccatum*, Non concupiſces, *quam poſtea dictum eſt in monte Sinai homini corrupto*: additque Bajus plura, quibus errorem ſuum de motibus indeliberatis concupiſcentiæ inter peccata adnumerandis pertinaciſſime defenſitat. Poterant hæc breviter attingi; nam & Suarius citatus §. 2. num. 2. de Bajo inquit, *Dicit motus concupiſcentiæ etiam involuntarios eſſe peccata*: immo & ipſe Anonymus pag. 40. Baji aſſerta deſcribens, *Docet inſuper*, ait, *in propoſitionibus infraſcriptis motus concupiſcentiæ, quos homo invitus patitur, prohibitos eſſe lege divina, licet in peccatum non imputentur*, ſubjiciens articulos Baji errorem hunc enuntiantes. Cur tamen de his fuſiori ſtylo pertractaverim, dignoſcetur in decurſu harum vindicationum. Interim hinc iſtud eruitur, Auguſtinenſes, qui negant involuntarios concupiſcentiæ motus eſſe peccata, legiſque tranſgreſſiones, etiam in hoc a Bajano dogmate diſtare plurimum, quod inter caritatem laudabilem, & cupiditatem vitioſam agnoſcunt medios iſtiuſmodi motus, quos Bajus peccata & tranſgreſſiones appellat. Atque Noriſius noſter hac etiam adhibita reſponſione Baja-
Noris in Parallelo tom. 1. pag. 1344. ni erroris a ſe calumniam propulſat recitatis verbis Patris Macedi tom. 2. Collat. 10. ſect. 3. pag. 590. col. 2. hæc ſcribentis: *Reſpondetur tertio, & melius me quidem auctore, eas propoſitiones prolatas a Bajo in rigore & univerſaliter falſas omnino, & damnandas eſſe, & prorſus alienas a mente Auguſtini: nam illa propoſitio*, Omnia opera infidelium ſunt peccata, *ita univerſim accepta reprobanda eſt, cum multa opera fiant ab infidelibus indeliberata & ſine advertentia, non pauca ex ignorantia invincibili, quædam poſſint eſſe ex lumine fidei, quæ certe peccata non ſunt: igitur falſum eſt, quod omnia opera infidelium ſint peccata. Apparet autem Auguſtinum de operibus tantum deliberatis, & ante omnem fidem & gratiam fuiſſe locutum, cum dicat ea ex defectu debiti finis prava fore.* Similia habet P. Macedo in *Cortina* pag. 248. Ita Cardinalis Noriſius (quod ne lectoris memoria excidat obſecro, obteſtorque) ſententiam P. Macedi, Auguſtinianam, ac propriam a Bajano errore longe remotam eſſe demonſtrat.

IV. Demum ex quo Bajus nullum aliud agnoverit principium bonorum operum præter *caritatem*, conſequens eſt omnes in ejus ſyſtemate virtutes perire, caritate ex hominum corde ſublata; ſeu nullam aliam dari virtutem, quæ a benevolo Dei amore ſit indiſtincta, aut ſegregata, aut ſaltem quæ ab eodem amore ſejuncta in cupiditatem, in vitium, atque in turpitudinem non degeneret. Obſervavit id Ripalda loco citato num. 1. & diſput. 22. contra Bajum ſect. 1. ubi ait: *Michael Bajus conſtanter aſſerit nullam eſſe*
Ripalda pag. 465. *virtutem, quæ ad caritatem infuſam non pertineat, nullumque veræ virtutis actum, qui non ſit elicitus a caritate, nimirum a caritate infuſa, ut ſemel iterumque repetit.* Quadrat hoc cum propoſitione 16. *Non eſt vera legis obedientia, quæ ſit ſine caritate*, & cum 40. *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati*: unde infertur, quod caritate deſtitutus ſemper legem tranſgrediatur, & quidquid agit, fœdiſſimum ſit, utpote a vitioſa cupiditate profectum. Caret itaque in ſenſu Baji peccator *habitibus* fidei, ſpei, alia-

De Theol. diſcipl. tom. 2. pag. 534. tom. 3. pag. 49. & 297.

Catech. Heſſel. pag. 498. edit. Lovanii.

In Cod. Ms. Angel. Bibliotheca. num. 32. extat Epiſt. Gravii pag. 8. & 9. nec non Epiſt. Baji pag. 42. & 43.

aliarumque virtutum; aut si hi habitus in illo permanent, contaminatos tantum actus producunt, ut non jam virtutes bonorumque operum fontes, sed vitia malorumque radices censeri debeant. Adoptavit, ebibitque monstrosi hujus dogmatis venenum Quesnellius ausus dicere fidem non operari nisi per caritatem, atque ubi hæc non est, totum deesse, spem, Deum, religionem, omnia. Videsis proposit. 51. 57. 58. Instaurarunt eamdem monstrosam pernicioſissimamque doctrinam assertores propositionum, quas anno 1690. die 7. Decembris Alexander VIII. confixit, a septima usque ad decimamquintam. In quibus omnem actionem, quæ non est amor Dei, concupiscentiam dixere, atque inter vitia recensuerunt odium ac detestationem peccati, fidem quoque, spem, ceterarumque virtutum actus, si caritate caruerint. Recte Auctor Opusculi, quod §. 4. nu. 45. diximus summopere commendari ab auctore Bibliothecæ Jansenisticæ, nostroque idiomate impressum esse, ait in systemate sectatorum Baji, Jansenii, & Quesnellii, *non agi de habitibus infusis, quoniam sola delectatio prædominans omnia vertit in bonum aut malum, in virtutem aut vitium.* Igitur adversus Bajum ejusque gregarios admittendi sunt actus virtutum, qui non proficiscuntur a caritate, ipsarumque virtutum habitus, qui sæpenumero bonos suos actus producunt; qui actus licet a caritate non eliciantur, aut imperentur, non tamen sunt intrinsecus vitiosi, nec illa cupiditas, quæ a Joanne prohibetur, seu concupiscentia carnis, sunt appellandi.

V. Commemoravi nuper propositiones ab Alexandro VIII. proscriptas, in quarum septima contineri sensum articuli 38. Baji, scribit Anonymus, uti dixi §. 1. nu. 6. Id nec ego diffiteor, si sermo sit de sensibus, primo, secundo, & ultimo loco explicatis; nam in illa propositione de actionibus tantum deliberatis fit sermo. In illa ergo thesi, *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, caritas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est:* in illa, inquam, thesi multiplex latet error. Ac primus est, quod omnis dilectio Dei sit *caritas* usitato vocabulo accepta pro gratia sanctificante, aut pro amore perfecto cum gratia sanctificante conjuncto; ac pariter quod omnis amor mundi sit concupiscentia dominans, quæ non solum in se fœda sit, verum etiam hominis, in quo regnat, actiones omnes corrumpat. Ab hoc sensu non abhorrere damnatarum propositionum auctorem constat ex 8. & 11. in quibus de infideli, in quo minime regnat caritas, ait, *Necesse est infidelem in omni opere peccare*, &, *Omne, quod non est ex fide christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.* Alter error est: quod ubi non est caritas actualis, sit actualis concupiscentia, adeo, ut opus quod non procedit a caritate, sit effectus concupiscentiæ, ideoque *intrinsece* corruptum, ac per se malum: hunc vero sensum adstruit auctor propositione 9. in qua non veretur connumerare inter vera peccata detestationem peccati ob illius turpitudinem: si nullus adsit benevolus amor, per quem odio habeatur propter Deum: inquit enim, *Revera peccat qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu.* Tertius error est, quod statuta duplicis illius amoris, caritatis, & concupiscentiæ partitione, ad quorum unum, vel alterum reducatur omnis *actio deliberata*, sequitur absque caritate nullum dari actum fidei, aliarumve virtutum; aut si dantur, non esse motus bonos ac supernaturales, sed motus perversos vitiosæ cupiditatis, quod assertor pronuntiare ausus est prop. 12. 13. 14. & 15. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana. Quisquis æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, caritate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur. Timor gehennæ non est supernaturalis. Attritio, quæ ex gehennæ & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.* Hos omnes sensus, & si qui sunt alii his affines, damnant reprobantque Augustinenses Theologi: qui licet in omni actione deliberata exigant amorem benevolum, quo referatur saltem *virtualiter* in Deum, non tamen affirmant actiones deliberatas, quæ ita non referuntur, esse vitiosam cupiditatem, & carnis concupiscentiam, sed tantummodo destitutas ajunt rectitudine ultimi finis; quod nullatenus illas corrumpit, ut commenti sunt novatores.

COROLLARIUM I.

Demonstratum est ergo in articulo 38. Baji multiplicem, & hæreticum sensum contineri.

1. In sensu Baji inter cupiditatem habitualem & cordi prædominantem, atque inter caritatem habitualem, seu justificantem, non datur amor aliquis bonus a gratia actuali non justificante productus.

2. In sensu Baji inter cupiditatem & caritatem actualem non datur amor aliquis, neque ulla actio, quæ non oriatur a cupiditate, a qua juxta Bajum quidquid non fit ex caritate, inficitur & corrumpitur.

3. In sensu Baji inter cupiditatem & caritatem non datur amor procedens ex appetitu innato beatitudinis, qui amor non sit aut vitiosa cupiditas, aut caritas laudabilis.

4. In sensu Baji inter cupiditatem prohibitam, & caritatem præceptam non dantur motus concupiscentiæ, qui, etiamsi homo illos patiatur invitus, non sint vera legis inobedientia, & transgressio.

5. In sensu Baji inter vitiosam cupiditatem, & caritatem laudabilem non datur aliquis actus bonus proficiscens ab habitibus virtutum, quæ a caritate distinctæ sint, aut saltem ab ea separatæ non degenerent in vitia, exerantque actus intrinsecus malos, & cupiditate corruptos.

COROLLARIUM II.

Hinc vero apertissime sequitur, non posse salva æquitate, ut modestissime loquar, Augustinianos Theologos insimulari tamquam assertores illius articuli 38.

1. Si inter caritatem habitualem, aut justificantem, atque inter cupiditatem habitualem, & cordi prædominantem, admittant amorem aliquem bonum a gratia actuali non justificante productum.

2. Si inter cupiditatem, & caritatem actualem admittant actus amoris, & actiones plurimas non procedentes ab illa cupiditate, a qua juxta Bajum quidquid non fit ex caritate, inficitur & corrumpitur.

3. Si inter caritatem & cupiditatem agnoscant amorem, sive appetitum innatum beatitudinis, qui non sit caritas laudabilis, nec vitiosa cupiditas.

4. Si inter cupiditatem prohibitam, & caritatem præceptam admittant indeliberatos concupiscentiæ motus, quos homines patiuntur inviti, qui motus non sint vera legis inobedientia, & transgressio.

5. Si inter vitiosam cupiditatem, & caritatem laudabilem admittant actus bonos elicitos ab habitibus virtutum, quæ a caritate distinctæ sunt, atque ab ea separatæ exerunt actus suos, qui non sunt intrinsecus mali, neque a cupiditate corrupti.

§. VIII.

Notæ, & responsiones ad ea, quæ ab Anonymo proferuntur, circa sensum Bajani articuli 38.

AUdiendus modo Anonymus demonstraturus propositionem Baji tricesimam octavam intelligi non debere *de caritate & cupiditate habituali*, & quod de hac habituali caritate & cupiditate intelligenda sit contendere *novatores, ut censuram illius propositionis effugiant*: ita enim scribit *Bajanismi redivivi* pag. 47. Quibus, quantisque viris Novatorum probrosissimum characterem adscribat, ne Auctorum, qui locutum Bajum de caritate & de cupiditate habituali affirmaverunt, testimonia & nomina repetam, neminem arbitror ignorare. Forte ipse Anonymus singulos rationum pondere superat, eorumque allucinationem revincit. Tanto ergo viro, cui omnes submittere fasces debeant, aures obsequentissimi præbeamus.

I. *Si hæc propositio* (inquit) *intelligeretur de caritate, & cupiditate, non actuali, sed habituali, liceret adhuc post Bullam Sancti Pii asserere, quod omnis actio fit aut ex motivo caritatis, & est laudabilis, aut ex motivo cupiditatis, & est culpabilis, & quod nullum sit inter ea duo medium.* Atque ita, ait, fere omnes propositiones Baji sustineri adhuc possent. *Bajan. Red.* pag. 47.

Ad hæc respondemus propositionem 38. non solum in sensu *caritatis & cupiditatis habitualis* fuisse proscriptam, sed etiam *in sensu caritatis, & cupiditatis actualis*: at in sensu Baji omnis caritas actualis est justificans, & habet meritum vitæ æternæ, quemadmodum omnis cupiditas actualis promeretur sempiternam damnationem, ita ut in Bajano systemate nec etiam *detur peccatum natura sua veniale, sed omne peccatum mereatur pœnam æternam*, ut apparet ex propos. 20. Si vero in sensu Baji omnis caritas actualis est *justificans*, & penes Catholicos justificatio non fit *absque infusione habitualis gratiæ, sive habitualis caritatis, quid aliud venire in mentem Doctoribus Catholicis potuit, quam quod* (juxta Bajum) *justificatio, atque adeo infusus caritatis habitus omnia præcedere debeat bona opera, immo omnia non mala?* Ita Propugnator Constitutionis *Unigenitus*, ut vidimus §. 4. num. 9. Ex quo nota, non solum Anonymo incumbere, ut demonstret Bajum locutum fuisse *de caritate actuali*, sed

ſed etiam ut oſtendat *caritatem actualem* non ſemper juxta Bajum *juſtificare*; alias ineptiis, & cavillulis ludit operam. Nam ſi juxta Bajum omnis *caritas actualis* juſtificet & conferat meritum vitæ æternæ, atque præſtet quidquid præſtat *caritas habitualis*; idem prorſus eſt, ſive dicas propoſitionem triceſimam octavam fuiſſe proſcriptam *in ſenſu caritatis habitualis*, ſive dicas fuiſſe proſcriptam in ſenſu *caritatis actualis*. Ad omnem ergo æquivocationem tollendam probet nobis adverſarius, Bajum non eſſe intelligendum *de caritate habituali, aut actuali juſtificante, & ſanctificante*, quod probare debet, quandoquidem ait pag. 65. *favere erroribus damnatis, qui propoſitionem 38. Baji, aliaſque ſimiles exponunt de caritate habituali, & ſanctificante*. Verum id nunquam probaturus eſt, nunquam omnino. Ut enim oſtendimus §. 3. juxta Bajum non datur diſtinctio duplicis juſtitiæ, quarum una fiat per Spiritum caritatis inhabitantem, altera ex inſpiratione ejuſdem Spiritus excitantis cor ad pœnitentiam, ſed nondum inhabitantis: juxta Bajum non datur duplex vivificatio, quarum una peccatori per Dei gratiam inſpiretur novæ vitæ propoſitum & inchoatio, altera vere juſtificetur, & fiat vivus palmes in Chriſto; juxta Bajum non datur duplex modus implendi divinam legem, uno modo quantum ad præceptorum operum ſubſtantiam, altero quantum ad meritum regni æterni. In ſenſu ergo Baji ubi eſt inſpiratio Spiritus Sancti moventis, eſt etiam Spiritus Sanctus inhabitans: ubi eſt propoſitum & inchoatio novæ vitæ, eſt illa vivificatio qua homo vere juſtificatur, & fit vivus palmes in Chriſto; ubi obſervatur aliquod legis præceptum quoad ſubſtantiam, habetur meritum æternæ vitæ. Quid eſt autem, obſecro, quid eſt gratia Spiritus Sancti inhabitantis, quid eſt gratia, qua vivificatur peccator & fit vivus palmes in vite Chriſto, quid eſt gratia qua lex impletur cum merito vitæ æternæ, niſi *gratia habitualis*, gratia ſanctificans, aut gratia, quæ in ſenſu Baji illud idem efficiat, quod gratia habitualis & ſanctificans præſtat in ſenſu omnium Catholicorum? Ceterum memoria repetendum eſt, damnari a nobis articulum 38. Baji etiam in ſenſu caritatis univerſim acceptæ, ſive ſit juſtificans & habitualis, ſive non; quatenus in eo ſenſu ſignificatur, omne opus, quod non proficiſcitur a caritate, oriri a vitioſa cupiditate, ab iſta corrumpi, & intrinſecus malum eſſe: quod repetimus, ut adverſario omnem calumniandi occaſionem eripiamus. Unum addo, Anonymum contendentem, quod articulus 38. Baji minime damnatus ſit in ſenſu caritatis habitualis ſeu ſanctificantis, non refellere Bajaniſtas, ſed eis potius anſam præbere pertinaciter erroribus ſuis adhærendi; ſiquidem quod in eo ſenſu proſcriptus fuerit idem articulus, Catholici quamplurimi aſſeruerunt. Oportet ergo ad Bajaniſmum refellendum diſtinguere quid veneni inſit damnatæ propoſitioni, ſi de caritate habituali ſit enuntiata, quid vero ſi de caritate actuali, quæcunque ea ſit, enuntietur, & num unus, num multiplex ſit ſenſus erroneus ac pravus; quod in tanta ſectionum, ac adnotationum multiplicitate adverſarius non attigit, aerem verberans, Bajaniſmi dogmata ignorans, & impervias ſibi, ſed vulgatiſſimas Auguſtinenſium ſententias corrodens. Sed audiamus peracutum diſputatorem.

II. *Deſumpta eſt* (inquit) *propoſit.* 38. *ex Opuſculo de caritate: in quo Bajus duplicem caritatem diſtinguit, unam, quæ eſt Deus ipſe, de qua Joannes*, Deus caritas eſt, *& de qua ibi non agitur: alteram, quæ eſt donum Dei, & eſt*, inquit, *ipſe animi motus, quo Deum diligimus, & proximum, qui accidens eſt, & qualitas, de quo dicitur*, Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, &c. *Addit* „ *An vero præter hunc animi motum qui caritas dicitur, alia quædam habitualis, atque accidentalis qualitas in voluntate ponenda ſit, quæ etiam caritas nuncupetur, non magnopere contendendum exiſtimo.* „ *De ea igitur caritate habituali non curat Bajus. Quo ergo fundamento, ne dicam qua audacia, aſſerunt novatores in propoſitione 38. agi de caritate habituali, non vero de actuali, cum caritatem habitualem rejicere videatur Bajus, vel ſaltem hoc genus caritatis non admittere?*

Bajan. ſ. Red. pag. 48.

Reſponderi poteſt ſenſum damnatarum propoſitionum eſſe illum, quem verba præferunt, & qui ex aliis damnatis aſſertionibus erui poteſt, nec opus eſſe ad eumdem ſenſum inveſtigandum lectione librorum, quos Eccleſia interdicit, juxta regulam Suareſii præmiſſam §. 3. num. 1. Cum igitur propoſitiones Baji undecunque promptæ ſint, referant ſenſum caritatis habitualis, aut juſtificantis, ac talis ſenſus inferatur ex aliis Bajanis articulis, ut conſtat ex auctoritate illuſtrium Theologorum, de quibus pertractavi §. 2. necnon ex collatione ipſorum articulorum, ut oſtendi §. 4. conſequens eſt articulum 38. reprobatum, ac damnatum eſſe in ſenſu caritatis habitualis, aut juſtificantis, ac fruſtra provocari nos ad interdictam nobis damnatorum opuſculorum lectionem. Addi poſſet cum celebri Auctore Operis inſcripti, Conſtitutio *Unigenitus* propugnata, cujus verba præmiſi §. 4. num. 9. Eccleſiam Catholicam, Pontifices, & Epiſcopos, quorum conſilium & conſuetudinem ſequi rectiſſimum eſt, nunquam ſibi legem impoſuiſſe hæreticorum, & novaturientium placita inter ſe conciliandi, eaque liberandi ab oppoſitionis vitio. Quid ergo ad me de Bajanis Opuſculis, quando ex Pontificiis Conſtitutionibus certos articulos proſcribentibus reprobatum illorum ſenſum percipio? Poſſet, inquam, id reſponderi, & hac una reſponſione omnes Anonymi conatus non repelli tantum, & frangi, ſed contemni prorſus atque irrideri. Verum optamus, ut quiſque cognoſcat quanta ratiocinandi vi polleat, & an luce meridiana demonſtraverit articulum 38. non eſſe damnatum in ſenſu gratiæ ſanctificantis, quod ſe demonſtraviſſe gloriatur. Ergo contendit Bajum non eſſe intelligendum de caritate habituali & juſtificante, quoniam hoc genus caritatis rejicitur a Bajo, aut ſaltem non admittitur. Haberet ratiocinatio iſta ſpeciem aliquam veri, ſi Bajus caritati actuali illas proprietates doteſque non attribuiſſet, quas communiter Theologi adſcribunt caritati habituali. At cum Bajus id aſſerat de caritate actuali, quod Theologi de habituali unanimiter docent; ratiocinatio Anonymi non eſt digna Theologo argumentatio, ſed luſio ineptiſſima ac puerilis. Nam ſi Bajus rejicit, aut ſaltem non admittit caritatem habitualem, admittit tamen juſtificationem ac meritum vitæ æternæ; proculdubio juſtificationem & meritum vitæ æternæ attribuit caritati actuali, de hac actuali caritate affirmans quidquid Theologi docent de habituali, & de juſtitia inhærente. Cui enim caritati juſtificationem attribuit? Vel actuali, vel habituali. At habitualem non admittit. Tribuit ergo juſtificationem caritati actuali. Nec Theologi bene multi, qui dicunt Bajum agnoviſſe ſolam caritatem habitualem, ad hunc modum loquuntur, quaſi Bajus agnoverit ſolam caritatem inhærentem; ſed quia cuilibet bono operi adſcripſit vim *formaliter* juſtificandi, & promerendi vitam æternam, quæ ſunt attributa habitus caritatis. Porro Bajum cuilibet motui caritatis, & inchoationi novæ vitæ adſcripſiſſe dotes caritatis inhærentis, gratiæ adoptionis, & perfectæ juſtitiæ, demonſtratum eſt ſupra. Nunc breviter confirmatur ex ipſo Opuſculo *de caritate*, atque ex ipſius Anonymi confeſſione. Cap. 2. de Caritate, eodemque in loco, ubi ait caritatem eſſe animi motum, Bajus inquit: *Altero modo dicitur caritas ipſe animi motus, quo Deum diligimus & proximum, qui accidens eſt, & qualitas, de quo ait Apoſtolus*: Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, *Rom. 5. & Chriſtus in Evangelio:* Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. *Luc. 7.* At caritas diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, & per quam remittuntur peccata, eſt caritas habitualis, aut caritas perfecta, habituali nexu indiſſolubili conjuncta. Igitur de caritate habituali, aut de caritate perfecta conjuncta caritati habituali loquitur Bajus in Opuſculo *de caritate*. Rurſus eodem capite, eademque pagina de ſola caritate actuali interpretatur Bajus verba illa Joannis Epiſtola 1. cap. 3. 1. *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus*. At vero caritas habitualis & gratia adoptionis facit, ut filii Dei nominemur & ſimus. Bajus ergo caritati actuali attribuit, quod proprium eſt gratiæ adoptionis & caritatis habitualis. Præterea Bajus caput illud ſecundum his verbis abſolvit, *Spiritus Sanctus nonniſi propter hunc motum, quem in nobis præſens operatur, caritas nuncupatur*: at Spiritus Sanctus nuncupatur *caritas* etiam, ac potiori jure, quoniam juſtos, quibus inhabitat, reddit amicos Dei, membra Chriſti, ac templum ſuum, quæ ſunt munera caritatis habitualis; ergo Bajus hæc caritatis habitualis munera adſcribit caritati actuali, ſive motui, quem in nobis Spiritus Sanctus præſens operatur. Accipe modo confeſſionem Anonymi, qui pag. 168. *Bajaniſmi Redivivi* nu. 8. inquit: Bajus *ait de caritate illa, quæ præcedere poteſt remiſſionem peccatorum, quod ſit animi motus, a quo boni eſſe dicimur: quod ſit plenitudo legis: quod illi, quibus conceſſa eſt, ſurrexerunt a mortuis & vivunt*, &c. cit. Opuſc. de carit. cap. 7. Quid eſt caritas habitualis aut ſanctificans, ſi ea non eſt, per quam dicimur boni, per quam legem implemus, per quam ſurreximus a mortuis, per quam vivimus? Igitur Bajus in Opuſculo *de caritate* locutus eſt de caritate, quæ præſtat quidquid in ſententia Catholicorum præſtat caritas habitualis. Quod vero novatores ſint, qui ajunt Bajum in propoſitione 38. agere *de caritate habituali*, idque audacter, & abſque fundamento pronuntient, alia non eget refutatione. Id ego æquo libentique animo feram, obteſtorque ut ferant illi centum Epiſcopi, qui dixerunt in Bulla S. Pii V. adverſus Bajum, illum errorem proſcriptum fuiſſe,

Baji. pag. 91.

ſe, „ Qu'il n' y a point d' autres principes de nos actions, que la charité habituelle, & la cupidité habituelle. „ Vide §. IV. nu. 3.

III. Inſtaurat præcedentem argumentationem Anonymus, & ex quo Bajus de illa caritate pertractaverit, *quæ in animi motu conſiſtit*, ratiocinationem hanc ſtruit: *Caritas habitualis conſiſtit in aliquo permanente, intrinſeco, & animæ inhærente, non vero in motu, qui tranſit: cum ergo Bajus doceat caritatem illam, de qua ipſe loquitur, eſſe animi motum, eamque conſiſtere in motu, evidens eſt quod de caritate actuali, & non de habituali loquatur.* Addit nullum eſſe ambigendi locum, quum Bajus loquatur de caritate, *qua Deum, aut mundum diligimus*; ut pauliſper attendenti ad ejus verba, quæ ſunt meridiana luce clariora, compertum erit. *Bajan. Red. pag. 49.*

Reſpondemus, id, quod Anonymus exiſtimat argumentationem invictam, eſſe eamdem verborum luſionem, eaſdemque nugas nugaciſſimas, ſemel, iterumque rejectas. Loquitur Bajus de caritate actuali, veriſſimum eſt: ſed loquitur de caritate actuali juſtificante; de caritate actuali, qua homo vivificatur, & fit vivus palmes in Chriſto; de caritate actuali, qua impletur lex quantum ad meritum vitæ æternæ. Igitur loquitur Bajus de caritate *actuali*, quæ aliquo ſenſu dici debet *habitualis*: non quidem habitualis quod inhæreat, quod permaneat, quod ſit vivificatio Spiritus Sancti inhabitantis, quod ſit ea qualitas, quam dicimus *habitum*; ſed *habitualis* dici debet quoad effectus, & munera, nimirum quia in ſenſu Baji juſtificat, quia ſanctum reddit, quia eſt plenitudo legis, quia confert meritum vitæ æternæ: quæ omnia cum ſint effectus habitus infuſi caritatis, *Quid aliud venire in mentem Doctoribus Catholicis potuit, niſi quod juxta Bajum juſtificatio, atque adeo infuſus habitus caritatis omnia præcedere debeat bona opera, immo omnia non mala?* Agnoſcis, opinor, cujus iſta verba ſint viri. Porro Bajum caritati actuali adſcripſiſſe munera caritatis habitualis, demonſtratum eſt §. 3. & contracte hoc, in quo verſamur, num. 1. & 2. Addamus ad uberiorem doctrinam, evidentiſſimum eſſe ex damnatis articulis 12. 15. 17. quod Bajus agnovit juſtificationem & meritum regni cæleſtis ſine Spiritu adoptionis inhabitantis corda filiorum Dei; ex articulis 18. 43. 67. quod agnovit juſtificationem ac meritum vitæ æternæ abſque remiſſione peccatorum. Viderat hæc Anonymus ſcribens art. 2. §. 1. num. 5. *Contendit Bajus juſtificationem impii conſiſtere in obedientia mandatorum*, & §. 2. num. 3. *Contendit omne opus, quo obeditur legi, etiam ſine gratia ſanctificante factum, ex ſe vitæ æternæ eſſe meritorium.* Viderat quidem Anonymus Bajum cuilibet bono operi facto ex caritate actuali tribuere veram juſtificationem, ac meritum vitæ æternæ; viderat, inquam: utinam eorum, quæ viderat, meminiſſet! *Bajan. Red. pag. 26. Ibidem pag. 33.*

Ad majorem eorum, quæ dicta ſunt, dilucidationem, non abs re erit advertere, quomodo juxta Catholicos fiat, ac fieri poſſit juſtificatio, & quomodo fiat juſtificatio juxta Bajum. Communi Catholicorum ſententia juſtificatur impius per juſtitiam inhærentem, & qualitatem permanentem in anima, quam *habitum* appellamus, atque vel idem eſt cum caritate habituali, vel cum caritate habituali arctiſſimo connexionis vinculo conjuncta. Non opus eſt de communi hac ſententia plura dicere, quam propugnant omnes Scholaſtici in 2. diſt. 26. ac fere omnes controverſiarum Tractatores cum Eminentiſſimo Bellarmino lib. 2. de juſtificat. cap. 15. Sunt tamen Scholaſticorum nonnulli, qui cenſent juſtificationem fieri quidem per gratiam habitualem; ſed fieri poſſe, ut homo juſtificetur per ſolam caritatem actualem: immo non deſunt, qui doceant Tridentinam Synodum adverſus hæreticos tantum definiiſſe, quod Deus, dum peccatores juſtificat, non ſolum eis remittit peccata, ſed etiam interius illos abluit & renovat, & ex injuſtis juſtos reddit: num vero id efficiat per qualitatem inhærentem, an per motionem aliquam actualem, a Concilio definitum non eſſe, & poſſe etiamnum diſputari. In qua ſententia fuiſſe Bartholomæum Medinam ſuper 1. 2. qu. 110. art. 2. refert Eſtius 2. Sent. diſt. 26. §. 3. ubi pugnat pro ſententia contraria, quæ utique, ſi hanc rerum ſeriem attendamus, eſt probabilior. Vaſquius fuſe hanc quæſtionem pertractat tom. 2. in 1. 2. diſput. 203. in cujus capite 3. demonſtrare nititur, *Hactenus definitum non eſſe, utrum ſolo habitu juſtificentur adulti extra Sacramentum*; ubi etiam teſtatur in eadem ſententia fuiſſe Dominicum Sotum, Ruardum Taperum, Cardinalem Hoſium, Caſalium noſtrum, & alios. Qui num ita revera ſenſerint, parum, aut nihil mea intereſt. Certe id Vaſquius affirmat; eamdemque ſententiam Patrum quoque auctoritate, & ratione Theologica ſequentibus capitulis probare adnititur; ac in decimo ſolvens rationes oppoſitas num. 120. inquit: *Sicut ex præterito peccato dicitur homo manere peccator, injuſtus, & maculatus ob ſolam relationem ab eo relictam; cur etiam ex actu contritionis & dilectionis non dicetur manere juſtus, innocens, amicus Dei, & mundus a peccato, ſi tales affectus veram rationem juſtitiæ habent?* Ac proximo numero 121. *Etiamſi non daretur habitus fidei* (inquit), *tamen ſi quis ſemel credidiſſet omnia fidei myſteria, diceretur ſimpliciter fidelis, ſi nunquam oppoſitum crederet. Similiter diceretur ſperans in Deo, qui ſemel ſperaſſet. Eodem igitur modo diceretur ſimpliciter juſtus, & amicus Dei, qui ſemel Deum dilexiſſet, & eo actu juſtificatus eſſet, etiamſi non haberet habitum, quia ſemel juſtus per actum, nunquam deſinere poteſt eſſe juſtus, etiam per Dei potentiam, niſi peccet.* Similia leguntur apud Suareſium lib. 7. de Gratia cap. 13. num. 7. ubi etiam Vaſquium laudat, ejuſque ſententiam confirmat. Scotiſtæ etiam docent de facto fieri hominis juſtificationem per habitum infuſum, at ajunt non repugnare quin per actus dilectionis Dei ſuper omnia homo ſanctificetur *formaliter, quantum ſat eſt ad delendum peccatum, animamque Deo gratam reddendam, & amicam*, ut inquit Maſtrius in 2. ſent. diſp. 7. qu. 8. art. 1. num. 217. Huic tamen ſententiæ adverſantur Thomiſtæ, ut conſtat ex Goneto diſput. 1. de Juſtif. art. 4. §. 4. num. 88. Quod ergo nonnulli Theologi docuerunt, fieri poſſe, ut impius juſtificetur per *caritatem actualem*, abſque ullo *habitu infuſo*, id Bajus exiſtimavit reipſa contingere, ac propterea in Opuſculo *de caritate* cap. 2. ait: *An vero præter hunc animi motum, qui caritas dicitur, alia quædam habitualis atque accidentalis qualitas in voluntate ponenda ſit, quæ etiam caritas nuncupetur, non magnopere contendendum exiſtimo*, quæ verba paullo ſupra nu. 2. nobis Anonymus objecit. Verum perperam, ut diximus, objecit: nam ſi Bajus caritatem habitualem rejicit, vel non admittit, admittit tamen, & non rejicit juſtificationem; neceſſum eſt, ut juſtificationem ipſam adſcribat caritati actuali. Eſt ergo apud Bajum *caritas actualis*, quantum ſpectat ad effectus & munera, illud idem, quod eſt apud Theologos Orthodoxos *caritas habitualis*. *Bellarmin. to. 4. nove edit. Ven. pag. 430.* *Eſtius in 2. pag. 310. edit. Pariſ.* *Vaſq. tom. 2. pag. 449. edit. Lugd.* *Vaſq. ibid. pag. 466.* *Suarez de Gratia p. ultima pagina 114. edit. Mogunt.* *Maſtrius pag. 472. edit. Ven.* *Goneto a pag. 144. edit. Pariſ.* *Bajus p. 1. pag. 91.*

IV. Pergit Anonymus demonſtrare ex *Apologia* Baji, quod is nunquam tribuerit propoſitioni 38. ſenſum caritatis habitualis, idque ait tam aperte ſe demonſtraturum, *Ne amplius affirmare præſumant novatores propoſitionem* illam *de caritate habituali, & non actuali, intelligendam eſſe.* Audiamus, quæſo, rationem adeo convincentem, adeo robuſtam. Bajus, inquit, *fatetur primum hanc* (propoſit. 38.) *magna ex parte deſumptam eſſe ex modo laudato cap. 6. libelli de Caritate, & conqueritur ſolummodo, quod collector propoſitionum, loco verborum illorum, quæ in libello leguntur*, Caritas, qua Deus amatur, quam niſi Deus ipſe non donat, *poſuerit iſta*, Caritas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur. *Sed immerito de hac immutatione expoſtulat, cum in anterioribus capitulis eadem hæc verba ipſemet uſurpaverit, quæ hic a collectore inſerta ſunt.* *Bajan. Red. pag. 50.*

Quid ſibi Anonymus hac verborum circuitione contendit? Concedo injuſtam eſſe Baji expoſtulationem: concedo in Opuſculo *de caritate* de motu animi, quo Deum diligimus, ideſt, de caritate actuali, accepiſſe Bajum verba Apoſtoli, *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, &c.* concedo in libello, unde Collector exſcripſit propoſitionem 38. agere Bajum de caritate actuali. Nego juxta Bajum caritatem actualem non eſſe juſtificantem, nec præſtare ea munera, quæ in ſenſu Catholicorum præſtat caritas habitualis. Non recte ait Anonymus a nobis, (ſi ii ſumus, quos deſignare pro ſua maxima prudentia, & caritate dignatur Novatorum appellatione) non recte ait a nobis intelligi propoſitionem 38. *de caritate habituali, & non de actuali.* Aſſerere debet, a nobis accipi eamdem propoſitionem *de caritate habituali, aut de caritate actuali juſtificante*: ita enim argumenta ejus omnia unico halitu exſufflabuntur.

Ceterum quantum ad Baji *Apologiam* attinet; nil ad me, nil prorſus. Primum oſtendi ex verbis propoſitionum, ut damnantur in Bulla, atque ex earum propoſitionum collatione, non ex interdicta auctorum lectione pravum reprobatumque ſenſum eſſe eruendum. Demonſtravi etiam, nec Romanos Pontifices, neque Epiſcopos, neque Theologorum aliquem hanc ſibi legem præſcriptam eſſe exiſtimare, ut omnia Novaturientium dicta conciliare debeant, eorumque libros ab antilogiis, ac ſententiis inter ſe pugnantibus vindicare. Dixi præterea, Queſnellium quoque in ſuis *Proteſtationibus* adverſus Galliarum Epiſcopos, horumque Paſtorale documentum, affirmaſſe in propoſitione 44. quæ eadem omnino eſt cum 38. Baji, ſe nomine caritatis minime intellexiſſe caritatem habitualem; & nihilominus a Propugnatore Conſtitutionis *Unigenitus* fuiſſe malæ fidei, ac perfidiæ convictum, quoniam ſi caritati actuali tribuit Queſnellius vim juſtificandi, idem omnino eſt, ſi dicamus illius propoſi-

positiones damnatas in sensu caritatis actualis, ac si dicamus damnatas esse in sensu caritatis habitualis. Animadverti quoque, sicuti Quesnellii *Protestationes*, ita Baji *Apologiam* minime tale pondus habuisse, ut Apostolica Sedes latas censuras exscinderet, propterea quod Apologetici libri, auctorumque subterfugia & commentationes non efficiant, ut sensus, quem in damnatis articulis verba præseferunt, & qui fluit ex aliorum articulorum connexione, melior sit, & latam antea censuram possit evadere. Dixi tandem, idcirco post Ecclesiæ definitiones a damnatarum propositionum assertoribus aut patronis controversias cieri, pravasque doctrinas propugnandi occasionem arripi, quoniam ea, qua decet, obedientia non excipiuntur Ecclesiæ decreta, nimiumque studii pravis libris pervolutandis impenditur, & novantium Apologiis, & animadversionibus plus æquo defertur. Hæc omnia unico verbo complectens dico sensum damnatum propositionis 38. satis apertum esse, nec requirendum ex *Apologia Baji*, cujus nulla ratio est habenda: tametsi quod petitur ex eadem Apologia nil aliud evincat, nisi quod Bajus loquatur de caritate actuali, non autem quod caritati actuali, de qua loquitur, non adtribuerit vim justificandi, & meritum vitæ æternæ.

Bajan. Red. pag. 51. At insistit Anonymus eodem num. 4. Bajum in eadem Apologia post injustam expostulationem, quam diximus, ita opinionem suam explicare: *Hac igitur sententia nihil aliud dicitur, & significatur, quam quod omnis amor ratione finis, in quem tanquam ultimum dirigitur, aut est amor mundi tanquam ultimi finis, qui vitiosus est, & prohibetur, dum dicitur*, Nolite diligere mundum: *aut est amor Dei, qui laudabilis est, quem mundus dare non potest, sed Deus. Et certe cum nullus finis reperiri possit, quin aut Deus sit, aut ad mundum pertineat, miror cur iste sensus reprobatur.* Quibus verbis recitatis Anonymus ita prosequitur: *Non significat ibi Bajus quod omnia opera peccatoris sint peccata, & opera hominis justi laudabilia; sed quod omnia opera, quæ non fiunt ex motivo caritatis, fiunt ex motivo cupiditatis, & ita sint vitiosa. Loquitur ergo de caritate, & cupiditate actuali, prout sunt motiva actionum nostrarum, non autem de caritate & de cupiditate habituali.* Jam responsum est nullam Apologiæ, quam Bajus conscripsit ad evitandam Apostolicæ Sedis censuram, habendam esse rationem. Ceterum in eo etiam, quod Bajus ait omnem amorem, *qui ratione finis non ordinatur in Deum tanquam in finem ultimum*, vitiosum esse, latet reprobandus, & pravus error. Si enim velis omnia opera, quæ non fiunt *ex motivo caritatis*, fieri *ex motivo cupiditatis*, atque intrinsecus esse peccata; pravus, & hæreticus sensus est: si velis autem, quod sint vitiosa, attenta circumstantia ultimi finis, aut si dicas deesse illis operibus relationem, vel actualem, vel virtualem in Deum, quæ relationis omissio est vitium operantis, non operis; iste non est sensus pravus ac reprobandus, sed est sententia complurium Catholicorum. Priori sensu ait Bajus, omnem amorem creaturæ rationalis ratione finis ultimi esse caritatem & cupiditatem: quod & Anonymus animadverterat pag. 29. ubi ait: *Si nomine peccatoris intelligas eos omnes, qui non operantur ex motivo caritatis, consequens est juxta principium Baji in propositione 38. enuntiatum, quod peccator semper agat ex motivo cupiditatis, ac proinde quod semper peccet.* Distinguamus ergo verborum sensum, ne lectoribus ludificemus. Hæc propositio, *Quod non fit ex motivo caritatis, & non refertur in Deum finem ultimum, fit ex motivo cupiditatis, a qua corrumpitur & vitiatur*, est propositio Bajana, meritoque damnatur. At hæc propositio, *Quod non fit ex motivo caritatis, & non refertur in finem ultimum, habet ex parte operantis vitium, idest, omissionem debitæ relationis, quod tamen vitium operi concomitans est, & relinquit illud sua in substantia bonum, nec facit ut ipsum opus fiat ex cupiditate, a qua intrinsecus corrumpatur*; hæc propositio est Augustinensium omnium, ac male cum priori confunditur. Redeundo nunc ad caritatem habitualem & justificantem; quamquam Bajus in *Apologia* non dixerit, *Quod omnia opera peccatoris sint peccata, & omnia opera justi sint laudabilia*; dixit tamen in propositionibus damnatis non dari vivificationem inchoatam per inspirationem Spiritus Sancti moventis, distinctam a vivificatione perfecta, quæ fit per Spiritum Sanctum inhabitantem: dixit non dari eadem ratione duplicem justitiam: dixit omne opus bonum promereri vitam æternam: dixit non impleri aliquod divinæ legis mandatum *quoad substantiam* operum præceptorum, quin simul impleatur quoad modum, secundum quem valeat operantem perducere ad regnum æternum; ideoque dixit peccatorem nec detestari peccata, nec habere novæ vitæ propositum, nec absque peccato credere, nec timere, nec sperare, nec se ad justificationem disponere, quin simul justificetur, ac præditus sit gratia sanctificante; quoniam gratia sanctificans est illa gratia, quæ impium vivificat, quæ justum reddit, & quæ operantem ad regnum æternum potest perducere. Quæ cum ita sint; convincitur Bajus revera tradidisse, *quod omnia opera peccatoris sint peccata*; quia ille peccator est, qui caret gratia sanctificante, sine qua Bajus nullum opus bonum esse, omniaque opera esse peccata existimavit. Absque ulla ambiguitate id Bajus asseruit propositione 35. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*, & propositione 40. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*: de quibus propositionibus vide, quæ scripsi §. 3. nu. 4. & quæ subjiciam infra num. 12. Ex quibus omnibus constat, immerito Anonymum scribere, *Non significat Bajus, quod omnia opera peccatoris sint peccata*: perperam in Bajum officiosum se gerere, ejusque errores emollire, ut Augustinenses contumeliosius infectetur; &, quod caput est, horum sententiam extorquere, ac penitus ignorare.

V. Proponit Anonymus num. 5. argumentationem petitam ex sensu proprio & rigoroso verborum, quibus constat Bajana propositio 38. Argumentatio est hujusmodi: *In ea* propositione *mentio fit de amore creaturæ rationalis, quo vel Deus, vel mundus diligitur. Ergo de amore actuali potius, quam habituali.* Bajan. Red. pag. 52.

Respondeo eamdem esse circuitionem, lusionemque verborum. Loquitur sane Bajus de amore actuali; sed de amore actuali justificante, & cui tribuit dotes caritatis habitualis, quam, ut ipse Anonymus nobis paullo supra, id est pag. 49. objiciebat, Bajus *rejicere videtur, vel saltem non admittere*. Ad memoriam adversarius noster revocare debet quæ rectissime, & cogente veritate scripsit pag. 25. num. 4. *Quamvis definierit Concilium Tridentinum, caritatem Dei diffundi in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhærere* (num id definitum sit disputatur, ut dixi num. 3. sed tamen definitum esse concedam) *Bajus tamen solam illam caritatem admittere videtur, quæ est actualis animi motus, quo Deum diligimus & proximum: unde sicut hunc actualem animi motum contendit esse caritatem illam, quæ diffunditur in cordibus nostris, ita & justitiam, qua justificatur impius, ait consistere formaliter in obedientia mandatorum, non autem in gratia aliqua animæ infusa.* Item sequenti pag. 26. num. 5. ait Anonymus: *Dum contendit Bajus justificationem impii consistere in obedientia mandatorum, fateatur necesse est impium justificari ante Baptismi, vel absolutionis Sacramentalis receptionem, tunc scilicet quando incipit mandatis obtemperare.* Bene, optime. Juxta Bajum justitia, qua justificatur impius, consistit *formaliter* in obedientia mandatorum, & in illa caritate, *quæ est actualis animi motus, quo Deum diligimus, & proximum*; & consequenter impius justificatur, *quando incipit mandatis obtemperare*. Ergo Bajus loquitur de caritate actuali, qua impius justificatur, in qua *formaliter* consistit juxta Bajum justitia, & quæ idem præstat, ac gratia sanctificans & inhærens, sive gratia habitualis diffusa in cordibus eorum, qui justificantur, per Spiritum Sanctum inhabitantem.

Addit Anonymus eodem num. 5. *Si quis exponere vellet hanc propositionem de amore habituali, non autem actuali, in illo scilicet sensu, quod nullum detur medium inter habitualem vel caritatem, vel cupiditatem, certissima in eo sensu, imo de fide esset propositio. Cum ergo Summus Pontifex nec damnavit, nec damnare potuit propositionem sic intellectam, profecto fatendum est hunc non esse sensum in illa damnatum.*

Responsum est, exponendam esse propositionem de sensu caritatis actualis quidem, sed justificantis: inter quam caritatem actualem justificantem, ac inter cupiditatem dantur plures actus honesti, qui non sunt intrinsecus peccata, neque a cupiditate vitiati; ac dantur præterea actus supernaturalium virtutum, fidei, timoris, ac spei, immo & inchoatæ caritatis, qui non justificant, sed tantum ad justificationem disponunt. Soluto autem hac ratione adversarii argumento; illum rogo, ut patiatur ingenii mei tarditatem, explicetque quomodo sit de fide, *quod nullum detur medium inter habitualem vel caritatem, vel cupiditatem*. Quod animæ vel inhæreat caritas habitualis, ac justa sit, vel cupiditas habitualis, & sit impia, id probe intelligo; at quod inter caritatem habitualem & cupiditatem habitualem *nullum sit medium*, idque sit certissimum, immo de fide, non tantum non intelligo, sed arbitror oppositum certa fide tenendum esse, & propositionem ipsam Anonymi esse purum putum Bajanismum, quem impetit. Enimvero si nullum daretur medium *inter caritatem habitualem & cupiditatem habitualem*, non daretur habitus virtutum, qui non essent aut caritas, aut cupiditas, nec darentur illarum virtutum actus, qui non essent aut caritate perfecti, aut cupiditate corrupti. Quid autem est in dogma Bajanum impingere, si hoc non est? Contra si inter caritatem & cupiditatem habi-

tualem dantur habitus aliarum virtutum, necnon ipsarum virtutum actus, qui non sunt laudabilis caritas, nec vitiosa cupiditas; profecto inter caritatem & cupiditatem habitualem datur medium. Quomodo ergo propositio Baji, si exponatur in eo sensu, *quod nullum detur medium inter habitualem vel caritatem, vel cupiditatem*, certissima erit, immo de fide, ut inquit Anonymus? Sed iis missis, quæ ingenioli mei parvitatem excedunt, reliqua persequamur.

Bajan. Red. pag. 52.

VI. Baji articulum 38. accipiendum non esse de caritate habituali Anonymus demonstrare nititur ex Joannis Lensæi Expositione, in qua hæc leguntur: *Siquidem omnino hoc a vero abhorrere censemus, omnem creaturæ rationalis amorem, aut vitiosam cupiditatem esse, qua mundus diligitur, quæque a Joanne prohibetur; aut laudabilem illam caritatem, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur. Est indubie medius quidam amor, quem naturæ auctor inseruit, quo non modo beatitudinem omnes expetimus, sed & parentes, amicos, liberos, & conjuges, & quacunque alia ratione propinquos irreprehensibiliter, ipsaque natura impellente, diligimus.* „ Agnoscunt ergo Lovanienses, impugnando doctrinam propositionis Bajanæ 38. opera, quæ ex motivo amoris cujusdam medii sunt facta, ac consequenter, quæ neque ex motivo caritatis, neque ex motivo cupiditatis vitiosæ procedunt. „

Resp. ex quo adversus Bajum Lovanienses docuerint inter cupiditatem vitiosam, & caritatem laudabilem dari amorem, quo expetimus beatitudinem, & quo natura impellente parentes, amicos, & propinquos diligimus, qui utique amor non est intrinsecus vitiatus, neque a cupiditate corruptus, nequaquam sequi, nec legitime inferri, quod Bajus de caritate habituali aut justificante, & de prædominante cupiditate, minime sit locutus in damnata propositione 38. Quæ enim est vis consecutionis, quænam illatio, Datur amor naturalis & innatus beatitudinis, datur amor lege naturæ præscriptus, datur amor honestatis, atque hi amores non sunt a cupiditate viciati; igitur Bajus ad amorem, & ad opus non vitiatum a cupiditate non putavit necessariam esse caritatem habitualem, aut justificantem? Præterea, nisi Anonymus verba Joannis Lensæi mutilata recitasset, sed integram saltem produxisset periodum, absque ullo negocio advertere potuisset, in eadem Expositione, eodemque in loco Lensæum, & Lovanienses asserere, quod Bajus revera ad illos innoxios amores requisierit caritatem justificantem. Post illa enim verba, *Est indubie medius quidam amor, quem naturæ auctor inseruit, quo non modo beatitudinem omnes expetimus, sed & parentes, & amicos, liberos, & conjuges, & quacunque alia ratione propinquos irreprehensibiliter, ipsaque natura impellente diligimus*, immediate, nullisque verbis interjectis sequitur, *Qui etsi longe abest ab illius excellentia caritatis, quam Deus per Spiritum Sanctum in eorum, qui justificantur, corda diffundit, tamen neque ita degener est, ut vitiosa debeat cupiditas æstimari.* Quid est autem caritas in cordibus eorum, qui justificantur, diffusa, nisi caritas aut habitualis, aut justificans? Intellexerunt ergo Lovanienses a Bajo solam caritatem agnosci, *quæ absolute justum & rectum hominem constituit*; id, quod præmonuit Guilelmus Estius, ut vidimus §. 2. num. 4. Apertius idem appareret ex eadem Expositione Lensæi cap. 10. pag. 174. ubi redarguitur Bajus, quod justitiam, qua justificatur impius, constituerit in obedientia mandatorum, non in gratia aliqua animæ infusa; ac duplicis justitiæ, & duplicis vivificationis distinctione sublata, asseruerit hominem justificari, quando inspiratione Spiritus Sancti moventis excitatur ad pœnitentiam: quod non diffitetur Anonymus, prout constat ex præcedenti numero quinto. Fieri ergo non potest, ut Bajus loquatur de caritate, & de amore aliquo concepto ex inspiratione Spiritus Sancti moventis, & non loquatur de caritate justificante, quando in sensu Baji dum impius amorem & motum aliquem bonum ex Spiritu Sancto excitante concipit, & *incipit obtemperare mandatis*, justificatur. Hæc Lensæus, hæc Lovanienses, hæc ipse Anonymus de Bajo testantur. Unde ergo illa consecutio, *Bajus non loquitur de caritate justificante?* Nec ex eo, quod Lovanienses affirment amorem beatitudinis, necnon amorem parentum & propinquorum non debere æstimari cupiditatem vitiosam, (id, quod de omni amore, & de omni opere honesto sentiendum esse fatemur) sequitur officia moralium virtutum, & omnia bona opera deliberata, ut undique recta sint, non esse in Deum saltem virtualiter referenda; nam, ut sæpe diximus, aliud est quod sine hujusmodi relatione sint peccata, & æstimari debeant vitiosa cupiditas, quod utique absurdum est ac Bajanum; & aliud est, quod sine eadem relatione bona censeri debeant quoad substantiam & objectum, non vero quoad circumstantiam ultimi finis. Ab hac enim postrema sententia nec ipsi Lovanienses abhorrent, sed illam totis lacertis, viribusque propugnant, ut dissertatione 3. evidentissime demonstrabitur.

Inter Opera Baji p. 3. pag. 168.

VII. Provocat deinde Anonymus ad Jansenium, qui pluribus in locis agnovit *caritatem actualem ab habituali distinctam*, id est lib. v. de Gratia Christi cap. 2. & 7. lib. 4. de Statu nat. lapsæ cap. 27. verbisque Jansenii productis concludit Jansenii, & Baji eadem esse doctrinam, cum Urbanus VIII. Bulla, *In Eminenti*, an. 1641. Jansenii librum, cui titulus est, *Augustinus*, proscripserit, *tanquam continentem & renovantem Bajanas propositiones*.

B. Red. pag. 35.

Respondeo, nulla me de Jansenio angi sollicitudine, nec in animum meum pervolutandi spissum ejus & pergrande volumen cadere nunc deliberationem, ut ad examen revocem, num Jansenius ipse omnes prorsus Baji propositiones, ac præsertim 38. eodem cum Baji sensu propugnaverit. Hoc certissimum est ab Urbano VIII. laudata Constitutione, *In Eminenti*, proscriptum fuisse Jansenii librum eo etiam titulo, quod contineat *multas propositiones* a suis Prædecessoribus damnatas: inter quas *multas propositiones* num contineatur 38. Baji, constitutio Urbani expresse non asserit. Certissimum quoque est, multas illas propositiones, quas Urbanus commemorat, esse propositiones Baji, quum Bulla, *In Eminenti*, constitutiones S. Pii V. & Gregorii XIII. adversus Bajum Apostolica auctoritate iterum confirmentur. Certissimum denique est, ab Innocentio X. & a successoribus Romanis Pontificibus damnatas esse, & quidem in sensu auctoris, quinque famosas Jansenii propositiones, quæ cum multis Bajanis articulis connexionem habent. His, quæ certissima sunt, ultro libenterque subscribo. At quid de Baji articulo 38.? propugnavit ne illum in sensu Baji Jansenius? Si docuit nullum opus bonum & laudabile esse nisi quod procedit *ex caritate habituali*, aut actuali justificante; omni proculdubio in errorem propositionis Baji trigesimæ octavæ prolapsus est. Neque ab hoc errore Jansenianos abesse didicit ex frequenti cum iis concertatione Bernardus Desirant, ut diximus §. 5. num. 2. tametsi iidem Jansenistæ studiose vocabulum *laudabilis caritatis* omittant, *ne apertius, quam optent, exigere videantur caritatem habitualem*. Item si Jansenius docuit omnia opera, quæ non fiunt *ex caritate actuali*, quæcunque ea sit, aut justificans, aut non justificans, esse intrinsecus mala & a cupiditate vitiari & corrumpi: vel si affirmavit omnia opera, quæ ab impio efficiuntur, esse peccata, ac procedere ex vitiosa cupiditate; erravit sane cum Bajo, & pravum sensum propositionis 38. innovavit. Num vero diversum aliquid ab ea propositione senserit, aut ne videretur Bajo assentiri, callide & ambigue se gesserit; num etiam inter se pugnantia tradiderit, nolo ego in præsentia discutere; nec id a me Anonymus jure peteret, quando nullibi definitum est, articulum 38. damnatum esse in sensu caritatis *non justificantis*, eo prorsus modo, quo defenditur a Jansenio. Sciat nihilominus adversarius, judicio eorum, qui de propositionibus Quesnellianis accuratius pertractarunt, Jansenium in materia de caritate non plane cum Quesnello consentire, sed ab illo aliquo discrimine separari. In Synopsi quippe propositionis 44. celebris propugnator Constitutionis *Unigenitus* inquit: *Licet uterque ad humanarum actionum bonitatem requirat amorem Dei benevolum, seu gratuitum; in hoc tamen Jansenii sententia mitior est, quod non requirat semper justificantem, seu cum justitia infallibiliter connexum.* Quod vir doctus demonstrat, quoniam a Jansenio tom. 3. lib. 5. cap. 7. asseritur dari actum Christianæ Fidei, qui non justificat, id, quod Quesnellius proposit. 51. expresse negat. Si autem hoc nomine Jansenius discrepat a sensu Quesnelli enuntiato in propositione 44., discrepare debet eadem ratione a sensu Baji enuntiato in propositione 38. siquidem de hujus propositionis errore Anonymus ait pag. 62. num. 15. *Eumdem errorem propositione 44. suum fecit & renovavit Quesnellus.* Quare ex quo Jansenius ad bona opera necessariam non putaverit *caritatem habitualem*, & *justificantem*, inferri nequit eamdem omnino fuisse sententiam Baji. Quapropter prælaudatus Constitutionis *Unigenitus* defensor censet Jansenium præmonstrasse Quesnellio propositionem 44. in altero sensu explicato §. 1. numer. 3. quatenus & ipse docuerit actus virtutum, qui non proficiscuntur, aut imperantur a caritate, esse peccata, & germina cupiditatis. Id de fide Jansenius sentit tom. 3. lib. 3. cap. 6. de spe cap. 9. de timore cap. 33. & 50. quæ loco memoratus Theologus collegit, ac produxit in Synopsi propos. 44. cap. 1. q. 1. Ut ut sit, nunquam e Jansenio poteris demonstrare, quod Bajus in propositione 38. non egerit *de caritate justificante*.

Bull. Rom. Bul. In Eminenti, §. 8. p. 404. Rom. edit.

VIII. Pergit Anonymus contendere, quod Jansenius admiserit medium, *inter cupiditatem & caritatem habi-*

Bajan. Redivi pag. 54.

habitualem, productis pluribus Janſenii teſtimoniis ex lib. IV. de Statu nat. lapſæ cap. 27. & 19. Verum ad hæc, & ſi totum quoque Janſenium exſcribat, ad omnia, quæ proferre poteſt, habet ex præcedenti numero abſolutiſſimam reſponſionem.

Bajan. Rediv. pag. 55.

IX. Nil aliud hoc numero 9. præſtat Anonymus, niſi quod gloriatur ex dictis ſupra *inconcuſſum manere*, quod Bajus in propoſitione 38. locutus non ſit *de caritate habituali & juſtificante*, ſed tantummodo, *quod nullum agnoſcat medium inter laudabilem caritatem, & culpabilem cupiditatem, ita ut omnis actio, quæ non ſit ex motivo caritatis, fiat ex motivo cupiditatis, atque ideo ſit peccatum.*

Verum apparet non manere *inconcuſſum*, id, quod Anonymus contendit, ſed contritum eſſe, eliſum, concuſſum, ac penitus refutatum. Etenim n. 1. & 2. demonſtravit Bajum agere de caritate, quæ ſita eſt *in motu animi;* at non demonſtravit juxta Bajum iſtiuſmodi caritatem non juſtificare. Num. 3. oſtendit Bajum loqui de caritate *tranſeunte*, non inhærente: at non oſtendit juxta Bajum caritatem tranſeuntem non juſtificare. Num. 4. animadvertit Bajum non pertractare de caritate diffuſa per Spiritum Sanctum *inhabitantem;* at non animadvertit juxta Bajum omnem caritatem, etiam Spiritus Sancti moventis, juſtificare. Num. 5. affirmavit amorem, *quo Deus, aut mundus diligitur*, ſpectata propria ſignificatione verborum, eſſe amorem actualem; ſed non auſus eſt affirmare hunc actualem amorem juxta Bajum non juſtificare. Numer. 6. aſſeruit ex Lovanienſium expoſitione dari amorem medium inter caritatem & cupiditatem; ſed aſſerere non potuit omnem amorem caritatis minime juxta Bajum juſtificare. Denique num. 7. & 8. in ſcenam induxit Janſenium admittentem caritatem ab *habituali* diſtinctam; ſed evincere non potuit caritatem ab *habituali* diſtinctam juxta Bajum non juſtificare. Immo ex ipſis octo præcedentibus numeris, ex comparatione eorum, quæ Bajus conſtanter docuit, atque ex ipſa confeſſione adverſarii aſſerentis hominem in ſenſu Baji juſtificari, non per caritatem infuſam, ſed per caritatem, quæ *eſt motus animi*, immo quando ſe ad juſtificationem diſponit, *& incipit obtemperare mandatis*, inconcuſſum eſt Bajum de caritate juſtificante locutum eſſe. Ceterum nos illum quoque ſenſum rejicimus, quo ita accipitur Baji propoſitio, ut quod non ſit ex caritate, ſit effectus cupiditatis, & intrinſecus peccatum, ut hoc num. 9. inquit Anonymus; modo tamen probe intelligatur, & indemnis perſiſtat ſententia eorum, qui ajunt opera deliberata in Deum referri oportere, ut undique ſint laudabilia.

Vide ſupra n. 5.

X. Proponit deinde Anonymus adverſus ſeipſum objectiones quaſdam, quarum prima eſt: *In propoſitione 38. agitur de caritate illa, quæ diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum inhabitantem, atque ideo de caritate habituali, de qua ſola, non autem de caritate actuali, dici poteſt, quod diffundatur in cordibus noſtris.* Huic objectioni reſpondet primo: *Hanc propoſitionem intelligi non poſſe, ut jam dictum eſt, de caritate & cupiditate habituali, cum Summus Pontifex nec damnaverit, nec damnare potuerit propoſitionem in eo ſenſu in quo veriſſima eſt, nempe quod in hac vita omnes homines juſti ſunt, vel peccatores: nullum enim inter hæc duo datur medium; & ſic omnis amor habitualis, vel eſt vitioſa cupiditas, quæ in omnibus peccatoribus regnat, vel laudabilis caritas, qua præditi ſunt omnes homines juſti.*

Baj. Red. p. 56.

His ita occurrimus. Principio ſi Anonymi animum ſubiit cogitatio diluendi argumenta, quibus demonſtrari poteſt Bajum in propoſitione 38. loquutum de caritate habituali, aut juſtificante; cur prætermittenda ducit ea perſpicua, atque invictiſſima, quæ petuntur ex teſtimonio inſignium Theologorum, qui ante, & poſt conſtitutionem *Unigenitus* floruerunt, atque hos inter centum Galliarum Antiſtitum, unanimi conſenſione affirmantium duo tantum principia humanarum actionum a Bajo conſtitui, nempe *caritatem habitualem, & cupiditatem habitualem?* Si autem non auctoritate, ſed ratione duntaxat decertandum eſſe putavit, quod fieri nequit, dum agitur de traducendis & cenſura notandis placitis aliorum Catholicorum; cur ſaltem non ſibi objicit palmaria illa, & decretoria argumenta, quæ depromuntur ex denegata a Bajo diſtinctione duplicis juſtitiæ, duplicis vivificationis, & duplicis modi ſervandi præcepta quoad ſubſtantiam operum, & quoad meritum vitæ æternæ, atque ex iis propoſitionibus, in quibus Bajus, ipſo Anonymo teſte, aſſeruit hominem juſtificari, *quando incipit obtemperare mandatis*, ut vidimus paullo ſupra num. 5. cur, inquam, hæc prætermittit, quæ luculentiſſime oſtendunt, juxta Bajum, hominem, dum vivificari incipit per Spiritum Sanctum moventem, dum concipit novæ vitæ propoſitum, dum aliquid boni agit, fieri juſtum, & vivum in Chriſto palmitem, & cæleſte regnum promereri; ideoque in ſenſu Baji nil eſſe bonum, & non vitiatum, quod non ſit *a caritate juſtificante?* Hæc debebat Anonymus ſibimet objicere, & hæc expendere, ſi Bajaniſmum aliquantulum prænoviſſet.

Deinde affirmo, quod nec etiam objectionem illam minimam ſolvit. Ut enim dixi cit. num. 5. aliud eſt, quod non ſit medium inter peccatorem, & juſtum; & aliud eſt quod non ſit medium *inter cupiditatem habitualem*, qua homo redditur *formaliter* impius, *& inter caritatem habitualem*, qua redditur *formaliter* juſtus: & reſponſio Anonymi ad *habitus* a ſubjectis digreditur. Inter *habitum* enim caritatis & cupiditatis dantur *habitus* fidei, ſpei, aliarumque virtutum infuſarum, & acquiſitarum, qui *habitus* permanent in juſto cum *habitu* caritatis & permanent etiam in impio cum *habitu* cupiditatis: atque hi *habitus* non tantum in juſto, verum etiam in impio actus ſuos bonos producunt. Non eſt ergo certiſſima, ſed falſiſſima propoſitio, quod inter *habitualem caritatem* regnantem in juſto, & inter *habitualem cupiditatem* regnantem in impio non detur medium: & Anonymus propoſitiones ſuas tam aſſeveranter eructans non tam nos facit ſtolidos ac bardos, quam illos centum antiſtites, qui in Bajo damnatum eſſe dixerunt, „ Qu' il n' y a point d'autres principes de nos actions, que la *charité habituelle*, & la *cupidité habituelle*. „ Vide §. 4. n. 3.

Baj. Red. p. 57.

At reſponſionem ſuam Anonymus proſequens ait: *Si autem ut falſa & damnanda reddatur iſta propoſitio 38. velint adverſarii eam intelligi debere in eo ſenſu, quod omnis actio peccatoris ſit vitioſa, & omnis actio hominis juſti ſit laudabilis, falſa quidem, & reprehenſibilis eſſet in eo ſenſu propoſitio; ſed ille non eſt germanus, & legitimus illius ſenſus: non enim in ea dicitur de actionibus hominis peccatoris, quod ſint omnes peccaminoſæ. Perperam itaque adduntur hæc, vel ſimilia verba propoſitioni damnatæ, ut illi affingatur ſenſus omnino extraneus, ſicque eludatur cenſura Pontificia.*

Reponimus ad hæc, ſatis, ut arbitramur, a nobis demonſtratum eſſe, quo ſenſu propoſitio 38. proſcripta ſit, atque ex dictis conſtare quomodo iſte quoque ſenſus, *quod omnis actio peccatoris ſit vitioſa, & omnis actio hominis juſti ſit laudabilis*, non ſit extraneus, ſed proprius ejuſdem propoſitionis, ac multo minus ſit eluſio Pontificiæ cenſuræ. Ex quo enim juxta Bajum non ſit medium inter caritatem juſtificantem, & inter vitioſam cupiditatem, planiſſima conſecutione infertur, quod omnis actio peccatoris, cum derivare nequeat ab illa caritate juſtificante, procedat a cupiditate, ac ſit prava & vitioſa: & contra omnis actio juſti, cum eſſe nequeat a cupiditate regnante, ſit a caritate juſtificante, laudabilis, & habens meritum vitæ æternæ. Dixi id inferri planiſſima conſecutione: ſed ut obtundantur ora malignantium, qui ſcribere non verentur hunc eſſe ſenſum extraneum, atque a novatoribus excogitatum ad eludendas Eccleſiæ cenſuras, repetantur, quæſo, judicia clariſſimorum Theologorum, de quibus §. 2. & 4. Proferam unum Suareſium ſcribentem: *Accedit altera* Baji *propoſitio*, Omnis amor creaturæ rationalis, &c. *quæ videtur eſſe baſis ejus doctrinæ totius: nam ſubſumendo peccatorem non diligere Deum illa laudabili caritate, plane ſequitur eum ſemper operari pravæ, quia omnis hominis operatio eſt ab aliquo amore: ergo in peccatore eſt a vitioſa cupiditate a Joanne reprehenſa; ergo & peccatum.* Vide §. 2. num. 2.

Reſpondet 2. ad præmiſſam oppoſitionem Anonymus, *Bajum per caritatem illam, quæ diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, intelligere caritatem actualem, cum de ea aſſerat, quod ſit animi motus, quo Deum diligimus & proximum, de quo dicitur,* Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. *Unde licet Bajus in propoſitione 38. loquatur de caritate illa,* qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur, *ex eo inferri nullatenus poteſt, exponendam eſſe propoſitionem de caritate habituali; immo patet eam exponi debere de caritate actuali, quoniam de ea ſola ibi agit Bajus:* qui præterea aſſerit, *ut jam ſupradictum eſt,* ſe *de caritate habituali* non loqui.

Verum neque hæc reſponſio objectionem ſolvit, nec præcedentibus melior eſt: ex quo enim Bajus loquatur *de caritate actuali,* non habituali, idemque expreſſis verbis aſſerat ipſe in ſua *Apologia* (cujus tamen nullam rationem habendam eſſe dixi ſupra num. 4. & 5.) ex quo, inquam, Bajus loquatur *de caritate actuali,* & de hac uſurpet verba Apoſtoli, *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris,* nullatenus ſequitur Bajum caritati *actuali* non adtribuiſſe vim juſtificandi, doteſque caritatis *habitualis,* ſed infertur potius oppoſitum: atque id oſtenderat ipſe Anonymus, cui memoria aliquando refricanda eſt, ſcribens pag. 25. num. 4. *Quamvis definierit Concilium Tridentinum caritatem Dei diffundi in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhærere; Bajus tamen ſolam illam caritatem*

tem admittere videtur, quæ eſt actualis animi motus, quo Deum diligimus & proximum: unde ſicut hunc actualem animi motum contendit eſſe caritatem illam, quæ diffunditur in cordibus noſtris, ita & juſtitiam, qua juſtificatur impius, conſiſtere formaliter in obedientia mandatorum, non autem in gratia aliqua animæ infuſa, ut patet ex propoſitionibus ſequentibus 42. 66. 60. 61. Et pag. 26. numer. 5. *Dum contendit Bajus juſtificationem impii conſiſtere in obedientia mandatorum, fateatur neceſſe eſt impium juſtificari ante baptiſmi, vel abſolutionis Sacramentalis receptionem, tum ſcilicet, quando incipit mandatis obtemperare, illudque docet propoſit. 43. 31. 32. 37. 67.* Hæc Anonymus. Ipſius ergo confeſſione manifeſtum eſt, Bajum ita loqui *de caritate actuali*, ut eidem caritati tribuat *formalem juſtificationem* quam in ſenſu Baji non acquirit impius per *caritatem infuſam*, ſed per ipſam caritatem actualem, & *dum incipit obtemperare mandatis*: ideoque Anonymus nec ſelectis a ſe objectionibus reſpondet, immo ipſis reſponſionibus ſuis aperte revincitur, ac refutatur.

Bajan. Red. p. 57.

XI. Anonymus proſequitur, & adverſus ſe hanc aliam objectionem proponit: *Si Bajus non loquatur de caritate habituali, loquitur ſaltem de caritate actuali perfecta, quæ hominem juſtum reddit, falſum autem eſt præter iſtam caritatem perfectam non dari niſi illicitam cupiditatem. Datur nimirum & alia caritas, utique vera, ſed minor, qua cor hominis interdum ardere incipit, ut pedetentim ad juſtificationem perducat.* Huic objectioni aut inſtantiæ reſpondet 1. *propoſitionem 38. loqui de caritate generatim ſumpta, ſcilicet, ſive perfecta ſit, ſive ſolummodo imperfecta. Gratis igitur reſtringi eam volunt adverſarii ad caritatem perfectam & juſtificantem, licet forſan aliæ quædam afferri poſſent Baji propoſitiones, in quibus mentio fit de caritate perfecta.*

Ex dictis hæc etiam corruunt. Quamquam enim propoſitio Baji 38. falſa quoque ſit in ſenſu caritatis *generatim* ſumptæ, ut diximus §. 1. num. 3. tamen ex hac prima Anonymi reſponſione non evincitur, Bajum non loqui *de caritate juſtificante*; ſed evincitur omnino oppoſitum. Ipſo enim Anonymo teſte, ut nuperrime demonſtravimus, impius juſtificatur *quando incipit mandatis obtemperare*; ideoque juſtificatur *quando pedetentim ad obtinendam remiſſionem peccatorum diſponitur*. Mirum vero, quod Anonymus hæſitanter ſubjiciat, *Licet forſan aliæ quædam afferri poſſent Baji propoſitiones, in quibus mentio fit de caritate perfecta*. Non forſan, ſed certiſſime afferri poſſunt; & ab ipſo Anonymo afferuntur pag. 27. Sunt autem, ex quibus ille probat hominem juſtificari, *quando incipit mandatis obtemperare*; ideſt, 31. *Caritas perfecta & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tam in catechumenis, quam in pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.* 32. *Caritas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum.* 33. *Catechumenus juſte, recte, & ſancte vivit, & mandatum Dei obſervat, ac legem implet per caritatem, ante obtentam remiſſionem peccatorum, quæ in Baptiſmi lavacro demum percipitur.* 67. *Homo exiſtens in peccato mortali, ſive in reatu æternæ damnationis, poteſt habere veram caritatem: & caritas etiam perfecta poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis.* Igitur non *forſan*, ſed firmiſſime, & abſque ulla ambiguitate aſſerendum eſt, in quibuſdam Baji propoſitionibus mentionem fieri *de caritate perfecta*. Jam vero in ſenſu Baji vera juſtificatio poteſt ſeparari a remiſſione peccatorum, ut conſtat ex propoſitione 43. *In omnibus pœnitentibus ante Sacramentum abſolutionis, & in catechumenis ante baptiſmum eſt vera juſtificatio, ſeparata tamen a remiſſione peccatorum.* Rurſus in ſenſu Baji una duntaxat datur juſtificatio, *quæ fit per Spiritum Sanctum inhabitantem*; & una duntaxat vivificatio, *qua vivificatur qui vere juſtificatur, & palmes vivus efficitur in vite Chriſto:* ſiquidem ad hac juſtificatione & vivificatione juxta Baji propoſitiones 60. & 61. non diſtinguitur illa juſtitia, ſeu illa vivificatio, quæ fit per inſpirationem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, ut vidimus §. 3. n. 6. Quid ergo? Si in ſenſu Baji homo juſtificatur ante remiſſionem peccatorum,

Prop. 61.

juſtificatur autem, fatente Anonymo, *quando incipit obtemperare mandatis*, ſive ut Bajus ait, *dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propoſitum & inchoatio per Dei gratiam inſpiratur*; profecto omnis caritas juxta Bajum eſt juſtificans, immo juſtificans eſt omnis pius animi motus, & omnis actio, qua impius per Spiritum Sanctum moventem diſponitur ad conſequendam remiſſionem peccatorum: & conſequenter in propoſitione 38. revera Bajus locutus eſt *de caritate juſtificante, ac perfecta*.

Subjicit Anonymus tres alias reſponſiones futiles, ineptas, ac ſemel atque iterum refutatas. Reſpondet 2. quod ſi Bajus locutus eſſet de caritate juſtificante, *fatendum eſſet Summum Pontificem definiiſſe ſolummodo dari medium aliquod inter cupiditatem & caritatem perfectam. Quis autem ita deſipiat, ut hanc fuiſſe Summi Pontificis mentem ſibi, vel aliis ſuadere velit?* Reſpondet 3. Janſenium, cujus librum Urbanus VIII. cenſura notavit, tanquam renovantem errores a Sancto Pio V. damnatos in Bajo, *diſtinctionem caritatis perfectæ & imperfectæ adhibuiſſe*. Reſpondet denique *propoſitiones Baji damnatas eſſe in illius ſenſu*: Bajus autem in *Apologia* propoſitionis 31. fatetur in Catechumenis *ante remiſſionem peccatorum* dari caritatis initium. *Admittit ergo inter cupiditatem & perfectam caritatem aliquod medium, nempe caritatem imperfectam*.

Dixi has reſponſiones nullius eſſe roboris. Et quantum ad 1. conſtat ex dictis inter caritatem, & cupiditatem dari actus & habitus aliarum virtutum, & ipſam dilectionem Dei initialem, qui non ſunt a vitioſa cupiditate, & nihilominus *formaliter* non juſtificant. Hoc ergo definitum eſt in damnatione propoſitionum Baji, nullum admittentis medium inter noxiam cupiditatem, & caritatem *juſtificantem*. Nec deſipiunt, qui id affirmant; ſiquidem hoc Summus Pontifex definiens damnavit propoſitionem oppoſitam Tridentino Concilio, quod ſeſſ. XIV. cap. 4. docet contritionem imperfectam *donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis*. Illi ergo actus, quibus pœnitens viam ſibi ad juſtitiam parat, non ſunt vitioſa cupiditas; & tamen non ſunt caritas juſtificans, quia non ſunt *donum Spiritus Sancti inhabitantis*, contra ac ſentiat Bajus, qui ait impium juſtificari, quando per impulſum Spiritus Sancti moventis *incipit mandatis obtemperare*, ut ipſe Anonymus fatetur, ac demonſtrat pag. 26. & 27. Vide ſupra num. 5. 10. & 11. Quod repetit de Janſenio, quanti ſit ponderis colligitur ex num. 7. & 8. Quæ poſtremo reponit ex *Apologia* Baji, ex iis, quæ demonſtravimus hoc eodem numero, & confirmavimus confeſſione adverſarii, ineptiſſime proferuntur, quam Bajus in catechumenis, & in pœnitentibus agnoverit *veram juſtificationem* ſeparatam *a remiſſione peccatorum*; ideoque ex quo Bajus admiſerit caritatem ſine remiſſione peccatorum, ineptiſſime infertur Bajum admiſiſſe caritatem ſine juſtificatione. Adde quæ de Baji Apologia præmiſimus ſupra num. 4. & quæ præmonuimus §. 3. n. 1. demonſtrantes ſenſum propoſitionis 38. aliarumque Baji, cum apertiſſimus ſit, non eſſe ex auctoris Apologia, aut ex aliis ejus Opuſculis repetendum.

Bajan. Red. p. 59. & 60.

XII. Tertio loco proponit Anonymus adverſus ſemetipſum objectionem 3. quam ait potius appellandam eſſe *novam quamdam ineptiam*: nempe, *Cum ex propoſitionibus 35. & 40. aperte conſtet propoſitionem 38. de caritate actuali non poſſe intelligi, ſed de caritate habituali duntaxat*; poſſent obſtinate reponere adverſarii ſenſum a ſe propoſitioni 38. adſcriptum *eſſe illegitimum & rejiciendum*. Reſpondet autem 1. has duas propoſitiones non eſſe Baji, cum is expreſſe aſſerat non reperiri in Opuſculis ſuis: *ideoque ex propoſitione 35. & 40. erui non poteſt quis ſit ſenſus in propoſitione 38. a Bajo intentus*. Reſpondet 2. Bajum in ſua *Apologia* propoſitionem 35. hæreticam fateri, quatenus *etiam illum peccatorem comprehendit, qui a Deo juvatur ut credat, & de præteritis ſceleribus doleat*; non ergo voluit Bajus omnes actiones hominis exiſtentis in ſtatu peccati mortalis eſſe peccata. Addit non ſolum in *Apologia*, verum etiam in Opuſculo *de caritate* cap. 7. Bajum aſſerere, omnia opera ejus, qui nondum adeptus eſt remiſſionem peccatorum, non eſſe peccata: *In Catechumenis* (inquit) *ante remiſſionem peccatorum invenitur aliquod opus bonum, quod non eſt peccatum*.

Acutiſſime ſupra quam dici poſſit! In objectione Anonymus acu veritatem attingit: & dum illam *novam ineptiam* appellat, ſe ineptire evidenter demonſtrat. Id manifeſtiſſime oſtendo. Primo §. 3. num. 4. necnon in hoc §. 8. num. item 4. & 10. probatum eſt, propoſitionem 35. *Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt*, & prop. 40. *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati*, legitima & ineluctabili conſecutione inferri ex doctrina in pluribus aliis Bajanis articulis enuntiata. Sive ergo ſint Baji, ſive alterius, in ſenſu Baji damnatæ ſunt, ac merito cum Bajanis fuerunt Apoſtolicæ Sedi delatæ, & merito cum Bajanis ab Apoſtolica Sede proſcriptæ. Deinde advertimus, in ſenſu Baji *juſtificationem* ſeparari *a remiſſione peccatorum*, & peccatorem juſtificari, fatente Anonymo, *quando incipit mandatis obtemperare:* & conſequenter ubicunque Bajus ait bona eſſe opera peccatoris, *quando juvatur a Deo, ut credat, & de præteritis ſceleribus doleat*, loquitur de peccatore, qui nondum adeptus eſt remiſſionem peccatorum, non de peccatore, qui in Bajano Syſtemate ante remiſſionem peccatorum juſtificatur. Tertio objectio illa, quæ veritate ex invitis pectoribus aliquando erumpente, in Anonymi mentem venit, conſimilis eſt argumento Suarii probantis ex propoſitione 38. Baji, quod in hujus ſententia omnia opera peccatoris facta *abſque gratia ſanctificante* ſint prava, ut conſtat ex §. 2. n. 2. ideoque non eſt nova hæc Bajaniſtarum *ineptia*, ſed perantiqua celeberrimi

rimi Theologi ratiocinatio. Quarto idem Anonymus pag. 16. Bajanismi Redivivi scribit: *Bajus fuit illarum fere omnium propositionum auctor, atque ceterarum præcipuus saltem defensor*; quomodo ergo negat modo Bajum tradidisse propositiones 35. & 40.? Rursus scripsit Anonymus pag. 29. *Si nomine peccatoris intelligas illos omnes, qui non operantur ex motivo caritatis, consequens est juxta principium Baji in propositione 38. enuntiatum, quod peccator semper agat ex motivo cupiditatis, ac proinde quod semper peccet. Illud diserte docet in propositionibus sequentibus.* Prop. 35. *Omne quod agit peccator, &c.* Prop. 40. *In omnibus suis actibus, &c.* Quo ergo pacto sibimet Anonymus constat, affirmans modo propositiones 35. & 40. non esse Baji? Præterea docet Anonymus eumdem errorem propositionis 38. contineri in propositione 45. Quesnelli, *Amore Dei in corde peccatoris non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque ejus actiones corrumpat.* Bajan. Red. pag. 63. ac vide §. 6. n. 2. Atqui hæc propositio 45. Quesnelli est prorsus eadem cum illa propositione 40. inter Bajanas: *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*, ut recte observat Propugnator Constitutionis *Unigenitus*, p. 2. prop. 45. cap. 2. n. 4. pag. 367. Ergo propositio 40. inter Bajanas eumdem sapit, ac præsefert errorem propositionis 38. Ita undique Anonymus cavillulis suis parum sibi constare convincitur, & magis magisque apparet Bajum in propositione 38. accipiendum esse de *caritate justificante*. Nec immorabor amplius in discutiendis tribus illis frigidissimis responsionibus. Prior enim dispellitur, ex quo propositiones 35. & 40. sint Bajani systematis consectaria: altera eliditur, quia juxta Bajum peccator, dum per inspirationem Spiritus Sancti *incipit obedire mandatis*, justificatur, etiamsi non obtineat *peccatorum remissionem*: tertia exsufflatur, quia in catechumenis juxta propositionem Baji 43. ante remissionem peccatorum est *vera justificatio*. Vide paullo supra num. 11. immo ipsum Auctorem *Bajanismi Redivivi* pag. 27.

Vide etiam proximo nu. 14.

XIII. Postremo loco proponit sibi Anonymus proximum argumentum: *Omnis actio, quæ non fit ex amore justitiæ, non fit propter bonum finem, & ideo non caret peccato juxta communiorem Theologorum sententiam, qui nullos admittunt actus indifferentes in individuo.* Respondet autem, quod amor justitiæ, qui *juxta illorum Theologorum sententiam* requiritur, ut actio fiat propter debitum finem, *in operibus solum moraliter bonis, nihil aliud est, quam amor congruentiæ, quam habet aliquis actus cum recta ratione.*

Baj. Red. p. 61.

Verum supponit hic Anonymus tanquam certum, quod inter Augustinianos, & reliquos Theologos in controversia positum est, scilicet, posse fieri opus, quod attentis omnibus circumstantiis sit bonum, absque illius relatione in Deum per actualem, aut virtualem caritatem. Id nos negamus, & nobiscum id negant Theologi Orthodoxi quamplurimi; nec tamen assentimur propositionibus Baji, quoniam omissio debitæ relationis in Deum per caritatem, saltem virtualem, non corrumpit *intrinsece* opus ex officio suo bonum, nec facit, ut bonum censeri debeat *vitiosa cupiditas*, quamvis faciat ut illud censeri non debeat *simpliciter*, secundum omnem rationem, & spectata finis ultimi circumstantia. Confundit ergo Anonymus cum sententia Baji sententiam hanc Theologorum complurium, nulla censura notandam: quod jam prænonui §. 1. num. 4. In hoc etiam peccat, quod cum ex Theologis, *qui nullos actus in individuo indifferentes admittunt*, aliqui revera doceant in operibus solum moraliter bonis sufficere amorem congruentiæ, sive honestatis illius, quæ sine relatione in Deum relucet sese *in quocunque actu moraliter bono*; multi autem non Augustinenses tantum, sed quamplurimi alii ipsam relationem in Deum necessariam esse propugnent: Anonymus nulla distinctione facta ait *juxta Theologorum illorum sententiam*, (Theologorum scilicet, *qui nullos admittunt actus indifferentes in individuo*) sufficere amorem illius honestatis, *quæ elucet in quocunque actu moraliter bono*: quasi Augustinenses omnes, aliique adstruentes relationem in Deum cujusque operis deliberati, non Theologi essent, sed *pratenses fungi*. At de hac re in tertia Dissertatione.

Bajan. Rediv. pag. 62.

XIV. Expeditis propositionibus præcedentibus, transit Anonymus ad propositionem septimam ex 31. damnatis ab Alex. VIII. *omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, caritas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est:* quæ propositio eadem est, paucis terminis immutatis, cum propositione 38. Baji.

Egi de hac propositione §. VII. num. 5. ubi ostendi eamdem propositionem 7. proscriptam præsertim fuisse *in sensu caritatis justificantis*. Ergo in hoc quoque sensu damnata fuit propositio 38. Baji. Adde nunc testimonium P. Dominici Viva Soc. Jesu, qui in *Trutina Theologica* demonstrat illius septimæ propositionis falsitatem ex 25. Baji, *Omnia opera infidelium sunt peccata*; ex 35. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*: ex 40. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*; atque ex canone 7. sess. 6. Synodi Tridentinæ: *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare; anathema sit.* Ex quibus ita ratiocinamur: Juxta Anonymum sensus propositionis 38. Baji continetur in propositione 7. ex damnatis ab Alex. VIII. Sed propositio hæc septima reddit sensum, quod infidelis & impius *ante justificationem* in omni opere peccet, ac serviat *dominanti cupiditati*. Ergo hunc eumdem sensum reddit propositio 38. Baji. Atque hinc roborantur quæ dixi paullo supra numer. 12. Et quoniam P. Dominici Viva mentionem feci; is quoque eodem loco testatur, *per Bajum nullam in statu naturæ lapsæ dari virtutem infusam præter caritatem infusam, nullum esse virtutis actum, qui non sit elicitus a caritate, & nullum dari opus moraliter bonum, quod non mereatur de condigno vitam æternam.* Caritatem ergo *justificantem*, sine qua vitam æternam promereri non possumus, necessariam Bajus existimavit ad omne opus, quod sit moraliter bonum, & non sit a vitiosa cupiditate corruptum.

P. Viva p. 388. *edit. Pavinæ.*

Bajanism. Red. pag. 62. & 63.

XV. Eumdem errorem propositionis 38. Baji, affirmat Anonymus contineri in propositione 44. Quesnelii, aliisque *de caritate*, usque ad 58. quas exscribit, nulla addita expositione. A nobis autem demonstratum est §. 4. 5. & 6. easdem Quesnellii propositiones damnatas fuisse *in sensu caritatis habitualis, aut justificantis*: ideoque in eodem sensu damnata erit propositio 38. Baji.

Bajan. Rediv. pag. 64.

XVI. Gloriatur tandem Anonymus ex præcedentibus adnotationibus suis *luce meridiana clarius esse*, quod sensus articuli 38. Baji non sit, *quod omnia opera peccatoris sint peccata, & omnia opera hominis justi sint laudabilia, sed sensum esse, quod omnia opera, quæ non fiunt ex motivo caritatis, sint peccata: unde sequitur*, inquit, *eos favere erroribus damnatis, qui propositionem 38. Baji, aliasque similes exponunt de caritate habituali, & sanctificante.*

Contra nos *luce meridiana clarius* esse contendimus, Anonymum singulis illis adnotationibus nullatenus demonstrasse illam propositionem 38. non esse accipiendam de caritate sanctificante; quoniam ubique tacuit omnem caritatem, etiam actualem, & qua homo *incipit obtemperare mandatis*, in sententia Baji, esse *justificantem*, & posse dici quoad effectus & munera *habitualem*. Quare non debebat Anonymus, ut planissimis ratiocinationibus rudi, & imperito lectori fucum faceret, ad hunc modum argumentari, *Bajus loquitur de caritate actuali. Ergo non loquitur de caritate habituali, & sanctificante*, ad quod unum omnia ejus sophismata reducuntur: sed ingenue, quandoquidem id non ignorabat, singulis illis ratiocinationibus debebat addere: *Verum in sensu Baji quælibet caritas actualis, immo quodlibet bonum opus justificat.* Sed hoc tacuit, quoniam hoc uno additamento *Bajanismus Redivivus* in fumum abiisset. Poteram & ego his tantum verbis, *At juxta Bajum actualis quælibet caritas, & omne bonum opus justificat*, quidquid Anonymus producit, refellere: sed pluribus morem gerere necessarium fuit, quibus parum in re Theologica exercitatis veritas auctoritate, & ratione, erat manifestanda. Id num præstiterim, esto penes Theologos universos judicium. Illud quoque *luce meridiana clarius* esse contendimus, quod propositionem 38. Baji *de caritate habituali*, & *de cupiditate habituali* acceperint cujuscunque instituti viri doctissimi, necnon centum Episcopi Galliarum; de quibus num recte Anonymus sentiat, dum facit illos Baji fautores, ipse videat. Addit ex principiis Baji illud ulterius inferri, quod *omnis vera Christi gratia sit caritas, aut ejus inspiratio*; sed hanc gratiæ definitionem erroneam esse, cum dentur actus fidei, timoris, & spei, quibus peccatores disponuntur ad justificationem, nec tamen a caritate oriantur. Nolo de hac gratiæ definitione in præsentia differere. Agam de illa proximo capite, ac rursus in dissertatione de hæresi Jansseniana. Sufficiant modo, quæ de duplici sensu hujus vocabuli *caritatis* prænotarunt centum Galliarum Antistites, de quibus §. 4. num. 3. unde infertur illam definitionem rejici non posse, si in ea accipiatur vocabulum *caritatis* in sensu ampliori, & pro bona voluntate divinitus inspirata. Interim vero *Bajanismi Redivivi* fundamentum undique subversum est, atque ex momentis compluribus, necnon ex ipso Fabricatore, ejusque artificiosa structura labile & arenosum esse convincitur.

CA-

CAPUT II.

Demonſtratur in libris de Theologicis diſciplinis *pravos omnes ſenſus Bajani articuli* 38. *qui juxta Anonymum totius* Bajaniſmi *eſt baſis ac fundamentum, expreſſis verbis refelli ; ideoque illatam nobis* Bajaniſmi *notam eſſe puram putam calumniam.*

IN his, quæ de me, ac de Fulgentio Bellelli Anonymus tradit, duo arbitror eſſe diſtinguenda, modum ſcilicet loquendi, & rem ipſam, ſive pondus rationum. Quantum ad modum ſpectat, quo frequentiſſime me appellitat non tantum Bajaniſtam, ac Novatorem, ſed etiam *artificioſa fraude illudentem Catholicis, ut effugiam cenſuras in Bajum latas*, profiteor me nolle vicem detractori rependere, quum dedeceat Auguſtini diſcipulum retundere convicia conviciis. Si adverſarius, cui me arbitror ignotum eſſe, conſcientiæ latebras ſcrutaretur, illum S. Parentis Auguſtini verbis interpellarem : *Si mihi accommodares credendi benevolentiam, quoniam latebras animi mei arguis, quas utique promere ad oculos tuos, & demonſtrare non poſſum, facile de ipſo mutares ſententiam, & nolles amplius temere affirmare quod neſcis.* Erit tamen apud omnes æquos æſtimatores conſcientiæ meæ ineluctabile teſtimonium, quod nec ipſe Anonymus in libris meis vel unam Baji propoſitionem, quam non recte damnatam dixerim, potuerit offendere, & quod *Bajaniſmi* calumnia ſuis tantummodo detortis conſecutionibus innitatur. Verum has etiam conſecutiones a me facili negotio repellam : quod in præſentia, invocato illius nomine, *qui facit judicium omnibus injuriam patientibus*, facere aggredior.

Libro contra Secundinum cap. 1. *Tom.* 8. *p.* 529.

Pſal. 102. 6. & 145. 7.

§. I.

De priori ſenſu in propoſitione 38. *Baji proſcripto.*

PRimus itaque ſenſus in articulo 38. intentus a Bajo eſt, inter cupiditatem, quæ a Joanne prohibetur, & caritatem per Spiritum Sanctum in corde diffuſam, atque juſtificantem, non dari amorem aliquem bonum a gratia actuali non juſtificante excitatum.

I. Hæc autem in libro XVIII. cap. 2. mea verba ſunt : *Infideles deſtituti ſunt fide habituali, & cum gratia ſanctificante conjuncta, quam ſolam veram gratiam eſſe Bajus, & Queſnellus exiſtimarunt : non ſunt tamen, dum recte, & cum divina acceptatione operantur, deſtituti omni gratia actuali, & ingenito rationis lumine, in quo idea honeſtatis veritatiſque refulget.*

Tom. 3. *pag.* 285.

II. Hæc rurſus eodem cap. 2. ad 4. objectionem mea verba ſunt : *Quidquid fit abſque caritate habituali, cujus primus effectus eſt remiſſio peccatorum, qualem gratiam tantummodo Bajus, & Queſnellus propugnarunt, non recte opus bonum vocatur, nego majorem : Quidquid fit abſque caritate actuali, & gratia quæ juſtificationem præcedit, non eſt bonum opus rectum, ac bonum undequaque, & ad ultimum finem æternamque vitam perducens, concedo. Item concedo non eſſe bonum honeſtum, ſi corrumpatur vitio philautiæ, atque ad creaturam ultimo referatur. An vero ut honeſtum ſit, omnique vitio careat, neceſſaria ſit gratia ſupernaturalis, quæſtio eſt ſcholaſtica, nullo modo pertinens ad dogma nunc propugnatum.*

Ibidem pag. 390.

III. Hæc inſuper eodem in libro cap. 3. mea verba ſunt : *Ad Bajum quod attinet, dictum ſupra ab eo nullam admiſſam fuiſſe gratiam, niſi habitualem, & nullum in peccatore, vel infideli opus, quod peccati macula intrinſece non vitietur ; quam impiam hæreticamque doctrinam Catholici omnes repudiant.*

Tom. 3. *pag.* 398.

IV. Hæc itidem lib. XXI. cap. 4. mea verba ſunt : *Septima propoſitio ab Alexandro VIII. proſcripta ſurculus eſt Bajani articuli* 38. *ut animadvertit etiam Dominicus Viva in Trutina damnatarum Theſium Volum.* 3. *pag.* 98. *& merito damnata eſt, quoniam multa opera deliberata recte fiunt abſque caritate habituali, & ſine gratia Spiritus Sancti inhabitantis ; multa etiam ſpectato officio, & ſecundum operis ſubſtantiam recta ſunt, neque a noxia cupiditate proficiſcuntur, etſi virtutis laudem ex alio capite minime promereantur, ut explicatum eſt præcedenti Voluvine pag.* 390. *&* 415., *ex quo nempe recto ordine relationis ſint deſtituta.*

Tom. 4. *pag.* 211.

V. Hæc quoque mea verba ſunt lib. 34. cap. 6. *In hoc ſitus eſt error Baji, quod non ſecernat habitualem ab actuali juſtitia ; ideoque toto cælo diſtant a Bajo, qui docent per caritatem habitualem impium juſtificari, & per actualem diſponi ad juſtificationem, diſcrimen duplicis juſtitiæ, & duplicis juſtificationis a Bajo ſublatum apertiſſime tradentes & propugnantes.*

Tom. VII. *pag.* 584.

§. II.

De altero pravo ſenſu in articulo Baji cubante.

ALter ſenſus intentus a Bajo eſt, inter cupiditatem & caritatem actualem non dari amorem aliquem, neque uliam actionem, quæ non oriatur a cupiditate ; a qua omnis actio peccatoris juxta eumdem Bajum inficitur, & corrumpitur.

I. Oppoſitum a me traditur lib. XVI. cap. 3. his verbis : *Ex cupiditate nequit produci fructus bonus, quemamodum ex caritate produci nequit fructus malus. Nihilominus arbor mala cum ſola cupiditate poteſt non producere fructus malos, & inſita caritate poteſt producere fructus bonos.*

Tom. 3. *pag.* 286.

II. Item oppoſitum a me traditur lib. XVIII. cap. 2. proximis verbis : *Juſtus, qui eſt arbor bona, & ob gratiam ſanctificantem cordis habet munditiam, fideique oculum lucidum, ac ſupernis flammulis irradiatum, non omnia agit inculpate, & ex motivo ſanctæ dilectionis, cum frequenter in peccata venialia prolabatur, atque ad inſtar fructiferæ arboris, bona adhuc perſiſtente radice, aut ſterilis ſit, aut fructus proferat immaturos. Ita infidelis, & impius, cui ineſt radix culpæ, ac pravæ cupiditatis, interdum inſpiratione divina virtuoſe operatur ; quemadmodum arbor ſterilis ac ſylveſtris frondes ac flores emittit, atque ſi ramuſculus aliquis inſeratur, nonnullos etiam ſalubres fructus producit.*

Tom. 3. *pag.* 390.

III. Hæc itidem mea verba ſunt libro XVII. cap. 4. *Reſpondetur propoſitiones Baji rectiſſime fuiſſe proſcriptas. Primo, quia datur amor naturalis, quo animus fertur in beatitudinem, cujus deſiderium corrupta per peccatum natura non potuit amittere, atque hic amor non eſt a gratia, quemadmodum nec liber ea libertate, quæ ſufficiat ad meritum, ut Bajus, Queſnellus, & Janſenius commenti ſunt ; ſed eſt amor inditus a natura, indeliberatus, & neceſſarius.* 2. *Datur amor naturalis etiam deliberatus, quantum ad objectum, eoque revera diligitur Deus, ut eſt auctor naturæ, neque amor ipſe ſecundum ſubſtantiam malus eſt, ſed bonus, & rectæ rationi conſentaneus, licet aliquando non habeat rectitudinem finis, ſi Deus non diligatur propter ſe, gratis, & amore benevolo.* 3. *Etiam datur amor Dei auctoris naturæ, & bonus undequaque ſine gratia Spiritus Sancti inhabitantis, quam duntaxat admiſit Bajus, ut conſtat ex articulo* 62. *in quo rejicit tamquam commentitiam, & odioſiſſimam diſtinctionem duplicis juſtitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum caritatis inhabitantem, & alterius, quæ fit per inſpirationem Spiritus Sancti nondum cor inhabitantis, & in eo caritatem diffundentis. Ex qua prava doctrina ſequeretur, quæcunque fiunt ab homine nondum juſtificato vere eſſe peccata ; quod Bajus aſſeruit art.* 35. *ut cap.* 2. *dictum eſt.*

Tom. 3. *pag.* 415.

IV. Rurſus de propoſitione 9. ab Alexandro VIII. confixa hæc ſcribo lib. 21. cap. 4. *Etiam in hoc falſa eſt, quod ſupponit deteſtationem peccati ob ejus turpitudinem non oriri ex amore honeſtatis, quem rectum eſſe, & ad virtutem conſtituendam idoneum non denego, ſervatis tamen iis, quæ de virtutis norma diſſerui eodem volumine, pag.* 393. *&* 401. *Ita qui intuitu cæleſtis beatitudinis operatur, tenet amoris ordinem, quoniam æternam vitam diligere rectum eſt.* Vide eodem lib. cap. 2. pag. 197.

Tom. IV. *pag.* 211.

V. Inſuper de timore ſervili hæc ſcripſi lib. XXIII. cap. 12. *Timor inordinatus eſſe poteſt, atque, ut vocant, ſerviliter ſervilis, ſi nempe timens ſui ipſius delectatione fruatur, atque ea de re pertimeſcat quidquid ſibi tale damnum infert, nullam ſentiens honeſtatis, & juſtitiæ delectationem. Poteſt etiam eſſe ordinatus, & rectus, quia poteſt formidare gehennam ob ſui amorem, qui non ſit vitioſa cupiditas, nec ſummum bonum ſibi ipſi poſtponat, ſed ita ſeipſum diligat, ut in ſummi boni comparatione ſibi ipſi vileſcat.*

Tom. IV. *pag.* 501.

§. III.

De tertio Bajano ſenſu item abjiciendo.

EX articulo Baji 38. iſtud etiam conſequitur, non dari amorem beatitudinis ex appetitu innato provenientem, qui non ſit vitioſa cupiditas, aut laudabilis caritas ; ut diximus obſervaſſe Brunonem Neuſſer, & in hujus confutatione Noriſium.

I. Verum ego lib. XVIII. cap. 5. hæc ſcripſi : *Liberum arbitrium ſine gratia poteſt ſuam beatitudinem appetere naturali inſtinctu, quem non potuit amittere depravata natura.*

Tom. 3. *pag.* 421.

II. Eodem libro cap. 4. pag. 415. præmiſeram : *Datur amor naturalis, quo animus fertur in beatitudinem, cujus deſiderium corrupta per peccatum natura non potuit amittere* ; & alia conſimilia præcedenti §. II. num. 3.

III. Cum

III. Cum de hoc appetitu innato beatitudinis diversæ sint sententiæ Scholasticorum, produxi quæ de illo tradunt scriptores lib. 3. cap. 1. & in Additam. lib. XII. cap. 2. & 3. Commemoravi etiam eo loci sententiam Dominici Soti in 4. dist. 49. art. 1. quæst. 2. Addi possunt complures alii, inter quos Julius Cæsar Recupitus Societatis Jesu, qui pro appetitu innato beatitudinis acerrime pugnat lib. VI. de Verit. cap. 3. quæstione prima, cujus testimonio Cardinalis Norisius suam, nostramque responsionem confirmat: sed de his rursus, ubi pertractabitur *de statu naturæ puræ*.

Tom. 1. pag. 198. Tom. 2. pag. 557. & pag. 963.

IV. Undecunque oriatur amor beatitudinis, sive ex appetitu ejus innato, sive ex elicito, hæc litteris mandavi libro XVIII. cap. 3. *Nostratium singuli absque ullo vitio fatentur in unoquoque, quantumvis improbo, homine appetitum beatitudinis, quem natura in malis suis non potuit amittere.*

Tom. 3. pag. 392.

§. IV.

De quarto Baji sensu pariter reprobando.

ERravit præterea Bajus, quoniam inter cupiditatem, quæ prohibetur a Joanne, & caritatem, quam Deus remuneratur, existimavit non dari motus concupiscentiæ, qui non sint transgressiones legis.

I. Ab hac Bajana hæresi ubique recedo. Enimvero libro XV. de Hæresi Luthero-Calviniana cap. 2. & 3. & libro XVII. de Hæresi Janseniana demonstro motum concupiscentiæ, quem homines patiuntur inviti, etsi ad peccatum alliciat, & pœna sit originalis peccati, attamen peccatum non esse, quoniam certissimum est *non posse cum necessitate permanere libertatem arbitrii, non motum culpabilem, non proprie acceptum peccatum, non meritum spectans ad electionem mediorum, non opus aliquod dignum retributione, vel pœna.* Explico his in locis (pag. 296.) quo sensu ab Augustino ignorantia, & concupiscentia, quæ manent in regeneratis ad agonem, dicantur peccata, *quatenus & peccati pœna sunt, & ad peccandum inclinant*, sed inconcussa fide tenendum esse neminem cum ignorantia invincibili, & absque libertate indifferentiæ reddi legis transgressorem.

Tom. 3. pag. 344.

II. Inter canones a me statutos libro XXI. cap. 11. ad dignoscendum quando ignorantia, aut cupiditas sit noxia & culpabilis, hunc definivi num. 7. *Motus ille perniciosæ cupiditatis, in quantum homine invito consurgit, & rationem præcedit, est illa lex membrorum repugnans legi mentis, de qua Apostolus; peccatum etiam aliqua ratione appellatur, in quantum est radix mala, insita originali peccato, & ad peccatum alliciens. Verum cum non sit in libera potestate eumdem motum non experiri, nequit reputari illud peccatum, quod est legis inobedientia, & transgressio, quidquid commentus est Bajus merito ab Apostolica Sede proscriptus.*

III. Generalis est, ac sæpenumero a nobis repetita sententia, *in operibus indeliberatis, ac necessariis nullam meriti, laudisque inesse rationem, quemadmodum nec vituperii, aut malitiæ;* atque eamdem sententiam his verbis expressam invenies initio cap. 2. libri primi ac vicesimi.

Tom. 4. pag. 192.

§. V.

De sensu quinto Baji noxio, & rejecto.

BAjus insuper inter noxiam cupiditatem, & caritatem laudabilem non admisit actum aliquem bonum, promanantem ab habitibus infusis a caritate distinctis.

I. Libro autem XXI. de Theologicis disciplinis cap. 4. hæc leguntur: *A nobis non denegantur alii virtutum habitus a caritate distincti, cujusmodi est fides, spes, timor; neque recensetur inter vitia, aut detectatio peccatorum excitata ex illorum turpitudine, aut bonum opus patratum intuitu mercedis, aut fides, quæ a caritate sejungitur; quemadmodum autumabant illarum propositionum assertores: sed cum hæc omnia virtutum habitus, & in se inspecta bona esse profiteamur, contendimus habere a caritate, & ab amore virtutis formam, ac perfectionem; quamquam iis habitibus, ac virtutibus recte utamur, etiam destituti caritate habituali, dummodo aliquo amore dirigantur in Deum ultimum finem, aut saltem conformentur communi, & incommutabili regulæ rectitudinis.*

Tom. 4. pag. 210.

II. Libro 23. cap. 10. hæc leguntur: *Ad virtutem non requirit Schola Augustiniana caritatem habitualem; sed ordinem dilectionis, qua virtus non sit inflata, dum ad seipsam refertur, nec vitio labefactetur, dum marcescit cupiditate; de quibus plura lib. 18. cap. 3. Deinde profitetur habitus virtutum etiam supernaturalium, a caritate distinctos; tametsi caritas actibus ceterarum virtutum tribuat formam, ac perfectionem; ut explicavi supra pag. 208. Denique contendit humanam voluntatem in quolibet exercitio virtutis duci vario ipsius amoris affectu, sive boni cupiditate, quæ nec deesse in fide informi, autore S. Thoma 2. 2. qu. 5. art. 2. ad 2. sed non requirit ad cujuslibet virtutis actum explicitum illum amorem, qui tendit in Deum ut summum bonum, constituitque virtutem peculiarem ceterisque præstantiorem, quæ speciali quadam ratione dicitur caritas.*

Tom. 4. pag. 489.

III. Eodem libro cap. 11. hæc leguntur: *Spes a fide & a caritate distinguitur, etiamsi ad actum spei requiratur amor aliquis inchoatus, quo Deus diligitur, ut inquit Estius in 3. distinct. 26. §. 2. quatenus ab intellectu proponitur, ut summum ac beatissimum nostrum bonum, licet semper non adsit amor caritatis, quo voluntas affecta cetera omnia summo bono postponat.* Ac de timore in proximo cap. 12. pag. 501. *Potest etiam esse ordinatus, & rectus, quia potest formidare gehennam ob sui amorem, qui non sit vitiosa cupiditas.* Et paucis interjectis: *Advertas, quod si hujusmodi timor naturalis sit, neque ex perversa cupiditate, & prædominante rerum creatarum dilectione oriatur, nequaquam culpandus est, sed est innoxia passio naturæ imbecillis, atque infirmæ, ut paullo supra diximus cum Augustino. Illud quoque animadvertas non esse timorem mundanum, & malum, eum, quo aliquis timet sæcularem potestatem, judiciumque terrenum, dummodo hunc timeat quatenus a Deo constitutus est, nec sine causa gladium portat, ut ait Apostolus ad Rom. XIII. 4. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit. Nam istiusmodi timor rectæ rationi consentaneus est, neque natura sua excludit amorem justitiæ.*

Tom. 4. pag. 495. *Pag. 502.*

IV. Integra dissertatione lib. 19. cap. 4. demonstro peccatorem fide, spe, ac timore ad justificationem disponi.

Tom. 3. pag. 490.

V. In dissertatione de Pœnitentia in lucem edita biennio, antequam *Bajanismus Redivivus* prodiret, initio scilicet anni 1743. cap. 1. ad hunc modum loquor: *Quid vero dicendum de Pœnitentia, quam in nobis excitat timor gehennæ, ac turpitudo peccati? Illam proculdubio inter veras virtutes connumerare debemus. Quamquam enim volumine IV. pag. 205. a nobis tradita est definitio illa virtutis, Virtus est ordo amoris, quæ utique Augustiniana est, Augustini verbis contexta, & Augustinianæ doctrinæ munimentis firmata; non tamen inde inferre quis potest denegari a nobis veras, propriasque virtutes a caritate distinctas. In eodem quippe volumine 4. eodemque capite testati sumus dari plures virtutum supernaturalium habitus absque caritate: quod iterum asseruimus lib. 23. cap. 10. commostrantes veram ac supernaturalem fidem remanere in homine impio, ac rursus cap. 12. ubi adversus novatores ostendimus timorem servilem esse bonum ac supernaturalem, neque in eo inveniri aliquid vitii, quod eidem timori sit adscribendum.* Plura subjcio declarans me nunquam aliud intendisse præter id, quod traditur a S. Thoma 3. part. quæst. 85. art. 2. In eodem tractatu de Pœnitentia cap. 5. pag. 551., & seqq. refello propositiones Baji, & Quesnelli circa timorem a caritate sejunctum: & pag. 583. & sequenti rursus de propositionibus Baji pertractans, eas, quæ ad timorem spectant, longe discrepare a sententia nostra demonstro tum ratione, tum complurium Theologorum testimoniis, præsertim Lamberti Le-Drou, Caroli Vitasse, P. Le-Droint, Francisci Suarez, aliorum: ac post tam apertam, repetitam, & ubique insertam Bajani erroris detestationem, adinveniri potuit, qui me tanquam Bajanistarum omnium fraudulentissimum traduceret, extantque inter viros Catholicos, qui tanto impostori fidem adhibeant, nunquam fortassis, aut nonnisi perfunctorie libris nostris perlectis? Aut legant, & quæ in *Bajanismo Redivivo* continentur cum operibus nostris conferant diligentius: aut si libros nostros despiciant, quod a fratre humilis fortunæ conscripti sint, eosque tantum pervolutare velint, qui exarati dicuntur a Viro Ecclesiastica dignitate insignito; obsecro, atque obtestor, ut meminerint cujus sint ea verba, *Non valde curo superborum, imperitorumque judicia, qui similiter in legendos libros, atque in salutandos homines irruunt. Non enim cogitant, quales ipsi, sed qualibus induti vestibus sint, & quanta pompa rerum, fortunæque præfulgeant.* Sed jam quid ex dictis apertissima consecutione inferatur, attendant.

Tom. vii. pag. 473.

S. Augustinus Ordin. lib. 1. cap. 11. tom. 1. pag. 327.

CONCLUSIO.

In libris de Theologicis disciplinis non habetur pravus sensus articuli 38. Baji, ideoque nec ullum vestigium Bajanismi: cum judice Anonymo pag. 18. & 47. *præcipuum Bajanæ doctrinæ dogma, ceterorum fere omnium errorum in Bajo damnatorum caput, atque principium istud sit, quod omnis amor, quo creatura rationalis fertur in aliquod objectum, est aut vitiosa cupiditas, qua mundus, & ea, quæ in mundo sunt, diligitur, aut laudabilis illa caritas, qua Deus amatur, atque ideo omnis amor creaturæ rationalis habet pro fine vel Deum caritate amatum, & est laudabilis; vel mundum, & est culpabilis, atque vitiosa cupiditas.*

DE-

DEMONSTRATUR.

Pravus & hæreticus ſenſus Bajani articuli 38. eſt, quod Bajus inter vitioſam cupiditatem, quæ a Joanne prohibetur, & laudabilem caritatem, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur, non datur amor elicitus a caritate inchoata, & initiali, quæ *formaliter* non juſtificet, nec mereatur *de condigno* vitam æternam: non datur in peccatore, vel ſervo peccati amor aliquis, vel actus, qui non vitietur a prædominante cupiditate: non datur amor ortus ex appetitu innato beatitudinis, qui non ſit amor laudabilis caritatis: non datur motus concupiſcentiæ & pravæ cupiditatis, qui non ſit legis inobedientia, & tranſgreſſio; ac tandem non datur amor aliquis ordinatus, vel actus aliquis bonus, procedens ex habitibus a caritate diſtinctis. Hæc propoſitio conſtat, & evidentiſſima eſt ex primo capite hujus diſſertationis.

In libris *de Theologicis Diſciplinis* expreſſiſſime admittitur actus elicitus a gratia actuali, qui non eſt amor caritatis juſtificantis: admittitur in peccatore & in ſervo peccati amor naturalis, & honeſtus, qui non exoritur a cupiditate prædominante: admittitur amor beatitudinis ortus ex appetitu innato, aut elicito, qui non eſt illa caritas laudabilis: admittitur prava cupiditas, ſive motus concupiſcentiæ, qui non eſt inobedientia & tranſgreſſio legis; ac demum admittuntur actus virtutum, quæ ſunt habitus infuſi a caritate diſtincti, nec tamen a mundi cupiditate vitiantur. Hæc propoſitio ex hoc ſecundo capite manifeſtiſſima eſt.

Igitur in libris *de Theologicis Diſciplinis* non habetur pravus, & hæreticus ſenſus articuli 38. Baji, qui judice Anonymo *eſt præcipuum Bajanæ doctrinæ*, & ceterorum fere omnium errorum in Bajo damnatorum caput, baſis, atque principium.

§. VI.

Diſcutiuntur momenta, quibus Anonymus nititur demonſtrare in libris de Theologicis Diſciplinis *ſenſum propoſitionis Bajanæ* XXXVIII.

QUiſquis legerit teſtimonia ex libris a me in lucem editis collecta, & paullo ſupra producta, atque ex hac parte agnoverit illa articulis Baji, horumque pravis ſenſibus adverſari, ex alia autem parte acceperit me tamquam Baji ſectatorem ab Anonymo auctore *Bajaniſmi redivivi* proſcindi, & crudeliſſime lacerari; exiſtimabit proculdubio auctorem ipſum apertiſſimas antilogias protuliſſe, & dogmata præcedentibus contraria in lucubrationibus meis adinveniri, quæ accuſatorem non traxerint modo, ſed impulerint ad tam acerbam, immaniſſimamque criminationem. Verum ille nec me aliquo ſaltem in loco deteſtari Bajanos errores fatetur: nec me reprehendit hujuſmodi antilogiæ; nec me unquam honorificentiori titulo appellat, quam hominem opinionum pravitate, & in hæreticas novitates ſtudio corruptum, ab Orthodoxis cum Baji ſectatoribus diſſidentem, errores in Baji propoſitionibus damnatos evidenter renovantem, nullatenus diſcrepantem a Sectariis, tentantem evitare Eccleſiæ cenſuras; & ſi aliquid in ſcriptis meis reperitur, quod videatur a proſcriptis articulis diſſonum, illud arte, ſubterfugio, fraude a me inſertum ad Conſtitutiones Apoſtolicas eludendas. Profecto qui ad hunc modum loquitur, debuit tam expreſſum *Bajaniſmum* in libris meis reperire, ut nulla mihi evadendi via relinquatur; aut ſi id non reperiit, judex eſt inſipientiſſimus, atque iniquiſſimus. At imploro humillime obteſtorque Theologorum omnium æquiſſimum, rectiſſimumque judicium, necnon ſacroſanctam Eccleſiaſticorum Judicum auctoritatem, ut poſtquam aſſertiones meas directe Bajanis oppoſitas examinaverint, expendere non dedignentur num accuſatoris hujus argumenta talis ſint generis, ut cum iis, quæ paullo ſupra in defenſionem meam attuli, poſſint aliquantulum comparari, eaque valeant revincere ac ſuperare.

Bajan. Rediv. pag. 12. 179. 238. 260. 271.

Demonſtraturus itaque Anonymus in libris meis ſenſum Bajani articuli 38. ait me quidem illum *expreſſis verbis* non tueri, doctrinam tamen illius evidenter amplecti, dum affirmo lib. 21. cap. 2. de quocunque actu humano, quod, *niſi adſit caritas, per quam referatur in Deum, in praxi operans non operabitur propter æquitatem, cujus habet ideam ingenitam; ſed aut ſibi placens, aut fruens bonis commutabilibus, & ideo opus erit pravum, atque perverſum.*

Bajan. Rediv. pag. 173.

Ad hæc ita reſpondeo: Principio cum in ſcriptis meis non potuerit Anonymus invenire propoſitionem 38. in Bajo damnatam, & propter conſecutiones, quas e doctrina Scriptoris Catholici infert aliquis contrariæ ſententiæ propugnator, nefas ſit eidem doctrinæ calumniam inferre; conſequitur totam hanc *Bajaniſmi redivivi* molem eſſe alicujus impoſtoris figmentum. Deinde verba, quæ producuntur ex volumine IV. lib. 21. cap. 2. mutilata, & ſubdole conciſa in medium prolata ſunt. Ita enim eo loci ſcripſi: *Dixi, omnium menti ineſſe regulam quamdam incommutabilem æquitatis, ſed hominem lapſum magis movere, atque ad agendum trahere imagines rerum ſenſibilium, & inſeminatam peccato primis hominis noxiam cupiditatem: ad hanc comprimendam nobis inſpirari gratiam ſanctæ delectationis. Ad propoſitam ergo quæſtionem ex hac mea opinatione conſequens habetur reſponſum. Vel humanus actus dirigitur per caritatem, & gratiam ſanctæ delectationis in Deum, & eſt bonus undequaque; vel per eam ideam incommutabilis æquitatis rectæ rationi deprehenditur convenire, & eſt bonus moraliter; vel peragitur ob inanem gloriam, & eſt inflatus typho ſuperbiæ; vel propter res ſenſibiles & creatas, & cupiditate marceſcit. Igitur in individuo nullus datur humanus actus indifferens. Addo quod niſi adſit caritas, per quam referatur in Deum,* IN PRAXI *operans non operabitur propter æquitatem, cujus habet ideam ingenitam, ſed aut ſibi placens, aut fruens bonis commutabilibus: & ideo opus erit pravum atque perverſum.* Ibidem lectorem remitto ad ea, quæ habentur libro XVIII. cap. 3. ubi agens de ſententia noſtratium, qui propugnant omnia opera deliberata in finem ultimum per caritatem actualem, aut virtualem referenda eſſe, & de qua ſententia diſputo problematice, affirmo *opus non ordinatum ad pravum finem non eſſe intrinſece, poſitive, & quantum ad ſubſtantiam attinet vitiatum, & a radice malæ cupiditatis erumpens, ut falſo opinatus eſt Bajus*; licet non ſit bonum *undequaque, etiam intrinſece, & conſiderata omiſſione finis debiti.* Addo: *Ne ſit vitii labes, ſufficit uniformitas legi naturaliter nobis inditæ.* Ex his quomodo evincitur inter vitioſam cupiditatem, & laudabilem caritatem non dari amorem ortum ex appetitu beatitudinis, qui non eſt caritas per Spiritum Sanctum diffuſa? Quomodo evincitur non dari motus concupiſcentiæ, qui non ſint tranſgreſſiones legis, & cupiditas, quæ a Joanne prohibetur? Quomodo evincitur non dari amorem naturalem, qui non oriatur ex cupiditate prædominante? Quomodo evincitur perverſa, & cupiditatis contagione vitiata eſſe, quæ non procedunt a caritate juſtificante?

Tom. 4. *pag.* 195.

Tom. 3. *pag.* 401.

Pag. 402.

Sed iraſcitur adverſarius, quod dixerim: *Niſi adſit caritas, per quam referatur in Deum, in praxi operans non operabitur propter æquitatem, cujus habet ideam ingenitam, ſed aut ſibi placens, aut fruens bonis commutabilibus; & ideo opus erit pravum, atque perverſum*: iraſcitur, inquam; nam ubicunque in me acuit ſtylum, & videt in verbis meis expreſſe Bajaniſmum non contineri, huc recurrit, clamitans omnia a me dici artificioſe ad cenſuras vitandas, cum gratiam *in inſpiratione dilectionis, & caritatis* conſtituerim, ac dixerim opera, quæ in Deum *caritate* non referuntur, ratione finis prava eſſe, ac perverſa. Verum oh miſeram calumniatoris allucinationem! Nequaquam ex verbis illis meis inferri poteſt, opus abſque caritate actuali patratum (ut mittam Bajum agnoviſſe ſolam caritatem juſtificantem, quod cum Anonymus demonſtrare vellet eſſe ſubterfugium Bajaniſtarum, mendaces fecit eximios Theologos, non ſemel ſibi ipſi contradixit, ac demonſtravit oppoſitum) nequaquam ex verbis meis inferri poteſt, opus abſque caritate actuali patratum oriri *a noxia cupiditate*, ut commentus eſt Bajus; cum in ſententia noſtra eliciatur ab amore, quem honeſtum, bonum, & ordinatum eſſe profitemur, quamvis non procedat ab illa caritate, qua Deus diligitur propter ſe, prout conſtat ex verbis meis productis paullo ſupra §. 2. num. 3. ſed tantum conſequitur, opus illud, quod bonum eſt, ſi conſideretur principium a quo elicitur, & ſpectetur objectum, ac finis proximus, ad quem dirigitur & ordinatur, non eſſe bonum, ſi attendatur finis ultimus; vel pravum eſſe defectu operantis, qui idem opus ad Deum incommutabile bonum non referens adhuc fruitur bonis commutabilibus. Atque in hoc Anonymi detinetur ſupina doctrinæ noſtræ ignorantia, quod pravitatem operis provenientem ex defectu relationis in Deum confundit cum illa pravitate intrinſece operibus inhærente, quando eliciuntur a noxia cupiditate, nobis aut per ſummam ignorantiam, aut per execrandam malitiam ubique imputans, quod opera propter decorem virtutis, vel naturalem honeſtatem patrata tanti faciamus, quanti æſtimanda ſunt peccata, quæ committuntur fine poſitive perverſo, movente ac ſuadente perverſa concupiſcentia.

Deinde mirandum eſt, virum, cui ſubiit animus Theologiam noſtram mordere, & conviciis proſcindere, quaſi Bajana contagione contaminatam, aut diſſimulare, aut ignorare doctrinam illam noſtram de perverſitate operum, quæ non referuntur in Deum; ac meam præſertim aſſertionem de operibus *in praxi* ſpectatis.

ætatis, totam, quanta est, desumptam ex Henrico S. R. E. Cardinali Norisio: qui pertractans de Virtutibus Infidelium in Vindiciis cap. 3. §. 4. ita loquitur: *Illud autem Augustini pronunciatum, nempe virtutem, cum ob sui honestatem appetitur, esse superbam, ac philautia vitiari, probatur fuisse ab eodem Sancto Doctore serm. 13. de verbis Apostoli exemplo Stoicorum, qui sectabantur virtutem propter seipsam, eorumdem tamen virtutes superbiæ ancillabantur.* Et Augustini verbis productis, *Unde quidquid sit de re speculative considerata* (subjicit Norisius) IN PRAXI *Augustini sententia vera est. Porro tanta erat Stoicorum superbia, ut ad virtutem capessendam divino nos auxilio indigere stultissime pernegarent.* Norisio consentit Franciscus Macedo, qui tom. 2. Collat. in 2. sent. collat. 10. sect. 3. pluribus argumentis demonstrat verissimam esse sententiam, & proculdubio traditam ab Augustino, *ad vitanda peccata, tum ad bene & honeste cogitandum in ordine practico & morali, tum ad recte honesteque operandum, qualecumque id sit, modo honestum sit, opus morale, atque adeo ad servanda præcepta legis naturalis, ad amandum Deum justo & debito amore, in hoc statu naturæ lapsæ ac destitutæ, auxilio gratiæ aliquo esse opus; ut nihil omnino horum, quæ commemoravimus, per nudas solius naturæ vires cum ordinario & communi concursu naturali proxime ac expedite fieri ab homine possit.* Legenda est tota ea Patris Macedi disputatio, aut saltem a pag. 570. usque ad pag. 590. ubi etiam de Bajanis articulis accurate & erudite pertractat. Vides unde acceperim, quod etiamsi *speculative* loquendo, opus virtutis possit absque gratia consentaneus esse rationi, & regulæ æquitatis unicuique hominum inditæ; nihilominus IN PRAXI, nisi adsit gratia, per quam referatur in Deum, futurum esse pravum, perversum, atque inflatum typho superbiæ? Norisii doctrina hæc est, quam ubi ad pertractandum de relatione operum in Deum vindicationes istæ pervenerint, an Augustiniana sit, an Bajana, revocabimus ad examen. Audeo unum addere: quum Norisius tam constanter sententiam hanc propugnaverit; ego non solum in utramque partem disputavi, sed ulterius libro XVIII. cap. 3. his verbis disputationem absolvi: *Speculative itaque postrema sententia probabilis est, practice verissima est altera; quamquam nec ista videtur tanto rigore tenenda, ut vitiosum sit opus, quod non refertur explicite in Deum. Quæ si minus placeant; consulto proposui, & exornavi Doctorum scita, ut illud hac mea lucubratione facem præferente tuearis, quod rationi magis videbitur consentaneum.* Quare si quid peccati a me admissum est, non aliud fuit, nisi quod Scholæ nostræ adversariis plus, quam opus foret, concesserim.

Tom. 1. pag. 936.

II. Audiamus nunc alterum adversarii momentum, *Præterea*, inquit, *idem error evidenter colligitur ex ejus principiis; docet enim 1. quod gratia est mentis illustratio, & inspiratio caritatis, quæ magis in delectatione, quam in illuminatione sita est. Docet quoque 2. quod homo lapsus magis se delectat seipso, quam summo bono, si non ei sancta delectatio inspiretur; quoniam sine hujus delectationis dono prævalet rationi concupiscentia, cujus desideriis non obedire absque gratia Salvatoris non possumus.* Ex quibus principiis adversum me argumentationem, de qua paullo infra, contexit.

Bajan. Rediv. pag. 173.

Aliquantulum lectorem detineam, priusquam ulterius procedam, necessum est. Si in illa definitione gratiæ, quam a me traditam esse concedo, nomine *dilectionis & caritatis* intellexissem tantummodo amorem illum benevolum, quo Deus diligitur *propter se*; non proinde ex hac definitione sequeretur omnem amorem, qui non est amor Dei *propter se*, esse cupiditatem illam, *quæ a Joanne prohibetur*; non enim talis foret aut amor innatus beatitudinis, aut motus indeliberatus concupiscentiæ, aut amor naturalis nullam aut ex principio, aut ex objecto contrahens fœditatem: ac multo minus sequeretur cupiditatem esse caritatem illam initialem, quæ a gratia supernaturali procedit, nec semper in Augustiniana Schola justificat, semper quoque non habet meritum vitæ æternæ. Quomodo ergo ex illa gratiæ definitione infertur, omnem amorem creaturæ rationalis esse vitiosam & prohibitam cupiditatem, aut remuneratione dignam & laudabilem caritatem? Deinde sententia quidem mea ita gratia *in delectatione* consistit, ut semper indeliberatus aliquis affectus sanctæ dilectionis a Deo inspiratæ præcedat opus supernaturale deliberatum; at non semper delectatio illa est *caritas* peculiaris, qua Deus diligitur *propter se*; ita, ut amor supernæ veritatis fidem, amor felicitatis sempiternæ spem, amor gehennam fugiens timorem pariat, & amor omnium præstantissimus, quo Deus diligitur propter se, actum *caritatis* constituat. Neque hæc modo a me dicuntur ad vim argumenti alioqui nullius ponderis eludendam; siquidem Tom. IV. lib. 23. cap. 10. id expressissime asserui, ubi de Augustiniana sententia differens scripsi: *Contendit* (pandat aures, iterumque audiat criminator) *contendit humanam voluntatem in quolibet exercitio virtutis duci vario ipsius amoris affectu, sive boni cupiditate, quæ nec deest in fide informi, auctore D. Thoma 2. 2. quæst. 5. ar. 2. ad 2. sed non requirit ad cujuslibet virtutis actum explicitum illum amorem, qui tendit in Deum ut summum bonum, constituitque virtutem peculiarem, ceteriisque præstantiorem, quæ speciali quadam ratione dicitur caritas.* Ad eumdem plane modum principium aliud, quod præmittit Anonymus, ita sententia mea exponi debet, Si non sit *delectatio veritatis supernæ*, homo fide supernaturali non credit: nisi sit *amor beatitudinis*, non sperat: nisi sit *amor fugiens malum*, non timet: nisi sit *amor qui omnia operatur propter Deum summum bonum*, non habet peculiarem caritatem; quæ satis a me explicata fuisse cap. 1. §. IV. & hoc secundo §. v. absque ulla temeritate contendo.

Bajan. Rediv. pag. 173.

Duobus principiis discussis audiamus Anonymum in me dialectica ratiocinatione insurgentem: *Gratia*, inquit, *est inspiratio caritatis, seu sanctæ delectationis: hæc est prior hujus Theologi propositio; atqui ex eodem sine hac sancta delectatione concupiscentia prævalet rationi; ergo sine hujus delectationis dono homo semper obedit concupiscentiæ: ergo juxta illum omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, aut laudabilis caritas, ut loquitur Bajus.*

O acutissimum disputatorem! Si gratia esset *caritas* illa præstantissima, qua Deus diligitur *propter se*; quomodo hac argumentatione demonstraretur esse laudabilem caritatem amorem beatitudinis, quem natura per peccatum corrupta numquam potuit amittere? esse cupiditatem a Joanne prohibitam concupiscentiæ motum, quem homo patiatur invitus? ortum esse a cupiditate prædominante naturalem parentum & propinquorum amorem? & perversum esse amorem initialem caritatis, qui *a justificatione* sejungitur? Si vero id ex illa argumentatione non infertur; quomodo inde sequitur omnem amorem creaturæ rationalis esse vitiosam cupiditatem, aut caritatem laudabilem, ut loquitur Bajus? Igitur ne existimet me formidare jacula Dialecticorum; servata Scholasticorum forma, & dato, non concesso, gratiam sitam esse *in inspiratione caritatis & amoris Dei propter se*, distinguo minorem: Atqui sine hac sancta delectatione concupiscentia prævalet rationi, in amore, quo ex appetitu innato quisque diligit beatitudinem, nego: in motu concupiscentiæ, quo homo invitus percellitur, nego: in iis, quæ diligimus suadente ratione, aut impellente natura, nego: in iis, quæ ad pravum finem diriguntur, concedo. Quod si reponat, prava esse, quæ *sine caritate* non referuntur in Deum, in sententia Theologorum Augustinensium; jam constat ex dictis, prava non esse, quod oriantur a cupiditate, aut *positive* referantur in finem pravum; sed esse perversa defectu operantis, & ob circumstantiam ultimi finis, ad quem minime diriguntur.

In sententia autem mea, quæ gratiam constituit in inspiratione dilectionis, quatenus dilectio est *cupiditas boni* divinitus inspirata, ac tradit homines in quolibet virtutis actu duci *diverso amoris affectu*, non autem ad quemlibet virtutis actum esse necessariam affectionem illam amoris, qui specialissimo titulo *caritas* appellatur, argumentum illud telis aranearum fragilius est; quippe *cupiditas boni* in quolibet bono opere adinvenitur.

III. Ulterius procedit Anonymus, & cum ego lib. 18. cap. 3. scripserim sufficere ab opus morale ordinis naturalis, ut uniforme sit legi naturaliter nobis inditæ; verbis meis recitatis, ait *hoc lenimento specie quidem Catholico* errorem a me tegi, non devitari: cum simul velim, *cupiditatem inficere veneno suo omnia opera, quæ fiunt ob intimam legem honestatis, ideoque nisi fiant ex speciali gratia, ideo est ex inspiratione caritatis, esse peccata.* Mentitur. Eodem loco affirmo, mea omniumque Augustinensium sententia, *opus non ordinatum ad pravum finem, non esse intrinsece, positive, & quantum ad substantiam attinet vitiatum, & a radice malæ cupiditatis erumpens, ut falso opinatus est Bajus: licet non sit bonum undequaque, etiam extrinsece, & considerata omissione finis debiti.* Qua ergo æquitate, quo jure potuit criminator asserere, expressisque litteris consignare, sententia mea *cupiditatem inficere veneno suo*, quidquid non fit *ex inspiratione caritatis*? Quid est iis, quibus ignoti sumus, imponere, quid est calumniari, quid est mentiri, si hoc non est? At quod ait Anonymus, probare nititur ex verbis, quæ sequuntur: *Hæc tamen cum speculative vera sint, practice tamen loquendo, nunquam hominem lapsum agere convertendo se ad illam intimam legem absque cupiditate, philautia, ideoque quodlibet opus bonum fieri ex speciali gratia.* Agnosco verba mea, immo Norisii, ut supra demonstravi; at non percipio, quomodo hinc inferatur, *cupiditatem* inficere *veneno suo* omnia

Bajan. Rediv. pag. 174. Tom. 3. pag. 401.

opera

opera, quæ non fiunt ex *ſpeciali gratia*, ideſt, ex *inſpiratione caritatis*. Si enim adverſarius contendat me in definitione gratiæ accepiſſe caritatem, & dilectionem pro amore Dei, quo diligitur propter ſe, (quod ex dictis conſtat eſſe falſiſſimum) non ſequitur infici veneno cupiditatis amorem beatitudinis, quem natura corrupta in tot malis non potuit amittere; non ſequitur eſſe tranſgreſſiones legis motus concupiſcentiæ, quos homines patiuntur inviti; non ſequitur oriri *ex cupiditate prædominante* actus illos, qui boni ſunt ſpectato principio, a quo manant, & objecto, ad quod tendunt, licet non ſint boni undequaque, & defectu relationis in finem ultimum; ac multo minus ſequitur eſſe peccata, & opera *veneno cupiditatis* infecta, quæ fiunt ex caritate inchoata, & nondum juſtificante. Si vero definitionem illam meam univerſim comprehendentem *cupiditatem boni*, divinitus inſpiratam probe Anonymus intellexit; cur eadem urget, ac repetit, quæ me ab omni errore Baji alienum eſſe commonſtrant: cum ſine caritate proprie dicta, non tamen abſque ulla amoris affectione, bonos eſſe apertiſſime pronuntiaverim actus omnium virtutum, quæ ab amore Dei, & a caritate, qua Deus diligitur propter ſe, diſtinguuntur: ne repetam, quod centies dixi, abſque ſancta dilectione divinitus inſpirata, non eſſe *cupiditatem a Joanne prohibitam* motus indeliberatos concupiſcentiæ, non eſſe cupiditatem amorem beatitudinis, non eſſe cupiditatem amorem illum multiplicem, qui licet defectu ordinationis in finem ultimum non ſit bonus undequaque, non eſt tamen a *noxia cupiditate* intrinſece vitiatus, atque corruptus?

IV. Affirmat poſt hæc Anonymus expreſſius a me (quem hoc loco Theologi nomine dignatur) *nullum agnoſci medium inter opera, quæ fiunt ex caritate, & ſunt laudabilia, & opera, quæ fiunt ex cupiditate, & ſunt peccata*; dum doceo nullum dari opus indifferens, *expers ſcilicet tam nequitiæ, quam probitatis*, citato volumine 4. lib. 21. cap. 2. ubi licet admittam opera moraliter bona, illa nempe, quæ per ideam incommutabilis æquitatis rectæ rationi convenire deprehenduntur; contendo tamen prava eſſe ac perverſa, neque operantem *in praxi* propter æquitatem operaturum, niſi adſit caritas, per quam referantur in Deum; atque hic recitat verba mea, de quibus num. 1. Non video quid novi præſeferat rationatio iſta. Ignorat ne adhuc, hanc eſſe Auguſtinenſium Theologorum firmiſſimam aſſertionem, omnia opera in Deum *actuali, vel virtuali caritate* referenda eſſe, ſed falſiſſimam deductam hinc illationem, Igitur ſi in Deum caritate non referantur, ducunt originem *a vitioſa cupiditate*? Negamus nos illationem iſtam, in qua operam ludit *Bajaniſmi redivivi* auctor, & circulator; quoniam opera multa, etiamſi quantum ad officium, & ſubſtantiam operis bona ſint, nec oriantur a *noxia cupiditate*, non tamen bona ſunt undique, & ratione ultimi finis; ac talia noſtrates eſſe contendunt opera, quæ caritate non referuntur in Deum; id, quod ignorare non poteſt quiſquis Auguſtinenſium Scriptorum unum, vel alterum lectitaverit. At quod riſu dignum eſt, teſtatur Anonymus nolle ſe hoc in loco agere de operibus moralibus ſine gratia peractis, de qua re pertractabit inferius: quum interim nihil habeat, quod nobis circa ſenſum propoſitionis 38. Baji opponat, præter gratiæ definitionem, & hæc perpauca, quæ ex diſputatione de operibus in Deum referendis infeliciter expilavit: immo ubi agit de hac operum relatione, hæc eadem, paucis adjectis, in me jaculatur, ut ſuo loco videbimus; quod evidenter commonſtrat, quanta conviciorum copia ſuperabundat, tanta illum inopia rationum laborare.

Bajan Rediv. pag. 177.

V. Ne tamen deſiſtat ab iniquiſſima accuſatione, ulterius progreditur, & ait unum ex conſectariis Bajani articuli 38. eſſe, *quod omnis vera Chriſti gratia ſit caritatis inſpiratio*: quæ definitio cum a Fulgentio Bellelli, & a me admittatur, conſequens eſt *a ceteris Bajaniſtis* minime nos diſſidere; quandoquidem etiam iſti *illuſtrationem mentis* admiſerint, ac in eo tantum erraverint, quod gratiam voluntatis conſtituerint *in inſpiratione ſanctæ dilectionis*, cum juxta Orthodoxos conſiſtat non ſolum in inſpiratione caritatis, ſed etiam in inſpiratione fidei, timoris, ſpei, ceterarumque virtutum ſupernaturalium: quarum actus a peccato ſunt immunes, etiamſi ulterius ad finem caritatis non referantur. Hæc Anonymus ad paginam uſque 179.

Expectabam argumentum aliud invictum, ac peremptorium, quo ad anguſtias redactus cogerer errorem meum confiteri; ſed rurſus nil aliud audio, niſi gratiæ definitionem, & bonos *ſine caritate* virtutum actus. His abunde ſatisfeci; & vereor, ne plura dixerim, quam promeruerit vulgaris, inſulſa, & recocta objectatio. Patiatur tamen, quiſquis in hanc Apologeticam diſſertationem conjicit oculos, prolixitatem verborum, ad quam me accuſatoris repetita cantilena compellit. Veriſſimum eſt, a me gratiam conſtitui *in illuminatione mentis, & in inſpiratione caritatis*, libro 14. cap. 7. nec debet inter nos de mentis illuſtratione diſceptari, cum illam Bajaniſtæ quoque admittant, ut inquit Anonymus; nec non Pelagiani, & Semipelagiani, ut libro de horum hæreſi cap. 8. num. 4. teſtatur Dionyſius Petavius. Miſſa interim de gratia intellectus, ſive illuminatione ſuperna, nonnulla de gratia voluntatis dicamus. Hanc ego appellans *inſpirationem ſanctæ dilectionis*, non cerebro meo definitionem aliam commentus ſum, ſed eam exſcripſi ex Auguſtino lib. IV. ad Bonifacium, ſive contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 5. num. 11. eamqae definitionem confirmavi S. Doctoris textibus locupletiſſimis, de Gratia Chriſti cap. 6. 26. de Spiritu & littera cap. 29. & 35. de Correp. & gratia cap. 11. de peccatorum meritis, & remiſs. lib. 2. cap. 17. aliiſque compluribus. Qua ergo fronte Anonymus diſſimulans definitionem illam eſſe Auguſtini, eam vellicat tanquam principium univerſi Bajani erroris?

Tom. 3. pag. 141.

Petavius To. 3. pag. edit. Pariſ. 630.

Legat, ſi ei primum talis definitio ad aures perſonuit, Laurentium Brancatum S. R. E. Cardinalem de Lauræa Opuſc. 3. cap. 15. ubi inſtituens quæſtionem, *Quomodo Deus per gratiam concurrat cum voluntate ad opus bonum*, demonſtrat concurrere *dulciter, ſuaviter, delectabiliter, delectatione, amore, voluptate, trahendo, delectando, inflammando*: quod demonſtat ex Auguſtini tract. 26. in Joannem, ex ſermon. 10. de verbis Domini, ex libro de nat. & grat. cap. 69. ex Enarrat. in Pſalm. 108. ex lib. 2. de peccator. meritis, & remiſs. cap. 17. ex lib. 2. ad Bonifacium cap. 9. ex lib. de Spir. & litt. cap. 3. ex ſerm. de verbis Apoſtoli ſerm. 6. & poſt alia plura id confirmans exemplo Martyrum, *Quomodo* (inquit pag. 489.) *potuiſſent fragiles & infirmi homines, pueri, ac fœminæ libenter & imperterrite hæc ſufferre, niſi Deus per ſuam gratiam apprehendere feciſſet hæc incommoda ipſis utilia eſſe, & quod in iis perferendis delectationem ac ſuavitatem fuiſſent experti?*

Pag. edit. Rom. 473.

Legat Franciſcum Macedum p. 2. Cortinæ ſcribentem, *Gratia intellectus in ſupernaturali illuſtratione, & gratia voluntatis in inſpiratione & delectatione item ſupernaturali conſiſtit*; idque confirmantem indigitatis Auguſtini locis lib. de ſpir. & lit. cap. 3. lib. 1. de peccatorum meritis cap. 17. & lib. 3. cap. 2. lib. 1. contra 2. epiſt. Pelagianorum cap. 3. in Pſal. 118. lib. 4. contra Julianum cap. 2. lib. de Grat. Chriſti cap. 3. & 5.

Edit. Pariſ. pag. 15.

Legat prælaudatum Dionyſium Petavium de hæreſi Pelagiana cap. 8. & 9. ubi explicato primo genere gratiæ, quam Auguſtinus ait ſitam eſſe *in mentis illuſtratione*, pertranſit ad aliud genus, quod in motione voluntatis poſitum eſt, & *Auguſtinus paſſim ſitum eſſe docet in delectatione, & ſuavitate dilectionis, quam Deus cordibus noſtris inſpirat*: id, quod Petavius demonſtrat ex lib. 2. de peccatorum meritis cap. 19. ubi S. Pater gratiam appellat *certam ſcientiam, & victricem delectationem*; ex lib. 1. de Grat. Chriſti cap. 6. ubi ait Deum hominum voluntati *ardorem dilectionis inſpirare*: ex lib. 4. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 5. ubi traditur definitio illa, quæ nobis objicitur: ex carmine Proſperi de Ingratis, in quo hæc leguntur:

Pag. 632.

Hunc itaque affectum, quo ſumunt mortua vitam,
Quo tenebræ fiunt lumen, quo immunda nitescunt,
Quo ſtulti ſapere incipiunt, ægrique valeſcunt,
Nemo alii dat, nemo ſibi;

& ne omnia producam, ex canone 4. Concilii Milevitani, ſive Africani, in quo legitur: *Utrumque Dei donum eſt, ſcire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus: nam ſicut de Deo dictum eſt, Qui docet hominem ſcientiam; ita etiam ſcriptum eſt, Caritas ex Deo eſt.*

Legat Stephanum Dechamps de hæreſi Janſenia- *Pag. Edit. Pariſ. 550.*
na lib. 3. cap. 16. ubi docet duodecim eſſe præcipua nomina, quibus Auguſtinus gratiam voluntatis deſignat, illam appellans primo a caritate, *Spiritum caritatis* lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 1. *Inſpirationem caritatis* epiſt. 147. *Infuſionem caritatis* lib. 2. ad Bonifac. cap. 8. *Gratiam, qua caritas Dei diffunditur in cordibus noſtris*, in omnibus paſſim Operibus, ac præcipue lib. de Gratia Chriſti cap. 26. Secundo a dilectione *delectationem ſummi boni* lib. de ſpir. & litt. cap. 3. & *inſpirationem dilectionis* lib. 4. ad Bonifacium cap. 5. Tertio ab amore eam nuncupat *amoris divini inſpirationem* in diſput. contra Fortunatum, atque in aliis locis frequenter. Quarto nominat *bonam concupiſcentiam* de ſpir. & litt. cap. 4. Quinto *cupiditatem boni* lib. 2. ad Bonifac. cap. 9. & aliis in locis non raro. Sexto *bonam voluntatem* lib. de Grat. Chriſti cap. 24. Septimo illam appellat *ſuavitatem*, cum alibi perſæpe, tum maxime 2. de peccatorum meritis cap.

cap. 17. & 19. Octavo eam vocat *dulcedinem* lib. 2. ad Bonif. cap. 9. Nono tam ſæpe *delectationis* nomen illi imponit, ut vox nulla frequentius occurrat in libris, quos in divinæ gratiæ defenſionem elucubravit. Decimo eam vocat *condelectationem legi Dei* lib. 1. de nuptiis, & concupiſcentia cap. 30. Undecimo *jucunditatem* nominat in Pſalm. 85. Duodecimo *voluptatem* appellat tract. 26. in Joann. *Hæc ſunt nomina*, inquit Dechamps, *quibus S. Doctor motionem voluntatis ab intellectus illuminatione diſtinctam exprimit*.

Evidentiſſimum itaque eſt gratiam voluntatis eſſe *inſpirationem dilectionis*, neque hoc eſſe principium Baji, ſed magni Auguſtini ſententiam conſtantiſſimam atque perpetuam. Neque inde ſequitur actus virtutum timoris, ſpei, fidei, aliarumque diſtinctarum a caritate, non eſſe a gratia ſupernaturali; quoniam in his quoque eſt *amoris quædam affectio*: neque habitu talium virtutum bene utimur *abſque amore*. Ne clamitet Anonymus: O pervicaciam Bajaniſtarum! non audito Noriſio in reſponſionibus adverſus Germa-

Tom. 1. pag. 1439. nitates, ubi ait: *Timor pœnæ in ſe eſt bonus, qui tamen ex illo ſerviliter, hoc eſt, ut non amans juſtitiam, bonum facit, non bene illud facit; quippe qui habet annexam voluntatem peccandi, ex qua derivatur ſervilitas, quæ timorem pœnæ, alias bonum, vitiat, & depravat.* Si Anonymo Noriſius quoque videatur ſectator Baji, au-

Tom. 3. pag. 535. diat Eminentiſſimum Bellarminum, cujus lib. 2. de Pœnit. cap. 18. hæc ſunt verba: *Qui ſerviliter timet, malus eſt, quia pluris facit pœnam, quam culpam, ſed timor ipſe non eſt malus, ſed bonus; quia non ideo ille eſt malus, quia vehementer timet pœnam, ſed quia non vehementius timet culpam: quod autem non vehementius culpam timeat, non oritur ex timore pœnæ, ſed ex defectu caritatis. Gregorius in 1. cap. Cantic. Recti, inquit, diligunt te, non recti adhuc timent te.* Hoc eſt, quod aſſerunt Auguſtini diſcipuli, *ex defectu caritatis* fieri rem bonam *non bene;* & quæ non a cupiditate, ſed a bono animi motu oriuntur, in eo, qui nullam caritatem habet, non eſſe bona ſecundum omnem rationem, ideſt, quia operans Deum non amat. Sed de timore interim hoc tantum; nam huc me traxit adverſarius in fine illius articuli, in quo demonſtrandum ſuſceperat defendi a me dogma Baji damnatum in propoſitione 38. Ad hujus errorem a me eliminandum, quæ ſcripſi non occultavi, quandoquidem omnibus obvia ſunt; ſed ipſe verba mea protuli, & ſententiam expoſui. Legantur, quæſo, ſcripta mea, & cum adver-

Epiſt. 75. pag. 880. edit. Morel. ſarii accuſationibus conferantur. *Deinde* (utor Magni Baſilii ad Neocæſarienſes verbis) *judicium detur æquum, & neutri parti ſeparatim addictum. Legatur objectum delictum. Probetur natura ſui condemnatum eſſe ſcriptum quod objicitur magis, quam quod ex ignorantia accuſatoris culpandum eſſe videatur. Sunt namque multa bona, quæ non exacto mentis judicio præditis non apparent. Neque enim quæ ejuſdem ſunt ponderis, paria eſſe videntur, niſi æquilibres ſint inter ſe lances.*

CAPUT III.

In quo demonſtratur præſtantiſſimum auctorem librorum, quorum titulus, Mens Auguſtini, *ab omni pravo, hæretico, & erroneo ſenſu Bajani articuli* XXXVIII. *fuiſſe alieniſſimum.*

FUlgentium Bellelli, non *filium Auguſtini ſpurium*, ſed Patri in dogmatum aſſertione ſimillimum, *non temerarium ſcriptorem*, ſed humillimum ac pruden-

B. Red. pag. 11. & 12. tiſſimum, non *dolis, artibus, & effugiis, quibus Baji diſcipuli uſi ſunt*, conſtitutiones Apoſtolicas eludentem, ſed harum auctoritati obſequio ac devotione maxima ſubjectum, Anonymus non religione tantum, ſed errorum quoque ſocietate mihi conjunctiſſimum fuiſſe pronuntiat. Quare cum ſcripta mea ab iniqua inſimulatione in iis, quæ ad Bajaniſmi dogma præcipuum pertinent, ſuperiori capite vindicaverim, eximii etiam ac præſtantiſſimi illius Theologi Opera purgata ſunt a falſa accuſatoris criminatione. Nihilominus ne quis arbitretur ſummi viri, quem priori loco adverſarius in crimen vocat, poſtquam migravit ad ſuperos, in Auguſtiniano Ordine, cui innumera contulit beneficia, periiſſe memoriam, atque a fratribus, filiiſque ſuis acerrimas, quibus poſt obitum laceratur,

Cap. 4. 9. calumnias excipi obtuſis, & agreſtibus auribus; egomet cauſam illius ſuſcipiam, atque actitabo, dans operam, ut unus ab altero fulciatur: quod recte Eccleſiaſtes appellavit *emolumentum ſocietatis*. Si vero id languide ac perfunctorie præſtabo, propterea quod non rudes ignaroſque duntaxat, in quorum claſſe

Cap. 7. 8. comprehendor, verum etiam *ſapientem*, teſte prælaudato Eccleſiaſte, *calumnia conturbat, & perdet robur cordis illius*: oro, atque obteſtor Auguſtinianæ familiæ Theologos univerſos, qui Fulgentio Bellelli inſtitutore ſublimiora ſapientiæ arcana perceperunt, eoque patrocinante conſecuti ſunt honores, laureas, & gymnaſiorum, cœnobiorum, provinciarumque regimina; ne ſileant, ne otio torpeſcant, ne gratiarum & beneficiorum immemores ſinant hominem honeſtiſſimum, & probitate ac doctrina integerrimum hujuſmodi maledictis, & contumeliis jactari. Interim ego ſcriptis illius Bajani articuli 38. ſenſum ac pravitatem ineptiſſime & mendaciter imputari, ſervato eodem ordine, quo uſus ſum in capite præcedenti, perſpicue & facillime demonſtrabo.

§. I.

Rejicit P. Bellelli præcipuum ſenſum in 38. Baji articulo reprobatum.

PRior ſenſus in articulo 38. damnatus in Bajo eſt, inter cupiditatem, quæ a Joanne prohibetur, & inter caritatem per Spiritum Sanctum in corde diffuſam non dari amorem a caritate actuali, & non juſtificante, profectum.

I. Fulgentius Bellelli luculenter affirmat dari caritatem a juſtificatione ſejunctam lib. 1. de ſtatu creat. rationalis ante peccatum cap. 14. his verbis: *Nec ipſa actualis fides, & ſpes, ipſeque timor, qui juſtificationem præcedit tamquam Spiritus Sancti donum, eſſe queunt ſine aliqua actuali dilectione.* Et paullo infra ait, *Si omnis caritas actualis juſtificet, Sacramentum mortuorum ex ſuperfluo applicari, dilectionem non ad juſtitiam diſponere, ſed ipſam juſtitiam eſſe; proindeque peccatorem juſtum fieri ex quo credit, quia tunc diligere incipit.* *Mens Auguſtin. Edit. Lucern. pag. 62.*

II. Proximo cap. 15. *Conſtat*, inquit, *inchoatam juſtificationem, & inchoatam dilectionem haberi poſſe abſque remiſſione peccatorum, quæ ſola perfecta dilectione præſtatur:* ibique meritum fidei, quæ juſtificationem præcedit, diſertiſſime *congruum* duntaxat appellat. *Pag. 71.*

III. In cap. 16. demonſtrat caritatem actualem non juſtificare delendo peccata, *niſi cordi prædominetur*, & explicans quænam ſit caritas prædominans ait: *Solus amor, quo res amata ita animo proponitur, ut pro illa ſi detur optio, & ipſe, & cetera contemnantur, cordi prædominans eſt; qui eo uſque pervenit, ut etſi motus actualis amoris ceſſet, adhuc animus rei amatæ adhæreat, ſi non actu, habitu ſaltem, & propoſito; ſine quo eſſe non poteſt, niſi contrario prædominante amore propoſitum jam pridem cordi infixum invertat.* *Pag. 73.*

IV. In Opere de modo reparationis humanæ naturæ poſt lapſum p. 1. lib. v. cap. 9. *In primis*, inquit, *certiſſimum eſſe debet, amorem honeſtatis, & juſtitiæ divinæ legis, qui timentis æternas pœnas cor interdum occupat, caritatem habitualem non eſſe. Peccatores nimirum ſæpiſſime ab hoc juſto timore ducuntur, cum de peccatis dolent, qui caritatem habitualem, ſeu gratiam remiſſionis peccatorum non habent.* Cujus generis ſunt in ipſo, & proximis capitibus innumera, cum propoſitionum Baji refutatione. *Pag. 328*

V. In altera parte pertractans de propoſitione 44. Queſnelli, quam certum eſt eamdem eſſe cum 38. Baji, fuſiori ſtylo demonſtrat in peccatoribus eſſe inchoatam dilectionem, & actiones multas, *quibus ad veniam peccatorum diſponuntur*, diſſertationem illam his verbis concludens: *Amor Dei ſive actualis, ſive virtualis, ſive implicitus, ſive explicitus, imperfectus tamen, peccatores facit Deum ipſum inchoate diligere, pioſque motus ad ipſum referre*: quos motus tota illa diſſertatione a juſtificatione, & a caritate habituali diſtinguit.

§. II.

Agnoſcit idem Auctor actus permultos, qui non ſunt a caritate, nec tamen a cupiditate vitiantur.

INtentus a Bajo ſenſus alter, pravus utique, & hæreticus, eſt nullam inter cupiditatem, & caritatem dari dilectionem, actionemque nullam; quæ niſi a caritate ſit, non oriatur a cupiditate prædominante, a qua vitietur, corrumpatur, & peccatum, legiſque tranſgreſſio fiat.

I. Contra Fulgentius Bellelli lib. 1. de ſtatu creat. rationalis ante peccatum cap. 16. ſcribit: *Sicut dum incommutabilis boni fruitio cordi humano prædominatur, in animo inſtillans propoſitum totam legem ſervandi eique ubicumque, & quandocumque parendi, ſi nihilominus levi quadam fruitione ad creata deflectat, quæ non ſub interminatione æternæ pœnæ vetantur, non propterea prædominans Dei amor diſturbatur e corde, ſed integer habitu & propoſito perſeverat, uſque dum fortior cupiditas in æternam legem graviter præcipientem aſſurgat; quia ſæpe (ut Auguſtinus docet cap. 38. de nat. & grat.) in leviſſimis, & aliquando incautis obrepit peccatum; & juſti fuerunt, & ſine peccato non fuerunt. Ita dum prædominanti ſervit cupiditati, non quæcunque Dei dilectio perverſum creaturæ reſcindit amorem, niſi eo uſque perveniat, ut totam legem ſervandi, & novæ* *Pag. 74.*

vitæ

vitæ propositum, omniumque propter Deum creaturarum contemptum in animum inducat.

P. 2. pag. 331. II. Rursus agens de propositione 44. Quesnelli, *Justi*, ait, *in quotidiana venialia prolabuntur peccata; & impii multa opera bona faciunt, actionesque multas habent, quibus ad veniam peccatorum disponuntur, timoris videlicet, doloris, fidei, spei, inchoatæ dilectionis, & orationis, quæ peccata dicere impium est.* Et post pauca: *Itaque amor ipse Dei inchoatus a pœnitentibus; juxta hanc pravam doctrinam, peccatum erit; nam habitualiter adhuc peccato serviunt, necdum a cupiditatis regno sunt liberi, priusquam peccatorum remissionem acceperint.*

Pag. 336., & 337. III. Expressius agens de propositione Quesnelliana 45. scribit: *Nam fide divina ait* (Tridentin. sess. 6. cap. 6.) *hominem credere, sperare, timore conuti salutari, peccata detestari, anteactamque vitam odio habere, ac de præteritis dolere peccatis: his enim actionibus, & similibus ad justificationem se disponit. Si autem hisce peccator operibus ad justificationem se præparat; quis nisi hæretico ductus spiritu, eamet dicat esse prava, & a carnali cupiditate corrupta?* Et infra. *Igitur carnalis cupiditas, quæ in corde ipsius habitualiter regnat, non omnes actiones ejus corrumpit.*

Pag. 339. IV. Post pauca pertractans de verbis Augustini cap. 117. Enchiridii, *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei caritas*, Fulgentius Bellelli agnoscit absque ulla caritate actuali opera, quæ non sunt peccata, neque oriuntur a cupiditate prædominante, dicens: *Inde autem nullo conficitur jure, quod prava cupiditas, caritate absente auxiliatrice, omnes hominis actiones corrumpat; quoniam deficiente victrici gratia, potest cum effectu bene aliqualiter operari, tametsi non bonum, quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam.*

Pag. 347. V. Præterea in propositionem Quesnellianam 46. ita eximius Theologus ratiocinatur: *Nimirum peccator, caritate habituali regnante, prædominanteque expers, cum ad justificationis gratiam se præparat, fide instructus suos ad Deum invocandum sensus componit; speque fretus propter retributionem sensus ad legis obedientiam submittit. Jejunio enim gustum castigat, sacris mysteriis devotus assistit, oculos a vanitatibus avertit, aures ad Dei verbum inclinat, linguam ad delictorum confessionem solvit, timoreque Dei concussus dolorem in corde excitat, gemitque. Has vero actiones, quæ ante regnantem caritatem, immo & pro illa adipiscenda a peccatore fiunt, quis malas dicat?* Hujus generis in libris Theologi hujus præclarissimi occurrunt plurima.

§. III.

Innatum amorem beatitudinis, qui non est caritas, neque cupiditas, Fulgentius Bellelli sæpe commemorat.

AD hæc inter vitiosam cupiditatem, & inter laudabilem caritatem medius est amor beatitudinis ortus ex appetitu innato creaturæ rationalis.

I. Hunc vero appetitum, qui non est cupiditas a Joanne prohibita, neque caritas in corde per Spiritum Sanctum diffusa, tam expresse Fulgentius Bellelli admittit, ut hinc unum ex argumentis deducat, quibus de statu creaturæ rationalis ante peccatum lib. 3. cap. 12. demonstrat, juxta principia Augustini admittendam non esse naturam puram; atque argumentum illud prosequens usque ad cap. 14. hisce verbis absolvit: *Natura vero rationalis propter indigentiam suam in Dei visionem inclinat, tamquam perfectionem, qua sola potest cumulatissime expleri.* Scio Anonymum ægre ferre, quæ a nostratibus de statu puræ naturæ traduntur: sed hac de re agendum proxima dissertatione. Pag. 421.

P. 1. pag. 118. II. In Opere de modo reparationis humanæ naturæ lib. 3. cap. 2. productis Augustini verbis, *Immutabilis autem, cum qua homo creatus est, & creatur, illa libertas est voluntatis, qua beati esse omnes volumus, & nolle non possumus*, inquit Bellelli: *Nempe quia in bonum commune beatitudinis omnes utique naturali voluntatis necessitate feruntur.*

III. Proximo cap. 3. addit: *Creatura vero rationalis beatitudinem necessario amat, quia nihil mali in hoc, quod est beatum esse, apprehendit. Quapropter lib. 5. Supplem. num. 55. & alibi sæpe Augustinus inquit*: Sunt & voluntaria necessaria; sicut beati esse volumus, & necesse est, ut velimus; *& lib. 6. nu. 12. hanc necessitatem nobis a Deo ait esse congenitam, secus vero particularium bonorum electionem.* Hunc beatitudinis amorem quis, nisi omnino desipiat, appellabit cupiditatem noxiam, aut caritatem per Spiritum Sanctum in corde diffusam?

§. IV.

Inter cupiditatem & caritatem Augustinianus Theologus medios fatetur actus indeliberatos immunes a culpa.

INter cupiditatem a Joanne prohibitam, & laudabilem caritatem non datur in sensu Baji motus concupiscentiæ, qui non sit inobedientia, legisque transgressio, etiamsi homo eumdem motum patiatur invitus.

I. At Fulgentius Bellelli de statu creaturæ rationalis ante peccatum lib. 3. cap. 17. de concupiscentia, quæ animum pertrahere nititur, quo ratio non dictat, *Si intelligant* (inquit) *nomine mali moralis culpam, certe in hoc sensu concupiscentia non est malum morale.* Pag. 443.

II. De modo reparationis humanæ naturæ lib. 4. cap. 25. scribit: *Sic autem Augustinus peccatum libertatis, & necessitatis distinxit, quemadmodum Theologi omnes peccatum* formale *a* materiali *discernunt.* Et postquam ait *pronitatem ad peccandum*, quæ in hac vita est impedimentum justitiæ, esse peccatum duntaxat *materiale*, hæc subjicit: *Perperam itaque Bajani peccata isthæc necessitatis ad culpam imputari statuerunt, eo quod Augustinus peccata esse dixit.* Pag. 242.

III. Proximo cap. 27. ad argumentum Baji autumantis motus concupiscentiæ, quos homines inviti patiuntur, esse contra præceptum illud, *Non concupisces*, hæc Theologus præstantissimus: *Respondemus primo, primos concupiscentiæ motus, quos inviti patiuntur homines, nec veram legis inobedientiam esse, vel transgressionem, nec liberos esse. Talis enim naturæ sunt, ut ab hominibus absque prævia deliberatione efficiantur: non igitur liberi censendi sunt, si indeliberati sunt.* Pag. 243.

IV. In eodem capite hæc leguntur: *Hinc qui motus in mente hominis omnem deliberationem antevertit, simplex delectatio dicitur; qui vero ad illum sequitur, vocatur consensus. In illo neque meritum habemus, neque demeritum: in hoc autem, quo priori delectationi consentimus, culpa, vel meritum reperitur.*

Pag. 247. V. Capite 28. hæc habentur: *Exinde autem liquidum fit, quam æquo jure damnata fuerit Baji propositio* 50. Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia. *Et* 74. Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati prohibiti præcepto, *Non concupisces*, unde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum, *Non concupisces*, quamvis transgressio peccatum non deputetur. *Quippe vera transgressio, & inobedientia legis absque deliberato consensu fieri non potest. Sique, ut ait Bajus, transgressio peccatum non deputatur; ergo non est* VERA, *& formalis transgressio, sed materialis duntaxat. Ubi enim nullus consensus, nulla quoque transgressio legis. Nullus autem in concupiscentiæ motibus, quos homines patiuntur inviti, consensus est. Ergo legis transgressio nulla.*

§. V.

In libris inscriptis, Mens Augustini, *commendantur habitus, actusque a caritate sejuncti.*

IN sensu Baji non datur inter noxiam cupiditatem, & caritatem laudabilem actus aliquis bonus procedens ab habitibus infusis, a cupiditate, & a caritate distinctis.

I. Verum Augustinianus Theologus in proposit. 57. Quesnelli, *Fides* inquit, *quæ nequit esse sine spe, & caritate, fides est per caritatem ipsam formata, quæ scilicet per dilectionem operatur. Nam fides informis, imperfecta, & minime de condigno meritoria, desperationis crimine spe sublata, sine spe esse potest.* En fides *informis* absque spe, & caritate. Pag. 193.

II. Paullo post declarat, nec etiam caritatem actualem *expressam*, scilicet, quæ sit amor Dei *propter se*, ad veram fidem, & veram spem requiri, scribens: *Quod si dicant, proscriptam thesim non de caritate perfecta, & sanctificante, sed de imperfecta, & inchoata esse intelligendam; in hoc etiam sensu falsam propositionem agnoscimus, quoniam indefinita est, & ut pluries diximus, caritas actualis expressa ad veram fidem, & veram spem habendam non exigitur.* Ubi animadvertendum est, Fulgentium Bellelli, quando adjutorium gratiæ universim in *delectatione*, ut ipse inquit, *auxiliatrice* constituit, nomine delectationis non intellexisse *caritatem expressam*. Pag. 194.

II. Scripserat paullo supra in propos. Quesnelli 54. *Eo sensu fidem, spem, aliasque virtutes sine caritate esse mortuas, quia ad meritum de condigno sine sanctificante caritate nihil valent. Ceterum juxta Orthodoxas Concilii Tridentini sanctiones in ordine salutari extinctæ penitus non sunt. Quandoquidem cum ex præveniente Dei* Pag. 185.

te Dei adjutorio, impulsuque Spiritus Sancti moventur, voces suas, peculiaresque operationes habent, quibus peccatores ad justificationis gratiam impetrandam disponuntur. Eo loci præveniens hoc adjutorium appellatur quidem *salutis desiderium*, & *amor virtutis*, at non caritas *expressa*, atque peculiaris.

Pag. 215. IV. Ulterius in Quesnelli propositionem 61. explicans quinam sit *amor justitiæ*, & *delectatio* ad quodlibet bonum opus necessaria, ait *nomine caritatis bonam voluntatem intelligi, etiam in fide & spe inclusam*, & inquit: *Ergo qui pio affectu volentes credunt, volentes timent, volentes obediunt, volentes sperant, tametsi per caritatem sanctificantem in Deum summum bonum has actiones non referant, voluntatem tamen peccandi deponunt, nec cor peccato addictum perverso animo servant.* Explicans subinde, quænam caritas necessaria sit, ut timor pravum animum cohibeat, docet necessarium esse *amorem inchoatum justitiæ*, & nomine *caritatis* non semper significari in Augustiniana Theologia amorem Dei super omnia, *sed ordinatam quamcumque boni cupiditatem*.

Pag. 218.

Pag. 331. V. Lib. v. de modo reparationis humanæ naturæ post lapsum cap. 11. *docet dilectionem justitiæ semper esse dilectionem Dei*; sed ait amorem justitiæ, *nisi accedat reflexio diligendi Deum*, non esse explicitam caritatem: *dilectionem explicitam* esse caritatem illam, *qua Deus diligitur gratis, & propter se*: dari *caritatem explicitam*, actualem, & inchoatam, quam plerique ex nostris in Sacramento requirunt ad gratiam adoptionis impetrandam: *contritionem imperfectam* animari ab hac benevola, & *explicita caritate*: dilectionem justitiæ *implicitam* illam esse, quæ continetur in amore cujuscunque rei justæ: hanc dilectionem in attritione quoque inveniri, *quamvis explicita Dei dilectione destituta sit*: verum non sufficere attritionem ipsam ad justificationis gratiam in Sacramento impetrandam, *nisi ei inchoatæ dilectionis explicitus actus accedat*. Habes ergo apertissime in Fulgentio Bellelli habitus fidei, spei, timoris, ceterarumque virtutum, non solum sine *caritate justificante*, sed etiam sine illa caritate, *quæ est explicita dilectio Dei*; & habes itidem absque *dilectione ipsa explicita* actus bonos ipsarum virtutum, non tamen ita bonos, ut ad justificationem obtinendam etiam in Sacramento sufficiant: quod communiter Augustiniani omnes propugnant.

CONCLUSIO.

In libris eximii Theologi Fulgentii Bellelli, quorum titulus, *Mens Augustini de statu creaturæ rationalis ante peccatum, & de Modo reparationis humanæ naturæ post lapsum*, non continetur Bajani articuli 38. sensus hæreticus ac perversus, ideoque nec vestigium aliquod Bajanismi: immo quum præstantissimus auctor sensus oppositos iis, quos præfefert damnatus articulus, expressissime tradat; non Baji sectator dicendus est, sed adversarius, ac talis, qui *Bajanismum* directe impetit, atque oppugnat.

DEMONSTRATUR.

Non defendit sensum illius Bajani articuli, quem Anonymus appellat præcipuum Bajanæ doctrinæ dogma, fontemque, & originem fere omnium errorum, qui in Bajo damnati sunt, sed ejusdem articuli pravum omnem sensum damnat, atque refellit, quisquis inter noxiam cupiditatem a Joanne prohibitam, & inter caritatem laudabilem, justificantem, & habentem meritum æternæ vitæ, admittit actus elicitos caritatis actualis imperfectæ, & inchoatæ: quisquis negat omnia opera peccatorum, qui *caritate habituali* destituti sunt, a cupiditate prædominante labefactari, & corrumpi: quisquis in creatura rationali agnoscit amorem beatitudinis, quem in tot malis humana natura non potuit amittere: quisquis fatetur dari pronitatem ad malum, & indeliberatos concupiscentiæ motus, qui non sunt transgressiones legis, sive, ut inquiunt scholastici, *formale* peccatum: quisquis demum absque *expressa caritate*, & *explicito* amore Dei *super omnia* docet actus fidei, spei, & timoris bonos esse, & ad justificationem impetrandam disponere, & habitus a quibus iidem actus eliciuntur, distinctos esse ab habitu caritatis, & sine hoc permanentes. Hæc propositio evidentissima est ex primo capite hujus dissertationis.

Præstantissimus Auctor librorum, quorum Titulus, *Mens Augustini*, affirmat dari inchoatum, & initialem Dei amorem a *caritate habituali* distinctum: propugnant in peccatoribus prædominante cupiditate gravatis, actus bonos complures, qui ab istiusmodi cupiditate minime corrumpuntur: agnoscit in creatura rationali amorem, ac propensionem innatam beatitudinis cordi universorum hominum inditam: asserit indeliberatos concupiscentiæ motus non esse violationem illius præcepti, *Non concupisces*, aut *formale*, ut inquiunt scholæ, peccatum; atque sine habitu caritatis habitus reliquarum virtutum, & absque *expresso & explicito Dei amore* bonos earumdem virtutum actus deprædicat. Hæc propositio ex dictis in hoc tertio capite manifestissima est.

Igitur auctor librorum, quorum titulus, *Mens Augustini*, non defendit sensum Bajani articuli 38. qui est Bajanæ doctrinæ dogma præcipuum, omniumque fere errorum, qui in Bajo damnati sunt, fons & principium; sed ejusdem articuli omnem pravum, damnatumque sensum damnat, atque refellit.

§. VI.

Responsio ad ea, quibus Anonymus nititur demonstrare in scriptis Fulgentii Bellelli sensum Bajani Articuli XXXVIII.

INquirendum modo est, quibus argumentis adductus Auctor *Bajanismi Redivivi* sensum damnati articuli 38. in præstantissimi Augustiniani Theologi scriptis offenderit.

Bajan. Rediv. pag. 162. I. Profert primum duo Theologi nostri testimonia: unum depromptum ex lib. primo *de statu creaturæ ratione ante peccatum*: alterum ex lib. 3. ejusdem Operis capit. 1. Illud est hujusmodi: *Nullus profecto deliberatus, & supernaturalis animi motus irrequietus & sine fine esse potest; ergo aut in Creatore, aut in creatura ultimum sibi finem præstituit. Quod si in Creatore, est caritas: si in creatura, est cupiditas.* Alterum vero est, quod sequitur: *Creatura rationalis quæcunque conderetur, sine ullo amore esse non potest. Ergo erit aut fruitio Dei, aut creaturæ, nec medium inter ista duo cogitabile est, ut liquido constat. At vero utrumlibet cogitetur, pura natura repugnat; quoniam si creatura fruatur, perversa est, & mala, adeoque nec pura; sin vero fruatur Deo, nec pura erit; quoniam Deus sine gratiæ adjutorio diligi omnino non potest.* Ex his hanc consecutionem infert Anonymus: *Nullum itaque Theologus iste agnoscit cum Bajo medium inter Deum caritate amatum, & creaturam cupiditate dilectam, ac proinde neque ullum admittit medium inter actiones, quæ fiunt ex motivo caritatis, & illas, qua fiunt ex motivo cupiditatis: sed hunc errorem, quem Frater Bellelli defendendum suscipit, jam in propositione 38. Baji damnatum vidimus.*

Respondeo, neque ex primo, neque ex altero testimonio consecutionem istam deduci, sed eadem semper Anonymum aberrare chorda, ignoratione summa Augustinianæ Theologiæ laborantem. Loquamur de testimonio primum producto. In eo Fulgentius Bellelli loquitur *de motu animi deliberato*, ut ex ipsis verbis perspicuum est. Igitur non negat dari inter cupiditatem prohibitam, & caritatem per Spiritum Sanctum diffusam, amorem beatitudinis, & motus concupiscentiæ *indeliberatos*, immunes a culpa, nec prohibitos præcepto, *Non concupisces*. Deinde eodem capite 18. ait: *Bonus quidem, & supernaturalis motus est,* Pag. 88. *etiamsi perfecta, & casta dilectione remissiva peccati* creatura rationalis *sit destituta*. Itaque sine gratia sanctificante, & absque *caritate habituali* agnoscit bonum ac supernaturalem amoris motum, a gratia prævenient excitatum. Præterea eo loci scribit: *Quocunque* Pag. 91. *motu sive fidei in propitiatorem Jesum Christum, sive spei sempiternorum, sive gehennæ timoris in præcedentis ruinæ reparationem erigatur, libero equidem flexu, & deliberata animi propensione, non inopinata mentis cogitatione, & nullo regulante consilio, opus est ut Sacramento quærendo se submittat.* Ergo sine caritate admittit bonum motum fidei, bonum motum spei, bonum motum timoris. Verum tamen est, quod in hoc Opere de creaturæ rationalis statu ante lapsum Theologus eximius contendit, *attritionem supernaturalem deliberatam & in debitum finem ordinatam, amore caritatis animatam esse*, ideoque ad gratiam in Sacramento impetrandam sufficere: immo videtur asserere, non posse attritionem ipsam ab amore caritatis sejungi, dicens: *Mira dictu res! Concedunt necessariam attritioni supernaturali gratiam prævenientem, comitantem, & in debitum & ultimatum supernaturalem finem ordinatam, & negant amorem!* Sed animadvertendum est juxta hunc Theologum alium esse amorem, quo peccator pio affectu credit, pio affectu sperat, pio affectu timet, scilicet *cupiditatem boni, amorem justitiæ, & dilectionem auxiliatricem* quælibet bona opera supernaturalia prævenientem; aliam esse caritatem explicitam, & expressam, *qua Deus diligitur gratis, & propter se*; id quod paullo supra ejusdem Theologi verbis apertissime demonstravi. Quando ergo Fulgentius Bellelli inquit, nullam aliam in Sacramento attritionem requiri præter illam, quæ est supernaturalis, & effectus gratiæ prævenientis, atque ipsum attritionis actum in finem ordinantis; non loquitur de illa attritione, quæ bona est spectato objecto proximo, & cupiditate boni, sive amore justitiæ, omne supernaturale opus præveniente; sed de attritione illa, quæ acce-

Præoccupatur objectio, quæ hinc posset erui.

dente explicito amore Dei *in finem ultimum* reflectitur, atque a timore servili ad timorem castum adscendit: quod vir doctissimus præcipue docuit lib. v. de modo reparationis cap. xi. his verbis: *At si attritio in Sacramento prorsus explicita Dei dilectione destituta sit, nonne disponit? Disponit plane ad gratiam impetrandam, sed non sufficit, nisi ei inchoatæ dilectionis explicitus actus accedat*: & longe antea in Epistola Apologetica ad Martinum Battaglinum virum doctrina singulari præditum, & gravissimis perfunctum muneribus, necnon summis viris acceptissimum, alieno scripta nomine, pag. 47. *Statuit Auctor laudato capite* 18. *lib.* 1. *attritionem supernaturalem conceptam ex timore pœnarum, conjunctam cum spe veniæ, & ordinatam in debitum finem castissime, necessariam & sufficientem esse in pœnitentiæ Sacramento ad impii justificationem impetrandam*. Ex hac autem digressione, quæ necessaria erat ad explicandam Theologi nostri de attritionis sufficientia assertionem, ab Augustinianis aliis minime discrepantem, revocans me ad institutum, illud peto ab ipsomet Adversario, num consecutio illa sua dicenda sit hominis ratione præditi argumentatio, an calumniatoris penitus excæcati argutatio lepidissima & nugacissima, dum ait Fulgentium Bellelli nullum medium adstruere inter cupiditatem, & caritatem citato lib. 1. cap. 18. in quo tam aperte inter caritatem per Spiritum Sanctum diffusam, & cupiditatem prohibitam admittit actus indeliberatos, admittit dilectionem initialem non justificantem, admittit bonos motus fidei, spei, timoris, qui absque explicito actu caritatis, etsi non sufficiant, disponunt tamen ad justificationem in Sacramento impetrandam.

Pag. 333.

Dixi de primo Fulgentii Bellelli testimonio: nunc de altero. Eo loci Theologus noster in sui confirmationem, atque explicationem affert Sancti Fulgentii Ruspensis Episcopi testimonium aliud consimile, exscriptum ex lib. 1. ad Monimum, quod est hujusmodi: *Nec est alia, quæ vera sit sapientia vel intelligentia creaturæ rationalis, nisi dilectio Creatoris, in qua tanto magis minusve est dilectio sui, quanto magis, minusve dilectionem suam exhibet Creatori. Voluntas porro creaturæ rationalis sine qualicumque amore non potest esse. Nec sic potest diligere, ut amorem suum non velit ad aliquid religare; quæ inter summum bonum, a quo creata est, & infimum bonum, cui prælata est, medio quodam loco posita, profecto aut in infimo bono necesse est miserabiliter jaceat, aut in summo bono veraciter feliciterque requiescat. Quodam etenim amore rapitur, seu cum obedientia sublevatur, & Creatori bono bene subjicitur: sive cum superbia deprimitur, ut creaturæ bonæ male dominetur*. Hæc Sanctus Fulgentius. Obtestor nunc Anonymi fidem; quid asseruit lib. 3. de statu creaturæ rationalis ante peccatum Fulgentius Bellelli, quod non scripserit lib. 1. ad Monimum S. Fulgentius Ruspensis Episcopus? Ait ille, *Creatura rationalis sine ullo amore esse non potest*: & S. Fulgentius, *Voluntas creaturæ rationalis sine qualicunque amore non potest esse*. Ille, *Ergo erit aut fruitio Dei, aut creaturæ*: iste autem, *Aut in infimo bono necesse est miserabiliter jaceat, aut in summo bono veraciter feliciterque requiescat*. Igitur si S. Fulgentius non fuit Baji præceptor, Fulgentius Bellelli non fuit Baji discipulus. Et quidem uterque a Bajo dissidet quamlongissime; loquitur enim *de fine ultimo*, ad quem media ordinantur, & qui necessum est ut sit Deus incommutabile bonum, aut creatura bonum fallax, & commutabile: id, quod apud Theologos est certissimum, adeo, ut ipse Anonymus scribat: *Verum quidem est, & indubitatum inter Creatorem & creaturam nullum esse medium, & consequenter finem, quem actibus nostris proponimus, esse vel Deum, vel creaturam*. Idcirco Fulgentius Bellelli sapientissime non *amorem* utcunque dixit, sed *fruitionem*: quo vocabulo in Augustiniana Theologia significatur diligere rem propter seipsam, & ad illam quælibet alia referre; nam ut ait S. P. Augustinus lib. 1. de Doctrina Christ. cap. 4. num. 4. *Frui est amore alicui rei inhærere propter seipsam. Uti autem quod in usum venerit, ad id, quod amas obtinendum referre*. Atque hinc etiam eruitur inter cupiditatem, quæ tendit ad creaturam tamquam ad finem ultimum, & caritatem, qua cor nostrum fertur in summum bonum, pariter ut ultimum finem, dari intermedios amores, & actus complures, eos scilicet omnes, qui ad *usum* pertinent, non ad *fruitionem*. Etenim Auctor *Bajanismi Redivivi* pag. 163. priorem illam fractam, insulsamque argumentationem concludens inquit: *Oblationem, & relationem in Dei gloriam non tenemur semper in singulis actionibus iterare, atque renovare, & ideo non peccant, qui habent aliquando pro fine secundario creaturam, modo ceteroquin hæc eorum actio sit ad Deum referibilis, & nulla prava vitietur circumstantia*. De hac re dictum supra, & pertractabimus rursus peculiari dissertatione. Interim sat est, si duo reponamus: unum, quod Augustinensium, qui propugnant necessitatem referendi omnia opera deliberata in Deum, nemo unus ait opera moralia & officia bona atque honesta esse *intrinsece* vitiata, aut corrumpi a prædominante cupiditate, a qua eliciantur: alterum, quod nec etiam Augustinensium aliquis affirmat, *oblationem illam*, ut inquit Anonymus, *& relationem in Dei gloriam* esse *in singulis actionibus* iterandam, atque innovandam. Immo Fulgentius Bellelli lib. v. *de modo reparat.* cap. 13. censet in rigorem propensam esse sententiam illorum, qui docent *actus caritatis*, quibus subsequentia opera ad Dei gloriam referuntur, *crebro esse iterandos*,, & affirmat satis esse, *si præcedens ordinativus dilectionis actus, qui statis temporibus præcedere debuit, nisi retractetur, moraliter perseveret*.

Cap. 18. pag. edit. Paris. 58.

Pag. 340.

II. Præterea ait Anonymus, Fulgentium Bellelli, etiamsi minime erret affirmando *nullum reperiri medium inter amorem Dei, & amorem creaturæ*, errare tamen quod contendat, *non posse creaturas diligi absque peccato, nisi hæc dilectio actu, vel virtute referatur in Deum*; immo errare etiam in eo, quod affirmet *actus fidei, spei*, aliarumque virtutum *peccaminosos esse, nisi ulterius referantur in Deum caritate amatum*. Verum hæc Anonymus pronuntiat quidem, sed patenti, splendidissimoque mendacio. Theologus enim noster apertissime, & sine ulla ambiguitate verborum docet multa fieri, quæ bona sunt, spectata operis substantia, utpote quæ non oriuntur a concupiscentia prædominante, atque ad objectum in se bonum, attento fine proximo, referuntur; & duntaxat cum Augustino contendit non esse bona inspectis omnibus circumstantiis, nisi referantur actualiter, aut virtualiter in Deum; quæ inordinatio ac pravitas non est operis, sed operantis, qui facit *bonum non bene*, ut de timore docent S. R. Ecclesiæ Cardinales amplissimi, Robertus Bellarminus, & Henricus Norisius, quorum verba produxi prope finem secundi capitis præcedentis. Atque cum eisdem verbis obsecro præcipitis judicii hominem, ut conferat hæc Fulgentii Bellelli lib. v. cap. 33. ad xii. Juliani argumentum: *Possunt quidem aliqua bona fieri non bene facientibus a quibus fiunt. Bonum est enim ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti. Sed ille, qui hoc facit, amando gloriam hominum magis, quam Dei facit, non bene bonum facit, quia non bonus facit, quod non bona voluntate facit. Quia scilicet defectus in actuali inordinatione voluntatis est, dum non refert bonum opus ad id, quod debet, saltem virtualiter*. Quod vero addit Anonymus, a Theologo nostro præclarissimo denegari actus fidei, spei, aliarumque virtutum, qui boni sint, & peccato non inquinati, *nisi referantur in Deum caritate amatum*; quum Fulgentius noster dilucide & expresse in locis productis §. v. ac repetitis paullo supra, doceat *absque explicata dilectione Dei* hujusmodi actus non solum bonos ac supernaturales esse, verum etiam ad gratiam justificationis disponere, nil reponam ulterius, nisi quod ait Sanctus P. Augustinus exponens ea verba, *Neque mentiemini, neque calumniam faciet unusquisque proximo*, quæstione 68. in Leviticum, *Neque calumnia sine mendacio fieri potest*.

Bajan. Rediv. pag. 164.

De modo reparat. P. 1. pag. 403.

Tom. 3. p. 519.

III. Auctor *Bajanismi Redivivi* conatur demonstrare Fulgentium Bellelli nullum amorem, sive caritatem agnovisse præter *amorem Dei supernaturalem, amorem, quo diligitur Deus gratis propter seipsum, sicut & intellexere Bajus, Jansenius, & sectatores eorum, ac proinde manifeste horum Novatorum doctrinam a F. Bellelli fuisse renovatam*. Quomodo id probat Anonymus? Quoniam lib. 3. de statu creat. rationalis ante peccatum, *Postquam cap.* 1. *amplexus est doctrinam in propositione* 38. *Baji damnatam, nimirum omnem amorem creaturæ rationalis esse aut caritatem bonam, aut cupiditatem malam, asserit cap.* 2. *Deum ut auctorem naturæ sine dono gratiæ diligi non posse. Et post allata cap.* 3. 4. & 5. *duo argumenta, seu potius sophismata, tertium conficit argumentum ex his duabus propositionibus, una scilicet, Deum perverse amari, si non diligatur propter se; altera autem, Deum non posse amari propter se sine veræ gratiæ adjutorio*. Hæc adversarius.

Bajan. Rediv. pag. 164.

Pag. 331.

Bellissime! Fulgentius Bellelli ait lib. v. *de modo reparationis* cap. 11. dilectionem justitiæ, & cupiditatem boni, in qua sita delectatio, ut ipse inquit, *auxiliatrix*, si Deus reflexe diligatur, esse *dilectionem Dei explicitam*; implicitam vero duntaxat, *si diligatur res, quæ Deo conformata justa est*: addit paullo infra, attritionem ad gratiam disponere, etiamsi *explicita Dei dilectione destituta sit*: declarat cubitalibus litteris dilectionem *explicitam* Dei esse caritatem, *qua Deus diligitur propter se, & gratis*: scribit alio in loco, *Caritas actualis expressa ad veram fidem, & ad veram spem habendam non exigitur*. Et adversarius hanc frontem gerit, hanc conscientiam, ut scribat Theologum nostrum nullam aliam caritatem agnovisse, præter amorem Dei *supernaturalem, amorem quo diligitur Deus gratis propter seipsum*? Qui vero tali præditus est mentiendi, & calumniandi artificio, is est,

P. 2. pag. 194.

Tom. 3. pag. 6.

is eſt, qui ingenuum, atque integerrimum virum damnat ſæpenumero doli, fraudis, & complurium ad eludendas Eccleſiæ cenſuras effugiorum?

Utinam ſaltem foret optimus dialecticus; ſed qui Theologi noſtri argumenta appellat *ſophiſmata*, videtur vim conſequentiæ penitus ignorare. Ex quo enim ad diligendum Deum, ut auctorem naturæ, neceſſaria ſit gratia, & Deus, quum ſit ſummum bonum, debeat diligi *propter ſe*; nulla ratione infertur, omnem amorem creaturæ rationalis eſſe cupiditatem, aut caritatem in ſenſu Baji, ſed infertur hoc unum, illam quoque caritatem, qua Deus ſuper omnia diligitur ut auctor naturæ, eſſe dilectionem explicitam Dei, præter quam datur dilectio implicita, *qua diligitur res, quæ Deo conformata juſta eſt*. Alioquin ſi ex quo Deus ut auctor naturæ diligi nequeat abſque ſupernaturalis gratiæ adjutorio, conſequitur Baji damnatus articulus 38. quomodo ab errore Baji immunes dicemus Theologos illos, qui illam de amore Dei ſententiam propugnant, præſertim Eminentiſſimum Bellarminum, qui lib. VI. de Gratia, & lib. Arbitrio cap. 7. ait: *Nos igitur ſententiam illam tertiam in ipſo titulo capitis annotatam, ita intelligimus, ut exiſtimemus non poſſe Deum ſine ope ipſius diligi, neque ut auctorem naturæ, neque ut largitorem gratiæ & gloriæ, neque perfecte, neque imperfecte, ullo modo; atque hanc non dubitamus ſententiam eſſe Sancti Auguſtini, imo etiam Scripturarum, & Conciliorum, quicquid aliqui minus conſiderate in hac parte ſcripſerint*. Quod vero eximius Bellelli ait Deum perverſe amari, niſi diligatur propter ſe, loquitur aperte de illo amore, quo non in Deo, ſed in creatura ultimus finis a creatura rationali conſtituitur, quod Auguſtiniana phraſi dicitur *frui utendis*, atque ſeſe perſpicue explicat hiſce verbis ab adverſario aut fraude, aut inſcientia mutilatis, *Deus etiam ut Auctor naturæ diligi nullo pacto poteſt tamquam in alium finem referendus, ita enim perverſe amaretur, utique illa perverſitate, quam præclariſſime Auguſtinus deprædicat*: OMNIS HUMANA PERVERSIO (inquit) FRUENDIS UTI VELLE, ATQUE UTENDIS FRUI. *Igitur non propter aliud, ſed propter ſe ipſum diligendus eſt Deus, id eſt, gratis amandus*. QUOD SI GRATIS NON FIAT, NULLO FIERI PACTO POTEST. Quæ verba Auguſtini callidus accuſator alto ſilentio præteriit. Mitto digniſſimam riſu eſſe argumentationem, ex quo Deus diligendus ſit propter ſe, ideoque in illum omnia opera deliberata actu, aut virtute referenda ſint, inferre ſenſum Bajani Articuli 38. quod Anonymus molitus eſt argumentatione præcedenti: atque ex quo damnatus ſit ſenſus Bajani Articuli 38. demonſtrare perverſum non eſſe Dei amorem, ſi non diligatur propter ſe, & in illum omnia opera deliberata actu, aut virtute non referantur; in quo ſita eſt objectio Anonymi vitioſo circulo perambulantis, colliſa nuperrime, & refutata.

Tom. IV. pag. 356.

De ſtatu creat. rat. pag. 352.

Lib. 83. qq. qu. 30.

Epiſt. 52. nunc 155. nu. 1.

IV. Inſiſtit Anonymus: *Cap. 18. poſtquam denuo aſſeruit, non poſſe creaturam rationalem Deum ullo pacto diligere ſine ſupernaturali gratiæ adjutorio, quo ſemel deſtituta omni etiam deſtitueretur caritate, hanc infert ipſe conſequentiam; Ergo dominanti cupiditati ſerviret*. Facillima eſt tamen huic inſtantiæ reſponſio; nam primum Auguſtinianus Theologus loquitur de creatura rationali, quæ deſtituta ſit *ſupernaturali gratiæ adjutorio*, ſine quo voluntatem creatam (non tamen abſque juſtificatione, & caritate habituali) non poſſe vitare peccatum, non propugnat tantum Noriſius in Vindiciis pag. 938. in Parallelo propoſitionis 25. Baji pag. 1343. & in Reſponſ. ad Germanitatem X. pag. 1436. ſed etiam Joannes Martinez de Ripalda celebris S. Jeſu Theologus, qui lib. I. de Ente Supernat. diſp. XX. ſect. 6. num. 25. ait: *Juxta Concilia, ac Patres Eccleſiæ voluntas ſuis viribus relicta nihil poteſt, niſi ſuperbiam & peccatum*. Quam propoſitionem Ripalda tota illa ſectione auctoritatis & rationis munimentis confirmat. Deinde juxta Fulgentium Bellelli peccator gratia actuali deſtitutus non ideo *cupiditati dominanti* deſervit, quaſi quicquid agit, ſit *ſecundum ſubſtantiam* vitium atque peccatum, & procedat a noxia cupiditate, a qua *intrinſece* corrumpatur; ſed quoniam licet bonum ſit quoad officium, operiſque ſubſtantiam, attamen non ſit *bene* ſpectata circumſtantia ultimi finis, in quem nulla caritate actuali, vel virtuali refertur: quod ſupra ejuſdem Theologi verbis ſemel, iterumque explicavi.

Bajan. Rediv. pag. 165. & Bellelli cap. 17. non autem 18. pag. 446.

Tom. I.

Ripalda Tom. I. pag. 159.

V. Ulterius progreditur Anonymus ſcribens Fulgentii Bellelli *erroneam ac doloſam mentem* magis ac magis patefieri, propterea quod ita exponit propoſitionem 31. & 32. Baji, ut velit præter caritatem, quæ hominem juſtum reddit, dari aliam caritatem, *qua cor hominis interdum ardere incipit, ut pedetentim ad juſtitiam perducatur*. Ait hujus effugii fallaciam aperte a ſe demonſtratam part. I. §. I. art. 3. num. II. ex quo nec Bajus, nec Janſenius imperfectam caritatem negaverint. Addit propoſitionem 38. nullam cum propoſitionibus 31. & 32. connexionem habere, cum illa enuntietur *de caritate generatim ſumpta*, iſtæ vero *de caritate perfecta*. Hac autem data occaſione affirmat ſenſum a Romano Pontifice damnatum in propoſitionibus 31. & 32. eſſe quod dilectio Dei ſuper omnia, & propter ſe aliquando conjuncta non ſit cum remiſſione peccatorum.

Baj. Red. p. 166.

Reſpondeo illarum duarum propoſitionum 31. *Caritas perfecta, & ſincera, quæ ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tam in catechumenis, quam pœnitentibus, poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum*, & 32. *Caritas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum*: illarum, inquam, propoſitionum expoſitionem traditam a Fulgentio Bellelli eſſe optimam ac legitimam, cum Bajus propoſitione 43. admiſerit veram juſtificationem ſeparatam a remiſſione peccatorum, & favente Anonymo pag. 26. Bajaniſmi Redivivi, aſſeruerit *juſtificationem impii conſiſtere in obedientia mandatorum*, unde ſequitur impium juſtificari, *quando incipit mandatis obtemperare*. Illam autem Fulgentii Bellelli reſponſionem, quam minime adverſarius inſectaretur, ſi præditus eſſet vividiori memoria, arbitror ſatis ſuperque fuiſſe a me vindicatam ab omni Bajani erroris ſuſpicione lib. 34. cap. 6. ad quem locum remitto lectores. Et quidem eamdem reſponſionem tradunt quotquot exigunt in Sacramento Pœnitentiæ caritatem aliquam initialem, ut legi poteſt apud Le-Drou, Vittaſſium, Le-Droint, alioſque ibidem laudatos. Sat erit ſi addatur modo, quæ de hiſce duabus propoſitionibus Baji ſcribit Aloyſius Turrianus Societatis Jeſu illuſtris Theologus in Tractatu contra errores Baji cap. 6. §. 1. ubi ait: *Exiſtimabat de facto Bajus veram caritatem & juſtitiam poſſe eſſe ſine remiſſione peccatorum, ac proinde cum peccato per temporis ſpatium; quæ eſt hæreſis & error in fide juxta ea, quæ docent Auctores I. 2. ad quæſt. 113. de juſtificatione, & ita merito damnantur propoſitio 31. & 32.*

Tom. 7. p. 583. & ſeqq.

Turrianus pag. 361.

Quod Anonymus ait de ſenſu propoſitionis 38. tota hac diſſertatione refutatum eſt, ipſaque ejus adnotatio p. I. art. 3. §. I. num. II. rejecta eſt animadverſionibus meis capit. I. §. 8. n. item II. Præterea etſi daretur in ipſa 38. propoſitione ſermonem inſtitui de caritate *generatim ſumpta*, non autem *de caritate diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum*; ob variam caritatis ſignificationem, hujuſque vocabuli ſenſum communiorem, damnanda erat tamquam captioſa & ambigua. Id vero, quod adverſarius noſter poſtremo ait, omnem caritatem, quamvis inchoatam tantummodo atque initialem, quæ ſit dilectio Dei ſuper omnia & propter ſe, juſtificare ſuapte natura, idque in damnatione propoſitionum Baji 31. & 32. definitum eſſe a Summo Pontifice, id eadem, qua aſſeritur, facilitate refellitur. Alio enim in loco demonſtratum a nobis eſt, ſententiam eorum, qui propugnant neceſſitatem amoris benevoli, initialis, & inchoati in Sacramento Pœnitentiæ, & negant hujuſmodi amorem ſemper conjunctum eſſe cum remiſſione peccatorum, eſſe non tam omnium Auguſtinenſium, quam complurium Pariſienſium Theologorum firmiſſimam aſſertionem, nec poſſe juxta decretum Alexandri VII. ann. 1667. die 5. Maji cenſura ulla, vel contumeliæ nota taxari. Vide librum 34. de Theologicis diſciplinis cap. 5. prop. I.

Tom. 7. p. 519.

VI. Inſuper opponit Anonymus Fulgentium Bellelli miras artes adhibuiſſe, ut ad alienum ſenſum detorqueret propoſitionem ſeptimam ex XXXI. damnatis die 7. Decemb. an. 1690. ab Alexandro VIII. tum in Opere *de ſtatu creaturæ ration.* lib. 3. cap. 28. tum in Opere *de modo raparationis* lib. V. cap. 20. nam in utroque loco illam propoſitionem Auguſtinianus Theologus damnatam eſſe ait, quoniam præter deliberatam dilectionem Dei, & deliberatam concupiſcentiam carnis dantur operationes aliarum virtutum, quæ tamen non ſunt undique bonæ, niſi in Deum referantur. Quam reſponſionem Anonymus ita interpretatus, quaſi Fulgentius Bellelli ſcripſerit in hoc tantum erraſſe Bajum, quod præter deliberatas actiones a cupiditate, vel a caritate elicitas, nullas alias agnoverit, in hanc exclamationem erumpit: *Quis mortalium, ac præſertim Catholicorum, hæc ferre, ac patienter audire valeat?*

Bajan. Rediv. pag. 170.

Reſp. Quandoquidem Anonymus ubique more aſpidum pungit, ſi audire non vult, adinſtar aſpidis ſurdæ obturet aures ſuas. Audient Fulgentium Bellelli humaniores, & doctiores, & de ejus doctrina judicium pronunciabunt. *Rejicitur*, inquit cit. lib. v. cap. 20., *hæc propoſitio*, Omnis humana actio deliberata eſt Dei dilectio, vel mundi; ſi Dei, caritas Patris eſt; ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt; *quoniam adæquate dividit actionem humanam deliberatam in Dei dilectionem per caritatem, & mundi malam concupiſcentiam. Ultra enim caritatis actum, fidei etiam, ſpei, timoris, pœnitentiæ, religionis, aliarumque virtutum officia agnoſcenda ſunt, & admittenda. Nec*

P. I. pag. 362.

quicumque mundi amor mala concupiſcentia eſt, quia ſæpe homines mundum honeſte, ordinateque diligunt, opere virtualiter ſaltem in Deum relato. Quoniam vero fruitio ultimi finis propter ſe explicitus eſt in eo quieſcens, verum erit ſi reſtricte dicatur, Omnis humana fruitio eſt Dei dilectio, vel mundi; ſi Dei, eſt caritas bona: ſi mundi, eſt cupiditas mala, *de qua ſcripſimus etiam lib. 3. de creatura rationali ante peccatum cap. 28. pag. 506. ubi & 38. Baji propoſitio allatæ conſimilis rejecta invenietur*. Hæc P. Bellelli. In quibus verbis quomodo nullam aliam actionem agnoſcit, niſi deliberatam dilectionem Dei, & concupiſcentiam carnis, ſi admittit præterea *actus fidei, ſpei, timoris, pœnitentiæ, aliarumque virtutum?* Sed vide, quæ de hac propoſitione ſeptima præmonui cap. 1. §. 7. nu. 5. & §. 8. num. 14.

Pag. 171. VII. Inſurgit autem adverſarius: *Error Baji, & Bajaniſtarum non in eo conſiſtit, quod nullos admittant actus fidei, ſpei, timoris, pœnitentiæ, religionis, aliarumque virtutum, tales ſiquidem actus libenter agnoſcunt. Error autem eorum in eo ſitus eſt, quod doceant tales actus, ſi non habeant pro motivo Deum caritate amatum, eſſe peccaminoſos, utpote a mala concupiſcentia prodeuntes. Similiter amorem mundi innoxium admittunt, ſi referatur in Deum ex motivo caritatis*. Nihil ergo docet F. Bellelli, quod cum erroribus Baji penitus non concordet.

Reſp. Laus Deo: confeſſus tandem eſt accuſator, in quo conſiſtat error Baji, in eo ſitus, quod actus timoris, fidei, ſpei, aliarumque vitutum, niſi referantur in Deum per caritatem illam explicitam, qua Deus diligitur gratis, & propter ſe, ſint peccata, prodeantque a mala concupiſcentia. Atqui Fulgentius Bellelli, ut non ſemel illius verbis productis oſtendimus, docet, *expreſſam*, ſive *explicitam caritatem* ad fidem, ſpem, aliaſque virtutes non requiri; negatque ea, quæ non referuntur in Deum, procedere a concupiſcentia prædominante, & eſſe peccata. Igitur Fulgentius Bellelli eſt ab errore Baji, & Bajaniſtarum alieniſſimus.

Bajan. Rediv. pag. 172. VIII. At eſt argumentum aliud adverſus Fulgentium Bellelli; nam *eadem mala fide*, qua expoſuit propoſitionem ſeptimam damnatam ab Alexandro VIII. explicat propoſitionem 44. Queſnellianam.

Reſp. 1. Si utramque propoſitionem eodem modo explicat, bene utramque explicat.

Reſp. 2. Explicare propoſitionem 44. Queſnelli his verbis: *Pravus ſenſus ipſius eſt, quod velit Queſnellus amorem Dei juſtificantem, ſeu caritatem, quæ habitualiter in juſti hominis corde regnat, actiones, volitioneſque omnes ipſius ad Deum referre, & meritorias facere. Contra vero amorem noſtri, ſeu cupiditatem, quæ habitualiter regnat in corde hominis impii, omnes ipſius corrumpere actiones, & in peccata convertere*: quem ſenſum ait damnatum a Concilio Conſtantienſi in articulo 16. Joannis Us, & a Tridentino ſeſ. 6. can. 7. Addit Pater Bellelli jure meritoque propoſitionem illam 44. fuiſſe damnatam, quoniam *& juſti in quotidiana venialia prolabuntur peccata, & impii multa bona opera faciunt, actioneſque multas habent, quibus ad veniam peccatorum diſponuntur: timoris videlicet, doloris, fidei, ſpei, inchoatæ dilectionis, & orationis, quæ peccata dicere impium eſt*. Manifeſtiſſimum eſt autem ex dictis cap. 1. §. 4. alios complures in propoſitione 44. Queſnelliana eumdem ſenſum hæreticum, quem detexit eximius noſter Theologus, deprehendiſſe. *Bellelli in Prop. Queſnelli pag. 130.*

IX. Opponit tandem *Bajaniſmi Redivivi* Auctor, Fulgentium Bellelli non uno loco affirmaſſe gratiam prævenientem nihil eſſe aliud, quam *caritatem actualem*, Sed adverſarii alucinationem abunde refutavi in diſcuſſione poſtremi argumenti capitis præcedentis. Profecto vir doctiſſimus, & in Auguſtiniana doctrina exercitatiſſimus non uno in loco teſtatur in definitione gratiæ actualis *caritatem* accipi ampliori ſignificatione, nec ſemper eſſe *caritatem actualem expreſſam*, ſed univerſim loquendo, *deſiderium, amoremque virtutis, dilectionem juſtitiæ, inchoatam boni dulcedinem, piam animi affectionem, bonam voluntatem, cupiditatem boni, & delectationem auxiliatricem*. Vide partem alteram *de modo reparat.* ſive in propoſitiones Queſnelli, pag. 185. 194. 217. 218. & quæ ſupra producta ſunt §. v. num. 4. & 5. His arbitror a me omnia, quæ circa ſenſum articuli 38. Baji, aliorumque inde profluentium mihi, & Fulgentio Bellelli Anonymus venenatiſſimis quidem, ſed vitreis aculeis pungens & irritans objecit, fuiſſe penitus refutata. Quod, *ut poſſit inſpici ab iis, qui hæc legunt, & utrum ad omnia reſponſum fuerit explorare deſiderant; huic eum noſtræ diſputationi præſcribendum putavimus, ut prius legatur ipſe, ac deinde noſtra reſponſio*. *Auguſtinus in fine libri contra ſermonem Arianorum Tom. 8. pag. 648.*

DISSERTATIO II.

IN QUA PERTRACTATUR,

DE DAMNATO, PRAVOQUE SENSU

BAJANÆ PROPOSIT. XXVII.

ALIARUMQUE SIMILIUM,

Ad primam rationalis Creaturæ conditionem ſpectantium; atque ab eodem ſenſu doctrinam Auguſtinenſium Scriptorum quamlongiſſime diſtare probatur.

Si a priorum calumniarum auctoribus hæc quoque prodiit; qui, quæſo, hinc palam non erit, hoc merum eorum eſſe commentum?

S. Athan. in Apologia ad Imp. Conſtantium. Tom. 1. pag. 296.

DISSERTATIO, IN QUA PERTRACTATUR, DE DAMNATO, PRAVOQUE SENSU BAIANÆ PROPOSITIONIS XXVII. ALIARUMQUE SIMILIUM,

Ad primam rationalis Creaturæ conditionem spectantium, atque ad eodem modum doctrinam Augustinensium Scriptorum quamlongissime diffare probatur.

PRÆFATIO.

POsteaquam ſuperiori diſſertatione evidenter oſtendimus, quam longe Anonymus *Bajaniſmi Redivivi auctor* a veritate aberraverit exponendo Michaelis Baji doctrinam *de vitioſa cupiditate*, & *de caritate laudabili*, ſenſumque damnatæ propoſitionis trigeſimæ octavæ; in quo inveſtigando præcipuam operam, plurimumque artis inſumpſit, propterea quod eamdem propoſitionem ſpectaverit tanquam *Bajani ſyſtematis caput*, & *quaſi totius doctrinæ baſim*: propoſitam, firmiſſimamque ſpem habemus, neminem prorſus ei tanquam idoneo judici, ac viro plena harum controverſiarum ſcientia prædito fidem adhibiturum, dum explicandam aggreditur vigeſimamſeptimam ejuſdem Baji propoſitionem: *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.* Ne tamen veritas ab eodem Anonymo circumfuſa caligine obtenebretur, neque Theologi complures Catholici atque Orthodoxi hujuſmodi calumniarum atrocitate obruantur, opportunum æque, rectiſſimumque arbitramur præſenti diſquiſitione palam facere, quam infide, atque inepte de hoc argumento inſimulator pertractaverit.

II. Verſatur itaque §. 2. art. 3. in exponendis Bajanis articulis ſpectantibus ad primæ conditionis integritatem, atque ad originalem juſtitiam, quam Bajus *naturalem*, atque Angelis, ac primo homini in ſui productione *debitam* fuiſſe autumavit. Num vero Anonymus acu rem tetigerit, & aſſecutus ſit veritatem, intentamque accuſationem valide comprobaverit, quamfacillime poterit ingenuus atque eruditus Lector dignoſcere in hujus Apologeticæ Diſſertationis decurſu. Illud tantum in præſentia præmonendum eſſe cenſemus, Anonymum ex prænotationibus ſuis, ſive potius nugis, tricisque num. 9. præcitati art. 3. §. 2. hæc inferre: *Tota hæc doctrina circa naturalem primi hominis conditionem, omneſque errores, qui ex ea neceſſario fluunt, & quos expreſſius ac audacius renovare tentant ipſius diſcipuli, ad tria poſſunt capita revocari .... & hi tres errores in hac unica propoſitione includuntur, quæ ſic ſolet a Theologis enuntiari: Impoſſibilis eſt ſtatus puræ naturæ.* Bai. Red. p. 75. In hunc ergo ſcopum collineat quidquid accuſator in ea velitatione molitur, in hunc finem protendit, ut ſcilicet concludat ſententiam illorum Theologorum, qui propugnant *impoſſibilitatem ſtatus naturæ puræ*, fuiſſe in Bajo proſcriptam: ideoque pag. 77. num. 11. eamdem ſententiam rurſus *erroneam*, & ab Apoſtolica Sede confixam appellat ſcribens de 35. & 70. Queſnellianis articulis: *Hunc errorem de impoſſibilitate ſtatus puræ naturæ innovaverat Queſnellius in propoſitionibus ſequentibus damnatis a Clemente XI. in Bulla, quæ incipit*, Unigenitus Dei Filius, *Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ & integræ, &c.*

III. Verum Theologi alii æque, ac Anonymus ſit, Catholici, & erga Apoſtolicam Sedem, hujuſque definitiones, cenſuraſque obſequentiſſimi, ponderatis auctoribus, qui de Bajaniſmo accurate pertractant, revocatis ad examen, collatiſque invicem propoſitionibus Baji, perlectiſque opuſculis, ex quibus illæ fuerunt depromptæ, cenſent hanc propoſitionem, *Status puræ naturæ impoſſibilis eſt*, prout a nobis defenditur nullam cum erroribus Baji connexionem, atque affinitatem habere. Dixi, *prout a nobis defenditur*: affirmant ſiquidem iidem Theologi Bajum, ubi aſſeruit integritatem creationis *debitam* fuiſſe creaturæ innocenti, & *naturalem* hujus *conditionem*, ſignificaſſe ac tradidiſſe eamdem integritatem non fuiſſe donum, naturæ beneficentia Conditoris ſuperadditum, ſed naturalem proprietatem, ex naturæ integræ principiis, ejuſque intima conſtitutione manantem; cujuſmodi ſunt ſplendor in ſole, & facultas videndi in oculis. Semel autem admiſſo erroneo illo damnatoque Baji principio, haud negant prælaudati Theologi illinc conſequi *impoſſibilitatem ſtatus naturæ puræ*; quandoquidem res quælibet cum naturalibus proprietatibus ſuis, ſi a ſupremo rerum omnium Auctore producatur, creari quodammodo petit ac debet: ſed ajunt eos, qui ſtatuto principio illo Baji, quod rationalis creaturæ integritas ſit primæ creationis conditio & naturalis proprietas, hinc adſtruere nituntur *puræ naturæ impoſſibilitatem*, falſo uti ratiocinio; quoniam id, quod inculpate, invicte, & abſque erroris labe, aliis conſtitutis principiis defenditur, ex pravo dogmate ipſi conantur inferre: eo ferme pacto, quo ſi quis cum Manichæis, aut Calviniſtis dogmatizaret omnia evenire neceſſaria quadam conſtitutione, hinc vero deduceret actus quoſcunque a prima cauſa abſolute prædefiniri, falſæ, atque ex nefario damnatoque principio ductæ ratiocinationis convinceretur ab iis quoque Theologis, qui abſolutas prædefinitiones, decretaque Dei, quæ ab

operum præſcientia non pendent, aliis veris, aut probabilibus doctrinis innixi propugnant: aut ſi quis Arminianis adhærens arbitraretur nativas liberi arbitrii vires etiamnum in eo robore permanere, & in eadem virtute, qua præditus erat Adam ante prævaricationem & lapſum, atque ex hoc Arminii, aliorumve Pelagianorum pronunciato demonſtrare adniteretur nequaquam indigere nos gratia per ſe ipſam efficaci; redargueretur profecto ab iis etiam Theologis, qui ipſam gratiam ſeſe efficacem dari negant, ac tradunt etiam poſt Adæ lapſum auxilium duntaxat indifferens, aut congruum eſſe admittendum. Brevi dicam: Orthodoxi complures, qui nobis adhærent, prænuntiatum Baji principium omnino reprobant, novoſque dogmatiſtas *impoſſibilem ſtatum puræ naturæ adſtruentes* ex eodem principio, tanquam peſſima utentes argumentatione revincunt. At iidem graviſſimi doctiſſimique Theologi contendunt poſſe hanc propoſitionem, *Status puræ naturæ impoſſibilis eſt*, defendi abſque principio illo Bajano; ſi nempe afferatur originalem juſtitiam, ſive primæ creationis integritatem non fuiſſe naturalem conditionem, nec proprietatem ex natura fluentem, ut inquit Bajus, ſed revera fuiſſe gratiam ſupernaturalem, ac beneficentiſſimum Conditoris donum, naturæ ejuſque proprietatibus ſuperadditum. Objicientibus ergo adverſariis, quod in ea propoſitione, *Impoſſibilis eſt ſtatus puræ naturæ*, contineatur error Bajanæ propoſitionis vigeſimæ ſeptimæ, reſpondent falſum id eſſe, quum illa propoſitio defendi queat abſque erroneo Baji principio: quemadmodum, ne recedamus a productis exemplis, ſi diſcipulis Sancti Thomæ opponatur, quod hæc propoſitio, *Datur phyſica prædeterminatio, & abſoluta prædefinitio*, contineat errorem Manichæorum, aut Calviniſtarum; jure meritoque reponent a ſe propoſitionem iſtam defendi, non denegato libero voluntatis arbitrio, neque inducta fatali neceſſitate, ideoque Manichæorum, & Calviniſtarum principiis omnino rejectis: ac ſi defenſoribus ſolius gratiæ indifferentis, aut congruæ objiciatur, quod hæc propoſitio, *Ut homo eliciat opera, quæ ad ſalutem conducunt, non indiget gratia per ſe ipſam efficaci*, ſcateat dogmate Arminiano; reſpondebunt agnoſcere ſe in præſenti ſtatu liberum arbitrium viribus attenuatum, & inclinatum, ideoque iſtiuſmodi propoſitionem defendere, reprobato a ſe, rejectoque dogmate Arminii.

IV. Sententia noſtra eſt, Theologos prælaudatos ratione niti firmiſſima, adeo ut *ſtatus puræ naturæ impoſſibilitas* defendi poſſit recedendo a Bajano dogmate, atque ex principiis eidem dogmati oppoſitis: idque evincendum adſumimus in ea, quam aggredimur, diſceptatione. Priuſquam vero id agere inſtituamus, ut lector percipiat nos duci veritatis & æquitatis amore, non autem ſententiæ, quæ inter noſtrates invaluit, defendendæ ſtudio quodam imprudenti ac pertinaci; præmittimus inſigne documentum, ex quo manifeſte erui poteſt, quam falſo Anonymus ſcripſerit, *totam Baji doctrinam* circa naturalem primi hominis conditionem in hac una propoſitione includi, *Impoſſibilis eſt ſtatus puræ naturæ*; & quam inique & injuſte jus ſibi arrogaverit tanquam novatores, & Baji diſcipulos inſimulandi, atque hiſce nominibus traducendi Catholicos illos Theologos, qui eamdem propoſitionem hactenus tradiderunt. Eſt autem documentum illud *Inſtructio Paſtoralis* quadraginta Epiſcoporum, qui anno 1714. pro acceptatione conſtitutionis *Unigenitus* Pariſios convenerunt, confirmata, ut vidimus præcedenti Diſſertatione, ſexaginta aliorum Epiſcoporum ſuffragiis. In illa enim *Paſtorali Inſtitutione* hæc de propoſitionibus Queſnellianis 34. 35. 36. & 37. de gratia primi hominis enunciatis leguntur: „ Saint Auguſtin nous enſeigne ſur la Grace d' Adam innocent, une doctrine bien differente de celle qui eſt renfermée dans les propoſitions condamnées. Ce Pere, loin de croire que les merites d' Adam n' euſſent pour principe qu' une grace naturelle, reconnoit au contraire dans l' état d' innocence un ſecours ſurnaturel, dont l' homme avoit beſoin. *Primus homo egebat adjutorio gratiæ, &c.* Il appelle ce ſecours une grande grace, *Imo vero habuit magnam.* Les propoſitions condamnées n' attaquent elles point ouvertement cette verité; elles enſeignent que *la grace d' Adam étoit une ſuite de la création, une grace due à la nature ſainte & entiere*, & qu' elle *lui étoit proportionée*; ce qui ne marque dans le premier homme qu' une grace naturelle, inſeparable de ſa condition, & qui n' auroit que des merites purement humains; propoſitions manifeſtement oppoſées aux principes de Saint Auguſtin, & juſtement condamnées dans Bajus par le Saint Pape Pie V. par le Pape Gregoire XIII. renouvellées par l' auteur des Reflexions morales: ne meritoient-elles point d' être encore proſcrites par le Saint Siege?„

V. Illorum quidem ſapientiſſimorum Epiſcoporum mens fuit, quæ ſignificatur in *Proceſſu Verbali* præmiſſo eidem inſtitutioni, ſcilicet, ante comitiorum dimiſſionem edere *Inſtructionem* ipſam, una cum Apoſtolica Conſtitutione in Galliarum Diœceſibus patrio idiomate publicandam, „ Afin qu' étant tous unis à la Chaire de Saint Pierre, c' eſt-à-dire, au Centre de l' unité, par

l' uni-

l' uniformité des mêmes ſentimens & des mêmes expreſſions, on puiſſe non ſeulement étouffer les erreurs qui viennent d' être condamnées, mais encore prevenir les nouvelles diſputes, & premunir contre les nouvelles interpretations des Perſonnes malintentionées, dont on a déjà vû les effets par les écrits qu' ils ont repandus dans le public, depuis le commencement de l' Aſſemblée. „ Iidem Epiſcopi paullo poſt *Inſtructionis* initium ita mentem ſuam dilucide exponunt. „ Mais comme pluſieurs perſonnes s' efforcent d' en obſcurcir le ſens par de fauſſes interpretations, qui pourroient ſeduire les ames foibles & peu inſtruites, nous nous ſentons obligez de vous en faciliter l' intelligence, afin qu' elle produiſe en vous tout l' effets, que les ennemis de la verité craignent, & que les gens de bien en attendent. „

VI. Quum itaque hæc fuerit Gallicanorum Præſulum rectiſſima intentio, errores in Queſnellio, ac Bajo damnatos penitus eliminandi, pravas extortaſque refractariorum interpretationes præfocandi, planamque ſingulis reddere conſtitutionis *Unigenitus* intelligentiam: cur, obſecro, affirmantes contineri in propoſitionibus Queſnellianis errorem ſenſumque in articulis Baji proſcriptum, atque commiſſam ſibi plebem commonefacientes, ne gratiam Adamo collatam fuiſſe naturalem, ac naturæ proportionatam ſibimet perſuadeat, minime illam hortati ſunt, ut ſedulo caveat ab eorum doctrina, qui *puræ naturæ impoſſibilitatem admittunt*, eo quod in illorum ſententia Baji, & Queſnelli error comprehendatur? An ignorabant eamdem *de impoſſibilitate puræ naturæ* aſſertionem tradi in libris Catholicorum Theologorum, & in Scholis doceri ac propugnari, aut forte in re tanti momenti ſocordes, ac minus accurati fuiſſe credendi ſunt? Id quidem de horum Antiſtitum ſapientia, doctrina, ac ſolicitudine nefas eſt cogitare. Perceperant illi optime quid veneni in damnatis propoſitionibus lateret: noverant negari a Bajaniſtis in creatura rationali primitus a Deo condita gratiarum munera naturæ ordinem excedentia; neque eos latebat a Theologis Orthodoxis, qui *ſtatum puræ naturæ* oppugnant, Adæ & Angelis dona ſupernaturalia concedi: ideoque fideles provide ſapienterque monuerunt, ut ſedulo a Novatorum ſenſu caverent; de *impoſſibilitate* autem *puræ naturæ* penitus tacuerunt, dogmata Eccleſiæ a placitis Scholaſticorum ſcite, conſiderate, & ſolertiſſime diſcernentes. Nec vereor quin viri illi doctiſſimi, ac prudentiſſimi, ſi quis ab ingenio, & a natura ita comparatus, quemadmodum eſt inſimulator Anonymus, accedens ad ſacrum illum conventum Pariſiis habitum inſtanter petiiſſet, ut tanquam Baji, & Queſnelli pernicioſum aſſertum gravi cenſura notarent propoſitionem iſtam, *Impoſſibilis eſt ſtatus naturæ puræ*: haud vereor, inquam, quin reſponſum dediſſent, quale memorato *Proceſſui* inſeruerunt, conveniſſe ſcilicet tot Epiſcopos ad profligandos Novantium errores, & ad contentionum incitamenta avertenda, non autem ad perſtringendas Scholarum opiniones, turbandamque Religioſorum virorum tranquillitatem, ſive, ut eorum utamur verbis, „ pour empêcher les nouvelles diſputes, & pour conſerver la liberté des ſentiments enſeignez dans les differentes Ecoles Catholiques. „

VII. Utinam Anonymus imitatus fuiſſet prudentiam, ſagacitatem, judiciique rationem prædictorum Epiſcoporum! Commendaremus nos illius in errores, novitateſque inſectando ſolertiam, & in Scholarum placita dijudicando dignum viro Theologo temperamentum. Si etiam ei libuiſſet *impoſſibilitatem ſtatus puræ naturæ* Theologicis argumentis impugnare, petitis quoque ex propoſitionibus Baji, atque hinc ratiocinationes ſuas inferendo, quemadmodum conſuetum eſt fieri in controverſiis ceteris, quæ a Scholaſticis agitantur, in quibus unus pugnat adverſus alterum auctoritate & ratione; nemo noſtrum ei indignaretur: neque enim nos latet plures præſtanteſque Theologos defendere *poſſibilitatem ſtatus naturæ puræ*, mutuantes etiam ex damnatis Baji articulis argumenta. At illud intolerabile omnino eſt, ignotum Scriptorem, ac nulla præditum auctoritate conſtanter, audacterque contendere ſententiam, quam procul dubio tenent Catholici bene multi, fuiſſe in Bajo proſcriptam; neque id tantum, verum etiam eoſdem Catholicos eſſe novatores, Conſtitutionum Apoſtolicarum eluſores, & anathemati, quod perperam dolo, arte, ac fraude ſtudeant effugere, abſque commiſeratione ulla ſubjiciendos.

VIII. Non utique ad hunc modum ſe gerit illuſtris Propugnator conſtitutionis *Unigenitus*, Jacobus Fontana: qui licet in propoſitionem Queſnellianam trigeſimam ſeptimam *impoſſibilitatem ſtatus puræ naturæ* rejiciat, & cap. x. §. 6. plura adverſus eumdem ſtatum proferat ex Cardinali de Aguirre tom. 3. *Theologiæ S. Anſelmi*, diſput. 105.; attamen ſententiam ſuam *certiſſimam* quidem, *communem*, atque, ut ipſi videtur, talem, *cui faveat S. Pii conſtitutio adverſus Bajum*, appellat: ſed non audet aſſerere *definitam eſſe ab Eccleſia*; non audet appellare Lovanienſes Theologos, (qui ut ait Eminentiſſimus Aguirre a ſe paullo ſupra citatus, oppoſitum tradunt) *Novatores*, *ac Novatorum diſcipulos*; non audet demum aſſerere, quod illa propoſitio 37. Queſnelli, *Gratia Adami erat illi proportionata*, aut 27. Baji, *Integritas primæ creationis*, &c. ſit prorſus eadem cum iſta, *Impoſſibilis eſt puræ naturæ ſtatus*: ſed num. 7. concludit, *Lubet tamen ab hac ſententia præſcindere; quia ea nobis opus non eſt ad convellendos Queſnelli articulos, conſtitutionemque* Unigenitus *ab adverſariorum calumniis vindi-*

candam.

candam. Quod ſi Queſnelli, ideoque & Baji errores convelli poſſunt, & conſtitutio *Unigenitus* a calumniis dogmatiſtarum poteſt vindicari, præſcindendo a ſententia, quæ *naturam puram* adſtruit *poſſibilem*: quomodo, te amabo, eadem ſententia definita eſt in condemnatione propoſitionum Baji, & Queſnelli? Quomodo Baji, & Queſnelli appellari poſſunt diſcipuli viri illi Theologi, qui a ſententia ipſa recedunt?

IX. Longe ante neotericum hunc ſcriptorem Franciſcus Macedo, cujus præſertim teſtimoniis, ut diximus in ſuperiori Diſſert. Cardinalis Noriſius calumniam omnem Bajani, & Janſeniani erroris a ſe propulſavit, diſputans *de ſtatu puræ naturæ* Tom. 2. Collat. in 2. ſent. col. 8. diſſert. 1. ſect. 1. ait partem, quæ hujus ſtatus *poſſibilitatem* affirmat, apud Theologos haberi pene certam, & omnium ferme confeſſione firmari, additque ſe quoque communi ſententiæ adhærere; at ſubjicit: *Non tamen contra ſentientes odi tanquam prophanum vulgus, & arceo. Audire rationes volo, & auſcultare quid afferant, ne inauditi repellantur, & minus juſte damnentur. Placuit quippe mihi ſemper illa gravis cordati hominis ſententia,*

Qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera,
Æquum licet ſtatuerit, haud æquus fuit.

Productiſque argumentis duodecim apud Theologos, qui ſtatum *puræ naturæ impoſſibilem* cenſent, tritis ac pervulgatis, *His rationibus*, inquit, *ſuadetur illa impoſſibilitas ſtatus puræ naturæ: quas qui expendat, non improbabilem eam ſententiam exiſtimabit. Eam ego uti probare non cogor, ita improbare non audeo. Sentio cum Scholis. Hæc argumenta aliis poſt me ſolvenda relinquo. Removeo tamen notam, quæ vulgo illi inuritur, ductam ex Bulla Pii V. & Gregorii XIII. ne proſcripta exiſtimetur in Michaele Bajo. Quod præſto tribus modis. Primo, quia ut alias animadverti tum in Cortina, tum in Mente Innocentii, tum præcipue in Scrinio Auguſtini in Epilogo ex Patre Gabriele Vaſquez in 1. 2. diſt. 190. cap. 18. qui unam vel alteram Baji opinionem amplectitur, multas propoſitiones rejectas in prædicta Bulla* ea ſola ratione damnari, quod oppoſitæ ſententiæ cenſuram aſperam contineant, cum tamen ſententia authoris indemnis relinquatur: *& hunc ſenſum fuiſſe Pontificum eas damnantium affirmat, & confirmat authoritate Toleti. Appoſui verba Vaſquii, ut majus pondus dicto afferrem. Si quæ vero proſcribuntur proprie, ac per ſe, illæ in proprio ſenſu authoris proſcribuntur, qui perverſus erat, & damnandus, ſicut obſervat Ripalda de Ente ſupernat. diſt. 20. ſect. 6. & Eſtius in 2. diſt. 26. cum quibus ſentit Turrianus in 1. 2. & tota Schola Complutenſis. Et rurſum Vaſquez 1. 2. diſp. 22. cap. 4. num. 23. Secundo quia hæc eadem ſententia fuit Janſenii, qui eam toto tertio libro confirmavit; nec tamen cum ejus doctrina ſerio, ac ſevere examinaretur, ea proſcripta fuit cum aliis quinque propoſitionibus damnatis per conſtitutionem Innocentii X. quod idoneum argumentum eſt ejus indemnitatis: non dico approbationis, quia ſolum averto cenſuram; nec intendo approbare, ſed liberare a nota. Tertio ipſemet P. Gonetus tr. 9. tomo de Gratia diſt. 1. art. 3. cum eam maxime oppugnet in Janſenio, immunem eſſe ſtatuit a cenſura: tantum damnari per Bullam ait* aliam, quæ præterea negat ſine gratia ſanctificante, quæ abſolute juſtum & rectum conſtituit, hominem condi a Deo potuiſſe. *Itaque inoffenſo, ut ajunt, pede licebit huic opinioni deinceps in Theologico pulvere currere, nec turpari.* Hæc jam ab anno 1673. ſtrenuus inſectator Janſenii, & oppoſitæ opinioni addictus P. Macedo. Quod ſi adverſarii, & quidem in hiſce controverſiis exercitatiſſimi, aſſerunt Bajanos errores refutari & convelli abſque eo, quod agitetur quæſtio *de impoſſibilitate puræ naturæ*, immo poſſe in hac quæſtione affirmantem partem teneri *pede inoffenſo*, & abſque ulla nota Bajani erroris; quo jure, ut idem rurſus repetam, pronuntiat e tripode Anonymus, *totam Baji doctrinam* latentem in articulo vigeſimo ſeptimo, atque in aliis affinibus, comprehendi in hac una propoſitione, *Impoſſibilis eſt ſtatus puræ naturæ*? At ne præfationis limites excedamus, revocata in mentem benevoli, nulliſque præjudiciis, aut partium ſtudio occupati Lectoris præclariſſima illa, & Annæo Senecæ attributa ſententia, quam ſupra protulit Franciſcus Macedo, ut nobis adhibeat aures, & ſecundam hanc Apologeticam diſſertationem æquo libentique animo excipiat, etiam atque etiam oramus, & obteſtamur.

CAPUT



CAPUT PRIMUM.

De ſenſu propoſitionis Baji XXVII. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio, *aliarumque conſimilium, ſpectantium ad primam creaturæ rationalis conditionem.*

HÆc propoſitio, in cujus ſenſu inveſtigando Anonymus inſumit paragraphum ſecundum articuli tertii, in ſe continet hæreticum, & pravum ſenſum, eo quod Bajo viſum fuerit primum hominem non fuiſſe donis ſupernaturalibus exornatum, ſed aſſeruerit originalem juſtitiam, integritatem, rectitudinem, & immunitatem a morte, a concupiſcentia, ceteriſque miſeriis, quibus ob Adæ tranſgreſſionem afficimur, fuiſſe hominis a Deo conditi naturalem proprietatem, non vero gratiæ donum, humanæ naturæ beneficentia Conditoris ſuperadditum; adeo ut gratia, ſanctitas, & juſtitia eatenus in nobis *ſupernaturalia* dicenda ſint, quatenus per Chriſtum nobis munera illa conferuntur, quæ in homine primo fuerint naturales proprietates, & quorum carentia in homine lapſo nil ſit aliud, quam privatio bonorum naturalium. Cum his autem Baji aſſertionibus nihil affinitatis habet ſententia, quam de *ſtatu puræ naturæ* hactenus propugnarunt Theologi Auguſtinenſes.

§. I.

Demonſtratur ſummorum Theologorum luculentiſſimis teſtimoniis.

Extat in MS. Angelicæ Bibliothecæ cum inſtructione autographa ad Cardinalem Toletum pag. 164.

I. CEnſura, quam edidit ſacra Facultas Theologica Salmanticenſis de hac Baji propoſitione, eſt hujuſmodi: *Quamvis integritas primæ creationis, & dona primo homini in ſui conditione collata, naturalia dici poſſint, quia a principio nativitatis fuerint illi congenita, & erant cum natura, ſi innocens perſeveraſſet, ab illo ad poſteros transfundenda, tamen in eo, quod in iſta propoſitione affirmatur, illa dona debita fuiſſe humanæ naturæ, & negatur debere dici ſupernaturalia, erronea eſt.* In eadem Cenſura ſæpiſſime repetitur Bajum negaſſe quod dona primo homini collata fuerint *ſupernaturalia.*

In eodem MS. pag. 177.

II. In Cenſura item S. Facultatis Complutenſis ad propoſitionem illam, *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia*, hæc leguntur, *Aſſertio eſt hæretica, quam auctor repetit pluribus in locis in ſenſu hæretico: & eſt principium omnium fere errorum, qui in hoc libro* (de Operum meritis) *continentur.* Et infra expreſſe declaratur ſenſum hunc hæreticum eſſe, *quod humanæ naturæ ſublimatio, & exaltatio in conſortium divinæ naturæ, non fuerit ſupernaturalis, nec primus homo fuerit ſublimatus, & in Dei filium adoptatus per dona naturæ ſuperaddita;* ut revera Bajus aſſeruit in aliis propoſitionibus, de quibus infra.

Tom. 4. novæ edit. pag. 2.

III. Eminentiſſimus Bellarminus de Gratia primi hominis lib. 1. cap. 1. impugnaturus ſententiam hæreticorum, ac præſertim Lutheri, qui in cap. 3. Gen. ſcripſerat: *Quare ſtatuamus juſtitiam non fuiſſe quoddam donum, quod ab extra accederet, ſeparatum a natura hominis, ſed fuiſſe vere naturalem, ut natura Adæ eſſet diligere Deum, credere Deo, agnoſcere Deum, hæc tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale eſt quod oculi lumen recipiunt:* atque hinc inferens in ſenſu ejuſdem Lutheri, aliorumque hæreticorum, *originalem juſtitiam ad naturalem hominis conſtitutionem, non ad dona ſupernaturalia* pertinuiſſe, ita Bellarminus ait: *Huc etiam referri debent articuli quidam ante paucos annos a duobus ſummis Pontificibus damnati Pio V. & Gregorio XIII. Sic enim habet articulus 21. Humanæ naturæ ſublimatio, & exaltatio in conſortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, ac proinde naturalis dicenda eſt, non ſupernaturalis. At articulus 26. ita ſe habet: Integritas primæ conditionis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.* Exiſtimavit ergo Cl. Bellarminus, errorem Bajanum eumdem eſſe cum hæreſi Lutheri & Calvini affirmantium juſtitiam & integritatem originalem eo modo *connaturalem* fuiſſe homini integro, quomodo connaturalia ſunt homini ſano facultas videndi, & oculorum lumen. Idem Bellarminus proximo capite 5. ejuſdem libri explicans ſententiam hæreticorum, qui aſſerunt primi hominis rectitudinem fuiſſe illi naturalem, *quod fuerit quædam ſanitas debita naturæ, apta naſci ex ipſa natura bene conſtituta, ideſt, non corrupta; & nunc hominibus, qui eam rectitudinem amiſerunt, deeſſe bonum aliquod naturale, quale deeſſet pecudi, ſi cæca, vel claudicans, vel febricitans naſceretur: & ſi nunc alicui homini originalis illa juſtitia divinitus redderetur, dicerent eam eſſe donum ſupernaturale per accidens, non per ſe, ut dicimus de oculis redditis cæco nato:* hanc hæreticorum ſententiam ait in Bajo fuiſſe damnatam; & in fine ejuſdem capitis v. *Neſcio*, inquit, *quomodo poſſit ullus hoc tempore dubitare, fuerit ne primi hominis integritas naturalis, an ſupernaturalis, cum, ut ſupra notavimus, duo Summi Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. articulum illum damnaverint, Integritas primæ conditionis, &c.* Pertractans idem Bellarminus lib. v. de Juſtificat. cap. 12. & 14. de 2. & de 12. Bajanis articulis, qui pertinent ad bonorum operum merita, ait ideo fuiſſe proſcriptos, quoniam juxta Bajum, *In ſtatu naturæ integræ neceſſarium non fuit ad meritum, ut homo per juſtificationis gratiam, & Spiritum inhabitantem adoptaretur in filium, & in ſtatum quemdam ſupernaturalem eveheretur.*

Tom. 4. pag. 508. & 511.

IV. Aloyſius Turrianus alter Societatis Jeſu Theologus in Tractatu contra errores Michaelis Baji cap. 1. §. 1. differens de terdenis propoſitionibus damnatis ad primi hominis conditionem, meritum, & integritatem pertinentibus, inter quas 27. *Integritas, &c.* ait: *Aliqui cenſent in prima propoſitionum Bajum erraſſe eo quod exiſtimaverit merita illa primi hominis & angeli fuiſſe ex viribus naturæ;* & expoſita ſententia aliorum, qui docent in hoc Bajum deceptum, *quod putaverit gratiam ſecundum uſum Scripturæ non dici, niſi quæ datur indignis*, inquit: *Sed mihi prima expoſitio probatur, ita ut non ſolum erraverit circa nomen gratiæ, ſed etiam, quia exiſtimaverit merita illa non eſſe ex gratia: & juxta ſecundam expoſitionem poſſet illa propoſitio dici non ſolum temeraria & contra omnes Scholaſticos, ſed etiam errori proxima contra modum loquendi Patrum: in priori autem ſenſu hæretica eſt propoſitio, ut docuit P. Vaſquez 1. 2. diſp. 195. cap. 4. num. 19. & 30. Certum enim eſt in materia de gratia nullum eſſe meritum vitæ æternæ ex viribus naturæ.* Paullo infra de propoſitione 6. ait: *Merito autem damnatur hæc propoſitio, quia auctor vult immortalitatem fuiſſe homini naturalem, & non oriri ex gratia.* Poſt pauca: *Sentit, ut ſupra vidimus, obedientiam illius ſtatus fuiſſe ex viribus naturæ.* Atque ceteras propoſitiones ad primum hominem pertinentes fuiſſe da-

Tag. 613

Pag. 614.

damnatas pronuntiat, quoniam Bajus nullam in homine primo gratiam, nullum donum ſupernaturale, nullum opus bonum, nullam obedientiam, meritum nullum agnoverit, quod *ex ſolius naturæ viribus* non profluxerit.

V. Gabriel Vaſquez a Turriano laudatus 1. 2. diſ-
*Pag.*387. put. 195. cap. 4. num. 30. *Adde*, inquit, *Doctorem illum*, Bajum, *ita requiſiſſe gratiam in ſtatu naturæ lapſæ ad diligendum Deum, & ad reliqua bona opera, ut exiſtimaret Deum non eſſe finem ſupernaturalem ſuapte natura: ſed in ſtatu naturæ integræ fore, ut bonis operibus factis ex propria virtute ſine gratia deberetur beatitudo ut merces, & nullo modo fore gratiam, nempe in radice meritorum; & ita ille ferre non poterat, Deum appellari finem ſupernaturalem noſtrum.* Et diſput. 114. cap. 13. n.
*Pag.*573. 97. variis Baji propoſitionibus productis, *Ex quibus*, ait, *manifeſte conſtat, juxta ſententiam hujus Doctoris, quæcunque opera, hoc ipſo quod ſunt obedientia legis, abſque ullo reſpectu ad gratiam adoptionis, & ſanctitatem ejus, qui operatur, ſuapte natura eſſe meritoria vitæ æternæ, ſicut peccata ſunt meritoria pœnæ*; & paucis interjectis recte docens opera bona nonniſi ratione ſpiritus adoptionis jam inhabitantis in hominibus juſtis, qui ſervant legem, eſſe meritoria vitæ æternæ, addit: *Idemque de primo homine, & angelo dicendum eſt; neque ratio meriti & promiſſio vitæ æternæ in ſolam naturalem Angeli, & hominis conſtitutionem referri debet.* Quid his poteſt proferri expreſſum magis, atque perſpicuum, ad demonſtrandum, quod juxta Vaſqueſium Bajus commentus ſit angelum ac primum hominem *ſine gratia adoptionis, & per ſolam naturalem conſtitutionem* habuiſſe meritum vitæ æternæ, Deum eſſe finem ultimum creaturæ rationalis tantummodo naturalem, & ad hunc finem, ſtante natura integra, potuiſſe pertingere bonis operibus, *propria virtute, & ſine gratia* patratis, quod eſt horrendum monſtrum, ex Lutherana & Pelagiana hæreſi ſimul conflatum?

VI. Franciſcus item Suarez Prolegomeno VI. de
*Pag.*178. Gratia cap. 2. numero 5. ſermonem inſtituens de propoſitionibus Baji ad primum hominem, & ad Angelos pertinentibus ait: *Prioris ordinis ſunt ſeptem primæ propoſitiones, in quibus plane ſupponitur vitam æternam eſſe Angelo & homini connaturalem, & debitam ex vi ſolius naturæ, & operum ab illa ſuis viribus operante procedentium, ſi peccatum non intercedat, & naturam ipſam tanto bono, & meritis ejus indignam reddat. Et in hoc ſenſu Bajus dicebat bonum opus, utique procedens a natura innocente, natura ſua eſſe meritorium vitæ æternæ, æque ac malum opus natura ſua eſt meritorium mortis æternæ. Atque hinc inferebat in Angelis ſanctis gloriam eſſe mercedem, non gratiam, quia nec in ſe eſt gratia, cum detur ex meritis, nec procedit ex gratia, quia pro bonis operibus naturæ ſecundum ſe ſpectatis, & ſine alio reſpectu merces illa promiſſa eſt. Unde etiam dicebat promiſſionem illam non gratiam, ſed juſtitiam naturalem continere, ac proinde merita illa non recte vocari gratiam, ſed tantum merita. Quæ omnia eodem modo de primo homine, ſi in ſtatu integræ naturæ perſeveraſſet, aſſerebat; & conſequenter addebat, promiſſionem vitæ, in qua mori non poſſet, factam primo homini ſub conditione perſeverantiæ in Dei obedientia, fuiſſe ex lege naturæ, non gratiæ. Et huc ſpectat quod dicit in 22. exaltationem ad conſortium divinæ naturæ fuiſſe debitam integritati primæ conditionis, ac proinde naturalem dicendam eſſe, non ſupernaturalem. Et quamvis in 9. propoſitione hanc doctrinam videatur auctor moderari dicens,* Dona collata Angelo & homini forſitan non improbanda ratione dici gratiam; *per hoc tamen non recedit a priori erronea doctrina; immo aliam introducit ſatis falſam & periculoſam. Primum patet ex illis verbis,* Non improbanda ratione, &c. *quibus alludit ad modum loquendi Patrum Africanorum in epiſt. 95. Auguſtini dicentium dona creationis non improbanda ratione gratiam poſſe appellari; & ſic etiam dixit Bajus in ſua propoſitione 7. merita primi hominis in natura integra fuiſſe primæ creationis munera, juxta uſum vero Scripturæ non recte vocari gratiam. Cum ergo poſtea dicit in 9. propoſitione, dona illius ſtatus* non improbanda ratione vocari gratiam, *intelligit aperte de illa ratione, qua dona creationis gratia vocantur. Ergo per hoc non receditur ab illo errore, quo, ſecluſo peccato, nulla vera gratia in natura innocente recognoſcitur.* Paullo infra: *Atque hinc ortæ ſunt aſſertiones 22. & 24. in quibus dicitur dona integritatis naturæ non fuiſſe ſupernaturalia, ſed naturæ debita, & 25. in qua tanquam abſurda rejicitur ſententia Catholica docens primum hominem fuiſſe exaltatum donis ſupernaturalis gratiæ. Et hanc ſententiam repetit in 27. & in plura capita ſui libri &c.* Igitur auctore etiam Suareſio, in eo Bajus circa primi hominis conditionem erravit, quod nullis *ſupernaturalibus donis* exornatum fuiſſe commentus eſt, adeo, ut æterna gloria, niſi peccaſſet, illi *connaturalis* futura eſſet, & ad illam pervenire poſſet *naturæ ſuæ viribus*, non autem gratiæ; niſi gratiæ vocabulum accipiatur ampliori illa ſignificatione, in qua etiam natura, liberum arbitrium, & alia *creationis munera* vocantur gratia *ratione non improbanda*. Ex quibus obiter nota, non erraſſe Fulgentium Bellelli, dum ait Bajum admiſiſſe reapſe ſtatum naturæ puræ, ideſt, gratia, & donis ſupernaturalibus exſpoliatæ, & in naturali ſua perfectione conſtitutæ: quamquam idem Bajus naturam hominis ſic conſtitutam dixerit immortalem, & a miſeriis, quibus modo obnoxii ſumus, immunem, eo quod etiam immortalitatem, aliaque gratiæ dona, ad ipſius naturæ conſtitutionem exiſtimaverit pertinere.

VII. Joannes Martinez de Ripalda ejuſdem Societatis Jeſu Theologus celeberrimus, in ampliſſimo Volumine adverſus articulos Baji, diſput. 3. ſect. 1. ex- *Pag* 27.
*Pag.*573. plicans quæ Bajani tradunt *de natura integra*, hæc ſcribit. 1. *Aſſerunt primum hominem & Angelum in ſtatu innocentiæ potuiſſe perficere omnia opera meritoria fidei, caritatis, & virtutum, quæ naturæ lapſæ ſunt ſupernaturalia, per vires naturales liberi arbitrii in creatione datas, quin ea donaret gratia Dei; eo ſenſu, quo Pelagius aſſerebat ſufficere ad illa agenda libertatem & facultatem naturalem, quaſi Pelagii ſententia in ſtatu naturæ integræ vera fuerit, & ſolum damnata, & falſa in ſtatu naturæ lapſæ. Ita differentes de gratia primi hominis & Angeli. Quæ omnia de operibus non modo meritoriis, ſed etiam ſupernaturalibus perſpicue tradunt, reprehendentes diſtinctionem Theologorum de operibus naturalibus, quæ per vires naturæ fieri poterant, & de ſupernaturalibus, quæ non poterant ſine auxilio gratiæ ea donante.* II. *Aſſerunt ſecundo, ſimiliter potuiſſe hominem & Angelum in eo ſtatu per naturales vires arbitrii in juſtitia perſeverare ſine gratia illam donante, eodem ſenſu, quo Pelagius id docebat de natura lapſa. Ita agentes de gratia primi hominis. Quod non ſolum de poteſtate ſufficienti, ſed etiam efficaci volunt intelligi, & hanc diſtinctionem vocant illuſionem.* III. *Aſſerunt tertio, adjutorium Dei in eo ſtatu ad merita vitæ æternæ, & perſeverantiam in juſtitia non habuiſſe in illa principem cauſalitatem præ arbitrio creato, ut ea opera, diſcretioque operantis meritorie a non operante, conſequentiſque gloriam a non conſequente, non adjutorio Dei, ſed arbitrio adſcribantur; ideoque negant cum Bajo ea merita & perſeverantiam in gratia eſſe ſpecialia Dei adjuvantis munera, ſive dona. Ita in ſcriptis de Gratia primi hominis.* IV. *Aſſerunt quarto, adjutorium Dei ad opera meritoria, & ſupernaturalia eo ſolum eſſe vere, & propriiſſime* gratiam, *quamvis primæ hominis & Angeli creationi debitum ſit, quia ipſa creatio eſt gratioſa, & adjutorium non eſt debitum ante voluntatem creandi, ſed poſt illam: quemadmodum eſt gratia homini vivere, ſentire, & intelligere. Quoniam gratia non excludit debitum connaturalitatis phyſicum, ſed operum tantum morale.* Hæc Jeſuita clariſſimus, qui data opera, ampliſſimoque volumine ſcripſit adverſus Bajanos articulos, perſpicue docens Bajum idem de natura integra tradidiſſe, quod Pelagius affirmavit de lapſa, & ſupernaturale gratiæ donum in naturalibus primæ conſtitutionis viribus collocaſſe.

VIII. Hoc idem, quod Ripalda, aſſeruit Ludovi- *Ludovi.*
cus Bail, qui in libro *de Beneficio Crucis* edito adver- *cus Bail*
ſus Bajanos articulos pag. 59. inquit: *Reſpondetur in* *pag. 59.*
hoc erraſſe Bajum, quod nimis extolleret ſtatum naturæ *edit. Pa.*
integræ, qualis erat in Angelo & primo homine, adeo, *riſienſis.*
ut quod Pelagius male ſentiebat de ſtatu naturæ corruptæ, illam ſcilicet gratia ſupernaturali non indigere, idem ipſe ſentiret de ſtatu naturæ integræ, ipſam ſcilicet ſibi ſufficere ad merendum vitam æternam ſine gratiæ ſupernaturalis, & indebitæ adminiculo; ut non immerito Pelagius Paradiſi terreſtris appellari poſſit: & pag. 60. *Volebat autem Bajus naturam intellectualem, ſeu angelicam, ſeu humanam in primo ſtatu tanta excellentia donatam fuiſſe, ut opera ſolius liberi arbitrii nulla gratia ſupernaturali adjuti, aut elevati, digna eſſent vita æterna.* Quibus verbis neſcio quænam luculentiora proferri queant.

IX. Gonet, quem Thomiſtæ inter præcipuos Do- *Tom. 2.*
ctoris Angelici Commentatores jure meritoque con- *pag. 548.*
numerant, in diſputatione *de ſtatu puræ naturæ* art. 1. ſect. 3. etiamſi affirmet potuiſſe hominem a Deo condi cum effræni concupiſcentia, & cum neceſſitate moriendi; ingenue tamen fatetur non demonſtrari ſententiam ſuam ex damnatione Bajanorum articulorum, ſcribens: *Hanc aſſertionem Bellarminus, Suarez, & Anti-Janſenius ex eo probant, quod contraria, inquiunt, ſententia ſit a Pio V. in Bulla contra Michaelem Bajum reprobata. Verum licet inter damnatos Baji articulos 26. ſic habeat:* Integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio. *Et* 52. Deus non potuiſſet ab initio creare hominem qualis nunc naſcitur. *Inde tamen concludi non poteſt efficaciter, opinionem, quæ impoſſibilitatem ſtatus naturæ puræ, præciſe quantum ad donum integritatis, adſtruit, in hac Bulla fuiſſe damnatam; ſed tantum aliam, quæ præterea negat ſine gratia ſanctificante, quæ abſolute juſtum & rectum conſtituit, hominem*

condi

condi a Deo potuisse. Hoc enim, ut recte observat Estius, intentum erat Baji in citatis articulis, ita ut 26. intelligeretur ab eo de integritate, ut comprehendit gratiam habitualem absolute justificantem, & 52. de homine nascente modo cum privatione talis gratiæ. Unde per hanc Bullam nulla quidem cadit censura in opinionem Estii: sed eam Jansenius & Henricus nullatenus evadere possunt; cum asserant hominem ante peccatum non potuisse produci sine gratia sanctificante, & immortalitatis dono: hæc enim doctrina expresse in Bulla proscribitur, ut articulo præcedenti quoad gratiam sanctificantem ostendimus: quantum vero ad immortalitatis donum, patet ex articulo 74. Baji, qui sic habet: Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio. Hactenus Gonetus. Quo autem sensu Suaresius, ac Bellarminus articulos Baji circa primi hominis conditionem & integritatem damnatos fuisse asserunt, arbitror ex dictis rem esse manifestissimam.

X. Guilelmus Estius Theologus præstantissimus, & paullo supra a Joanne Baptista Gonet commemoratus, propendens in eam sententiam, quæ asserit non posse naturam rationalem corpoream condi cum pugna virium inferiorum contra rectam rationem: *Porro huic sententiæ* (inquit) *non obstitit condemnatio articuli, quæ primæ conditionis integritatem asserebat esse naturalem humanæ naturæ conditionem. Loquitur enim articulus ille de integritate prima, quatenus comprehendit gratiam, imo quatenus in gratia præcipue consistit: de qua jam supra ostendimus, eam non fuisse naturalem primo homini, sed supernaturalem. Patet hic sensus articuli manifeste ex doctrina auctoris in eo capite, cujus titulus, sive summarium ab auctore præmissum idem est cum articulo. Nam ibi præcipue agit de gratia, quæ nimirum absolute justum & rectum hominem constituit. Idem patet ex articulis 21. 23. & 24. præcedentibus, qui cum isto sunt ejusdem argumenti, & loquuntur tantum de dono gratiæ adoptantis hominem in filium Dei; denique id liquet ex declaratione Facultatis Theologicæ Lovaniensis in scripto quodam supra dictis articulis edito.* Vide dissertationem primam cap. 1. §. 2. num. 4.

Lib. 2. sent. dist. 25. §. 6. Tom. 1. pag. 301. edit. Parisiensis. Vide Fulgentium nostrum La Fosse volum. 3. pag. 816.

XI. Franciscus Macedo, ex quo nonnulla produximus in Præfatione, volum. 2. Collat. in 2. sent. collat. 8. diff. 1. §. 3. differens de propositione Baji 55. *Deus non potuisset talem ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur*, præmissa responsione, quam confirmat ex Vasquio, Turriano, Meratio, & Hauzeur, nonnullas ex Baji propositionibus *posse aliquo pacto sustineri*, quarum unam esse ait quinquagesimam illam quintam, *Secundo respondeo* (inquit) *dato damnari illam, uti vult Suarez, in ea serie contentam, nihil inde sequi contra nostram sententiam*, quæ nempe docet hominem in statu naturæ lapsæ non solum exspoliatum fuisse donis gratuitis, sed etiam vulneratum in naturalibus, *nam ea solum damnatur, ut inquit Bulla*, In rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, *idest non solitaria, sed conjuncta, connexaque cum aliis, & uti cum illis consentiens; atque hoc modo continet perversam doctrinam: nam ex propositionibus 22. & 27. ejusdem Baji in eadem Bulla relatis constat illum sensisse integritatem, & justitiam originalem non fuisse donum Dei, sed conditionem naturæ, quod sane hæresim continet.* Quare, ut supra vidimus, idem Macedo asseruit quæstionem *de impossibilitate puræ naturæ* ad Bajanum dogma nullatenus pertinere; sed in ea posse unumquemque utramque partem tenere, modo vitet, damnetque doctrinam istam Baji, quæ originariam justitiam, ac primi hominis integritatem negat fuisse *donum gratiæ*, effutitque fuisse *naturalem* Angelorum, & Adæ *conditionem*.

P. Macedo Tom. 2. Collat. pag. 407.

XII. Ut producam nostratium aliquos, Henricus Cardinalis Norisius cap. 3. Vindiciarum §. 2. ubi demonstrat concupiscentiam rationi contrariam esse malam, & pœnam originalis peccati, *Unum*, inquit, *obstare videtur, quod acerrime urgent recentiores. Etenim damnata est hæc propositio Baji* 55. Deus non potuisset talem ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur. *Quare potuit Deus condere hominem in statu naturæ puræ subjectum concupiscentiæ, qualis modo nascitur. De his propositionibus Baji varie sentiunt Theologi. Pater Vasquez magni inter recentiores nominis* 1. 2. *disp.* 190. *cap.* 18. *proponit verba Bullæ, quæ ejusmodi sunt*: Quas sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo modo sustineri possent, in rigore tamen & proprio verborum sensu ab assertoribus intento hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respective, & quæcunque super iis verbo scriptoque emissa, præsentium auctoritate damnamus. *De qua censura ita idem judicat.* Multas ex illis propositionibus continentes acre judicium, quo Doctor ille aliorum opiniones criminabatur, damnari tantum ut scandalo & offendiculo patentes, & hac ratione solum prohiberi; nam & audacia nimiaque arrogantia in aliorum sententiis maligne vellicandis ac lacerandis non parum scandali afferre solet, a quo docti & prudentes Theologi in suis scriptis abstinere deberent. *Hæc autem confirmat locupletissimo testimonio Cardinalis Francisci Toleti, qui in causa Baji Lovanium ab Apostolica Sede delegatus fuit.* Post aliqua: *Propositio illæ* 55. *damnatur respective ad propositionem* 27. *quæ talis est*: Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio. *Quasi subjectio concupiscentiæ non fuerit ex dono creatoris, sed ex exigentia naturali humanæ substantiæ tamquam propria passio ejusdem, quod falsum est. Nam hæc duo distinguenda sunt: concupiscentiæ subjectionem datam primo homini ex exigentia rei creatæ, vel ex pura puta decentia. Primum enim negatur, alterum a nobis asseritur; & hoc patet ex Augustino lib. 3. contra Julian. cap.* 11. In natura hominis ante peccatum pacem decebat esse, non bellum. *Interfectis nonnullis* addit Norisius, *Propositio illa Baji non solum ob censuram damnata est, verum etiam quod hæreticorum recentium errori a Tridentinis Patribus damnato concineret; illi enim mordicus sustinent concupiscentiam esse peccatum, ut patet apud Bellarminum lib. 5. de Amiss. gratiæ cap. 5. in quo errore propositio* 55. *Baji, quod concupiscentiam attinet, fundatur, a cujus tamen damnato sensu longo intervallo distamus: non enim dicimus Deum non potuisse condere hominem cum concupiscentia rebelli, quod illa sit formaliter peccatum, sed quia licet ipsa peccatum non sit, est tamen ad peccatum inclinans, & quidem vehementius, quam quilibet habitus vitiosus ab homine contractus. Profecto thesis illa Baji, hominem non potuisse a Deo produci, qualis modo nascitur, juxta amplam ejusdem expressionem vera est; quis enim dixerit, Deum posse condere hominem cum peccato originali, cum quo modo nascitur?* Demonstrat subinde Theologus præstantissimus, etiam juxta Martinum de Esparza insignem Societatis Jesu Theologum qu. 10. de gratia, non potuisse hominem a Deo condi cum concupiscentia rationi prædominante. In *Parallelo* quoque propositionum Baji, & quarundam suarum similium hæc omnia confirmat productis testimoniis P. Macedi lib. 1v. de clavibus Petri cap. 10. parte 2. pag. 370. Agit rursus de hoc argumento adversus *quintam Germanitatem*, iisdemque responsionibus suam a Bajo & Jansenio discrepantiam demonstrat. In Mss. adnotationibus ad Prodromum Velitarem pagina 25. ad objectam sibi propositionem Baji 27. Non potuit creari primus homo absque integritate, scribit Norisius: *Dico non propter exigentiam rei creatæ, sed decentiam Creatoris.* Atque ad propositionem 55. eadem pagina 25. columna 2. *Baji conclusio est absoluta & universalis, ac proinde gratiam sanctificantem includit.*

Tom. 1. pag. 1353. Tom. 2. pag. 1421.

XIII. Quid constantissime propugnent Theologi nostri Lovanienses, constat ex Antonio Rolliers; qui, cum P. Leonardus Van Grinsven affirmasset *sententiam eorum, qui negant statum puræ naturæ possibilem, incidere in propositiones Baji* 21. 27. 55. 76. pluribus argumentis sententia illa demonstrata inquit: *An justa sit hæc censura doctrinæ controversæ injusta, judicent SS. DD. A fulgurita in Bajo doctrina putant illi* (Lovanienses Augustiniani) *se alienissimos dicendo 1. non esse, vel fuisse gratiam debitam naturæ, nempe ex parte naturæ, sed ex parte Dei volentis condere naturam ad supernaturalia ordinatam. 2. Quia gratia data vel danda non erat pars naturæ, nec pertinebat ad integritatem ejus in ordine ut esset creatura. 3. Non erat naturalis ejus conditio, sed supernaturalis. 4. Qui asserunt statum naturæ puræ impossibilem, non docent cum Bajo, quod homini divinitus condendo debuerit conferri gratia sanctificans, fides, spes, & caritas infusa, aliaque dona & munera data Adamo; sed adstruunt solummodo, quod Deus imagini suæ donum aliquod saltem actuale, idque supernaturale, largiri debuerit, quo adjuta imago posset pertingere ad amicitiam cum Deo, qua mediante capax fieret, ut ad possessionem summi illius Boni, ad cujus imaginem producta est, perveniret.*

In libro cui titulus „Sincera doctrinæ Augustini Lovanienses Professio edit. Lovanii 1716.

XIV. Ignatius Albertus Swerts in thesibus *de Gratia cum respectu ad diversos status* Lovanii 1726. thesi 3. §. 2. num. 5. hæc habet: *Verum nonnullis dubium hæret, quomodo impossibilitas status naturæ puræ, quatenus illa suadetur ex ratione imaginis Dei, quæ est homini* naturalis, *clare discernatur a doctrina, quæ traditur in Bajanis 21. 23. & 26. in quibus asseritur*, quod integritas primæ creationis sit homini naturalis, *seu ut talis ei debita, non autem* supernaturalis. *Item ab ea, quæ continetur in* 55. *quod* Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur. *Ad quod respondetur. 1. Quod licet a ratione imaginis Dei homini* naturalis *argumentum formemus contra possibilitatem status* naturæ puræ; *hinc nullatenus fiat consequens, quod vel humanæ naturæ sublimatio per gratiam sanctificantem, vel etiam gratia actualis sit homini* naturalis: *Id enim falsissimum esse, sole clarius liquet ex ipsa a nemine negata* naturalis *ratione. Illud enim proprie dicitur naturale, quod est aut ipsa natura, aut pars naturæ, aut quod ex principiis naturæ profluit, ut causis*

pag. 24.

suffi-

ſufficientibus. Reſp. 2. *Quin Bajus in primi hominis creatione nullum donum ſupernaturale agnoverit, imo ejuſmodi penitus rejecerit dubium, in dubium non revocabit quiſquis ad propoſitiones* 24. *&* 25. *damnatas attenderit.* Abſurda, *inquit*, eſt ſententia eorum, qui dicunt hominem ab initio dono quodam ſupernaturali, & gratuito ſuper conditionem naturæ fuiſſe exaltatum, ut Deum fide, ſpe, & caritate ſupernaturaliter coleret. *Ejuſmodi etiam in ſubſtantia continet* 25. *Quod inſuper ea omnia, quæ ſpectant ad primævam hominis integritatem, dixerit eſſe ipſius naturæ hominum, & primæ integritatis partes, & conſiderarit ut ipſam naturam in ſuo eſſe conſtituentes, fit evidens legenti cap.* 4. *libri ipſius Baji* de prima hominis juſtitia, *ubi ait: Non minus naturæ hominum, quam Angelorum eſt hoc Pſalmiſtæ: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, &c. Et eadem eſt de reliquis primæ integritatis partibus demonſtratio. Ergo ſicut illud prius eſt naturæ hominum tanquam* pars *; ita & alia ad integritatem naturalem, ut partes, ſpectantia; & hoc ita quidem, ut in omnibus* nullum ſupernaturale *interveniat* (ut in 24. mox citata aſſeruerat) *& primus homo non potuerit creari ſine* juſtitia naturali, *ut dogmatizat propoſitione* 79. *His erroribus e diametro opponitur Antagoniſta gratiæ ſupernaturalis; nihil dum de hac diſſerit ſollicitius & fortius inculcari curat, quam vim iſtius gratiæ intra beatitudinem facultatis naturalis minime contineri, ſed eam prorſus tranſcendere; tantum abeſt, ut iſta ſit* natura *hominum, aut tanquam vera* pars *ejus ad integritatem, aut* naturalem *rectitudinem concurrat. Et ut huic palmari, latiſſimoque diſcrimini ex ſuperabundanti aliquid adjiciamus. Reſ.* 3. *in prælaudata noſtra ſententia, licet ex una parte ſtatum naturæ puræ (ſenſu adverſariorum ſupra relato) omnino perneget eſſe poſſibilem, & ex alia gratiam ſupernaturalem etiam pro ſtatu integro acerrime tueatur, optime conſiſtere, quod homo creari potuerit ſine omni dono ſupernaturali; quidni enim potuiſſet Deus ſic ad tempus recens creatum hominem omni dono ejuſmodi nudatum relinquere (poſtea tamen, ne ſine ulla culpa pœnæ ſubjiceretur, ſupernaturaliter adjuvandum, & de hoc dando adjutorio ſecurum) ſeu ad oſtendendam homini impotentiam ſuam, ſi viribus naturalibus relinqueretur, ad contingendum finem ſupernaturalem; ſeu ob aliam rationem omnipotenti Providentiæ placitam; ſic tamen, ut interim hæc ipſa Dei providentia mediis naturalibus impetum concupiſcentiæ de ſe pronæ ad repugnandum rationi ſtitiſſet ad tempus, ſive remotione objectorum contra rationem concupiſcibilium, ſive concurſum naturalem ac generalem ſufflaminando, quominus in nullos actus rationi diſſonos prorumperet.* Quæ Antonius Rolliers, & Joannes Albertus Swerts affirmant de damnatis Baji articulis ad primum hominem pertinentibus, eadem perpetua & conſtantiſſima aſſertione ab his controverſiis exortis ad hanc uſque diem omnes Auguſtiniani Lovanienſes tradiderunt & propugnarunt, ut conſtat ex eorum theſibus collectis ſimul, & in tria volumina diſtributis, atque in Angelica Bibliotheca aſſervatis.

Lit. B. cl. 2. n. u. 18. 19. 20.

§. II.

Idem pravus & hæreticus ſenſus articulorum Baji, ſpectantium ad integritatem conditionemque primi hominis, ex iiſdem articulis, horumque plana & obvia ſignificatione deducitur.

QUoniam damnatus ſenſus articulorum Baji ille eſt, qui ex iiſdem articulis, eorumque, ubi obſcuri ſint, cum aliis pariter proſcriptis comparatione percipitur, juxta doctrinam eximiorum Theologorum, ac præſertim Suareſii, prout dixi diſſertatione præcedenti; congruum eſt, ut inquiramus, num præmiſſis noſtratium, atque exterorum judiciis ipſæ Bajanæ propoſitiones cohæreant, eumque præſeferant ſenſum, quem viri doctiſſimi tradiderunt.

I. Ac primum Bajus undecim prioribus propoſitionibus, quæ ex libro 1. *de Meritis operum* fuerunt decerptæ, negat Angeli & primi hominis merita *recte* vocari *gratiam*: ait ad conſequendam vitam æternam *per ſe* bona opera *ex lege naturæ* ſufficientia fuiſſe: aſſerit *naturali lege* fuiſſe conſtitutum, ut ſi primus homo perſeveraſſet in obedientia, ad illam vitam pertranſiſſet: inquit merita primi hominis fuiſſe *primæ creationis munera*, & affirmat juſtis uſque in finem perſeverantibus æternam vitam retribui, idque non proprie *gratiæ Dei, ſed ordinationi naturali ſtatim initio creationis conſtitutæ* deputandum eſſe, propterea quod *lege naturali* conſtitutum ſit, ut vita æterna obedientiæ mandatorum juſto Dei judicio reddatur. Quomodo ergo Bajus dona ſupernaturalia in Angelis & in primo homine agnoſcit, ſi horum merita negat gratiam potuiſſe appellari, ſi munera naturæ ſuperaddita non diſtinguit a ceteris primæ creationis muneribus, ſi non ordini ſuperioris providentiæ, ſed ordinationi naturali ſingulis rebus naturales proprietates, & quidquid exigitur, ut ſint, atque in ſua natura ſerventur, decernenti atque diſtribuenti, poteſtatem ſervandi mandata, ac debitam ſempiternæ vitæ retributionem adſcribit? Longe ergo ab his articulis diſſident, qui fatentur, *&* *Angeli, & primi hominis adhuc integri merita recte gratiam vocari: ut quæ ab ea gratia fluxerunt, in qua conditi erant, juxta notiſſimam illam Divi Auguſtini ſententiam, qua Deum aſſerit* (lib. 12. de Civit. Dei cap. 9.) *ſimul & naturam condidiſſe, & gratiam eſſe largitum*; ut inquit Expoſitio Lenſæi, ſive S. Facultatis Lovanienſis, cap. 1.

Op. Baji p. 2. pag. 162.

II. In eadem Expoſitione, eodemque capite rectiſſime aſſeritur, Angeli & primi hominis merita deberi gratiam nuncupari *ea loquendi ratione, & modo, qui non ſit a divinis litteris alienus: in quibus gratiæ vocabulo ſignificatum eſſe perſpicitur gratuitum hoc munus, quod ſupra naturæ facultatem, nullius meriti præcedentis intuitu, ad ſpiritualem hominum utilitatem datur;* tametſi ſpecialiori titulo in ſacris litteris eximia illa, & ſingularis gratia commendatur, *qua propter Mediatorem Dei & hominum Jeſum Chriſtum peccatores juſtificantur, non ſolum nullis præcedentibus meritis bonis, verum etiam multis malis, quibus Dei gratiæ beneficio reddebantur indigni.* His conſimilia nos ſcripſimus lib. IV. de Theolog. diſciplinis cap. 8. lib. X. cap. 15. lib. XII. cap. 7. & 8. aliiſque in locis compluribus.

Tom. 1. pag. 338. 348. & 349. to. 2. pag. 318. 484. & 491.

III. Ut ad Bajum revertatur oratio; in proximis poſitionibus depromptis ex altero libro *de Meritis operum*, ideſt, 12. 13. 15. 17. & 18. comminiſcitur ille, operibus bonis ineſſe meritum regni cæleſtis *citra gratiam adoptionis*; non autem inde rationem meriti repetendam eſſe, quod eadem opera fiant *per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei*: neque rationem meriti in hoc conſiſtere, quod hi, qui bene operantur, habeant *gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum*, aut ſublimentur *per gratiam adoptionis ad ſtatum deificum:* ſed contendit quæcunque opera, quæ legi conformia ſint, abſque gratia ſanctificante, abſque remiſſione peccatorum, abſque eo, quod homines adoptentur in Dei filios, habere meritum vitæ æternæ; atque eo uſque hæreticis hiſce aſſertionibus Bajus progreſſus eſt, ut videatur inſinuaſſe, etiam opera perfecta a Salvatore noſtro Chriſto Jeſu ex ſola conformitate legis meritum contraxiſſe, non autem, ut inquit decimus nonus articulus, *majorem valorem* habuiſſe *ex dignitate perſonæ operantis.* Sane hæc Baji de meritis operum aſſerta hæretica, atque falſiſſima verbis adeo expreſſis ſunt enuntiata, ut ipſe *Bajaniſmi redivivi* auctor explicata catholicorum omnium ſententia, quæ ad meritum vitæ æternæ neceſſarium eſſe definit, ut opera proficiſcantur a perſona, quæ juſta ſit, & Deo chara per inhabitantem Spiritum adoptionis, hæc ſcripſerit: *Bajus tamen contendit opera bona a filiis adoptionis facta non recipere rationem meriti ex eo quod fiant per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, ſed tantum ex eo quod ſunt conformia legi, &c.* Si vero noſtram *de conditionibus operis meritorii* ſententiam Anonymus iſte legiſſet, atque obſervaſſet commentum illud Bajanum a nobis data opera confutari; aut, ſi legit, viditque, ſubdole veritatem non occultaſſet: ingenue confeſſus eſſet, in propoſitionibus quæ ad ſtatum Angelorum ac primi hominis attinent, in iis ſaltem de merito bonorum operum enuntiatis, & quæ ipſe cum præcedentibus docet maximam connexionem habere, non Baji ſectatores nos eſſe, ſed adverſarios, & doctrinæ catholicæ propugnatores.

Bajan. Rediv. pag. 32.

Tom. 3. De Theolog. diſciplinis pag. 513.

IV. Pergit Bajus promere errores ſuos, quibus ſcatet Opuſculum *de prima hominis juſtitia*, unde propoſitiones 21. 22. 23. & 24. fuerunt decerptæ. Ut enim nunc prætermittam viceſimam ſecundam, quæ eſt de textu Apoſtoli ad Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt*, de qua dicam poſtea; in propoſitione 21. aperte Bajus affirmat, *Humanæ naturæ ſublimationem, & exaltationem in conſortium divinæ* (quæ ſublimatio & exaltatio in gratia ſanctificationis & adoptionis peculiariter ſita eſt, cum impii ſola actuali gratia ſuffulti minime ad tale conſortium ac dignitatem pertingant) *debitam fuiſſe integritati primæ conditionis, & proinde naturalem dicendam eſſe, & non ſupernaturalem.* In viceſima autem tertia pronuntiare audet *hominem ab initio nullo dono ſupernaturali & gratuito* fuiſſe exaltatum, *ut fide, ſpe, & caritate Deum ſupernaturaliter coleret*, ideoque conditum Adam exiſtimavit inſtructum duntaxat naturalibus proprietatibus, & ſupernaturalibus Theologalium virtutum habitibus exſpoliatum: rejecitque poſitione proxima ad Pelagianiſmum, nec veretur appellare *inſipientiam*, atque deliramentum Philoſophorum, ſententiam illam Catholicam atque orthodoxam, quæ aſſerit hominem primum *ſic conſtitutum, ut per dona naturæ ſuperaddita fuerit largitate Conditoris ſublimatus, & in Dei filium adoptatus.* Quare & in hoc a Bajo Theologi illi diſſident quamlongiſſime, qui *per dona ſupernaturalia* primum hominem ſublimatum fuiſſe concedunt, eique debitam negant gratiam illam, qua *in Dei filium*

fuit

fuit adoptatus, & ſine qua potuiſſe condi rationalem creaturam ii quoque firmiſſime profitentur, qui adverſus ſtatum *naturæ puræ* decertant.

V. Huc demum ſpectant poſtremæ duæ Baji propoſitiones, ideſt 75. & 76. in quibus apertiſſime negat immortalitatem primi hominis fuiſſe *gratiæ beneficium*, eamque appellat *naturalem conditionem*, falſamque pronuntiat aſſertionem Doctorum, qui docent, *primum hominem potuiſſe a Deo creari & inſtitui ſine juſtitia naturali*. In hiſce omnibus propoſitionibus Bajus *naturale* appellavit, quod ſpectata rerum natura & conſtitutione debitum eſt, atque donis ſupernaturalibus opponitur: quamvis enim lib. 1. *de prima hominis juſtitia* cap. 6. *naturale* dixerit, quod homini in ſua creatione collatum fuit, & pertinet ad primam ejus nativitatem, productis verbis S. Leonis Magni, qui ſerm. 1. de Jejunio ait, *Hanc eſſe naturalem noſtri generis dignitatem, ſi in nobis quaſi in quodam ſpeculo divinæ benignitatis forma reſplendeat*, verbiſque aliis conſimilibus Sanctorum Fulgentii ac Proſperi; nihilo tamen minus affirmans Bajus naturalem illam dignitatem atque juſtitiam, in qua primus homo conditus fuit, non fuiſſe *donum naturæ ſuperadditum*, neque ullo *dono gratuito* hominem illum indiguiſſe, ut Deum auctorem ſuum coleret, actibus Theologalium virtutum, ac potuiſſe *citra gratiam adoptionis* promereri bonis operibus vitam æternam; apertiſſime *naturale* intellexit, quod ita rerum conſtitutioni & ſubſtantiæ debetur, ut naturalis proprietas cenſeri poſſit, qua deſtituta rationalis creatura bonis naturalibus careat, eo ferme pacto, quo naturalibus perfectionibus ad corporalem vitam pertinentibus homo dicitur exſpoliatus, ſi cæcus, claudus, vel mutus naſcatur.

Oper. Baji p. 1. pag. 57.

§. III.

Commenta Baji circa integritatem, & conditionem primi hominis, ex Bajanis ſcriptis uberius explicantur, hinc iis, quæ hactenus dicta ſunt, confirmatis.

I. THeologorum, quorum teſtimonia in medium attuli §. 1. hujus diſſertationis, concordiſſima ſententia eſt, Bajum exiſtimaſſe juſtitiam, integritatem, & ſupernaturalium donorum munera, quibus Adam in prima ſui conditione fuit cumulatus, non fuiſſe dona, quæ excederent naturæ ordinem, ac eſſent a natura primi hominis ſeparata; ſed fuiſſe naturalia eo modo, quo naturale eſt lumen oculorum, ut loquitur Eminentiſſimus Bellarminus: adeo, ut nativis viribus, meritiſque abſque gratia comparatis, poſſet creatura innocens pervenire ad vitam æternam; hæc vero illi connaturalis finis eſſet, non ſupernaturalis. Ut modo percipiatur, num revera id Bajus ſenſerit, quod viri doctiſſimi aſſeruerunt, ſubiit mihi animus aliquantulum per Bajana Opuſcula divagari. Itaque in priori libro *de prima hominis juſtitia* cap. 1. demonſtrat Bajus primi hominis rectitudinem non fuiſſe ſine Spiritu Sancto inhabitante, & cap. 2. aſſerit primum hominem in ſua creatione Spiritu Sancto non caruiſſe; ſed affirmat primum hominem ita conditum *plenum ſanctificatione Spiritus*, ut multi firma fide crediderint, *hanc fuiſſe naturalem ejus dignitatem*. Docet ſubinde Bajus animam *ſine Spiritu Sancto vivificante* omnino mortuam futuram fore, concludens præcitatum caput ſecundum: *Si Deus primo homini animam ſine Spiritu Sancto dediſſet, tunc non viventem, ſed mortuam animam illi dediſſet: licet interim non negemus intelligi poſſe, quod Deus fecerit hominem in animam viventem, quia dedit illi animam cibi & potus ſubſidio corpus vegetantem. Sed non poteſt intelligi dediſſe homini animam Spiritu Sancto deſtitutam, ne ſic corpus vegetaſſe putetur, ut ipſa in ſe mortua fuiſſe credatur.* Quo in loco Bajus ita vitam animæ derivatam ex Spiritu Sancto vivificante *naturalem* primo homini fuiſſe pronunciat, quemadmodum naturalis eſt vita corporis proveniens ex anima vegetante: immo aſſerens non poſſe intelligi, quomodo anima vegetaret corpus, ſi mortua fuiſſet, mortuam autem futuram fuiſſe abſque Spiritu Sancto; abſurdiſſime naturalem animæ vitam in Spiritus Sancti vivificatione conſtituit, adeo, ut ſola præſentia animæ naturaliter adhærentis Deo faceret hominem in ſpiritu vivificante, ſicuti modo anima carni ſerviens non ita corpus vivificat, ut corruptionem abſumat.

P. 1. pag. 52. Pag. 53.

II. At qualicunque ſenſu portentoſa hæc Baji doctrina accipiatur; capite quarto, cui titulus eſt damnatus ipſe articulus viceſimus ſeptimus, propoſita ſententia S. Thomæ, aliorumque Theologorum docentium primum hominem cum Spiritu Sancto fuiſſe conditum, aperte rejicit ſententiam, quam fatetur eſſe communem, & quæ propugnat *hominem ſic initio conditum eſſe rectum, ut juſtitia, pietate, & ceteris Spiritus Sancti chariſmatibus repletus fuerit*. Monſtrum ſane, quod primus homo habuerit Spiritum Sanctum inhabitantem, & nihilominus omnibus Spiritus Sancti donis, & chariſmatibus fuerit deſtitutus.

Pag. 55.

III. Verum id abſurdi Bajus effutire coactus eſt, eo in loco integritatem primi hominis naturalem fuiſſe contendens, atque ad hoc demonſtrandum argumentationem iſtam producens: *Sicut ergo cum vitium oculorum dicitur cæcitas, id oſtenditur quod ad naturam oculorum pertinet viſus; & cum vitium aurium dicitur ſurditas, ad earum naturam pertinere demonſtratur auditus: ita cum vitium creaturæ Angelicæ dicitur, quod non adhæret Deo, hinc apertiſſime declaratur ejus naturæ ut Deo adhæreat convenire.* Ac paullo poſt eadem affirmans de carnis concupiſcentia, *Quia enim vitium eſt hominis* (inquit) *quod caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & quod lex carnis repugnat legi mentis, ideo manifeſte intelligitur naturæ hominis eſſe, ut utrumque ad nutum pareat imperio rationis.* Dicat nunc, obſecro, Anonymus; nonne hæc Baji doctrina olet deliramentum Lutheranorum, aliorumque proteſtantium, quibus conſenſiſſe initio damnationis ſuæ, ut alibi diximus, Bajus haud levem exhibuerat ſuſpicionem? Certe verba Baji priori loco recitata eadem ſunt, ac verba Lutheri ſcribentis ad tertium caput Geneſeos juſtitiam tam fuiſſe Adamo naturalem, *quam naturale eſt quod oculi lumen recipiant*; continentque argumentationem illam hæreticorum. *Si naturale eſt Angelo adhærere Deo, certe naturale erit etiam homini; non igitur opus fuit dono aliquo ſupernaturali, ut primus homo Deo adhæreret, ac per hoc juſtus & rectus eſſet.* Idem de concupiſcentia hæretici cavillantur apud Eminentiſſimum Bellarminum, & apud Adamum Contzen, qui Bellarmini librum *de Gratia primi hominis* adverſus Davidem Pareum vindicavit.

Apud Bellarmin. de Gratia & Hom. cap. 1. pag. edit. noviſſimæ 2. & cap. 7. object. 3. pag. 12. item object. 5. ibid. & apud Adamum Contzen in defenſione Bellarmini pag. 232.

IV. Pergit Bajus commentum ſuum de naturali primi hominis integritate explicare, & cap. 6. inquit: *Quemadmodum ſanitas corporis primarum eſt proportio qualitatum, quæ quando contra naturam vitiatur, ſtatim naſcitur infirmitas: ſic naturalis animæ ſanitas legitima eſt omnium partium ejus obedientia, quæ ſi vel in una, vel in pluribus partibus aliquo affectu malo perturbetur, is affectus rectiſſime paſſio, perturbatio, & animi ægritudo dicitur, naturali ejus ſanitati contraria.* Atque hæc item nonne eadem prorſus ſunt, ac deliria novatorum dogmatizantium, ut inquit Bellarminus, *rectitudinem illam, in qua creatus eſt Adam, fuiſſe illi naturalem, nimirum quod fuerit veluti quædam ſanitas debita naturæ, aptaque naſci ex ipſa natura bene conſtituta, ideſt, non corrupta?*

Bajus pag. 58. Bellarm. cit. lib. cap. 5. pag. 74.

V. Magis magiſque ſeſe explicat Bajus, & cap. 6. demonſtrare nititur potuiſſe primum hominem integrum abſque ullo *ſupernaturali dono* nativa virtute Deum colere, quemadmodum ſerpens ante maledictionem poterat erectis incedere pedibus, & terra producere fruges, ac mulieres partus effundere, eo modo, quo gallinæ & anſeres ova parturiunt. Audi hæreticam ratiocinationem: *Hujus rei etiam manifeſtum argumentum complecti videtur ipſa pœnarum pro peccato primæ tranſgreſſionis ordinatiſſima retributio, qua & ſerpens ſuper pectus ſuum graditur, & mulier doloribus parit, & terra in opere viri maledicitur, ut tribulos pariat, & vir in ſudore vultus ſui veſcatur pane ſuo; quia hæ pœnæ non in ablatione doni ſupernaturalis, ſed in privatione bonorum naturalium conſiſtunt. Niſi quis forte tam abſurde ſentiat, ut putet ſtatim initio creationis rerum, non tantum hominem dono quodam ſupernaturali & gratuito, ſupra naturæ ſuæ conditionem fuiſſe exaltatum, ut fide, ſpe, & caritate Deum ſupernaturaliter coleret, ſed etiam ſerpentem, ut ſublime erectus pedibus inſiſtens graderetur,* (*ut ait S. Baſilius in homilia de Paradiſo tom. 1.*) *& terram, ut ſine laboris moleſtia ſua fecunditate fruges humano victui neceſſarias ultro produceret: ſicut adhuc hodie producit fœnum ſervituti hominum, & fructiferas arbores,* (*quas nunc videmus ad vindicandam ſignificandamque humani ſeminis corruptionem, ex ſuo ſemine nonniſi ſurculos degeneres parere, qui fructus producunt acerbos, & humano victui ineptos*) *ut ſui generis & fecunditatis ſemina proferrent, quæ ſine inſitione ramuſculi melioris in primitivæ ſuavitatis germina, fructuſque adoleſcerent, &c.*

Bajus pag. 55.

VI. De his rurſus Bajus agens in Apologia articuli 23. (qui ex præcitato cap. ſeptimo libri *de prima homini juſtitia* depromptus fuit) etiamſi verba illius articuli appellet *commenta alicujus amuli*; nihilo tamen minus pervicaciter errori ſuo inſiſtens integritatem primi hominis *naturalem* fuiſſe confirmat innixus principio, *Eſt enim malum naturalium privatio bonorum.* Atque hoc pariter argumentum eſt hæreticorum, omne donum ſupernaturale primo homini denegantium. David enim Pareus adverſus Bellarminum ita ratiocinatur: *Ex Auguſtino Enchiridii cap. 11. animorum quæcunque ſunt vitia, naturalium ſunt privationes bonorum. Privationes bonorum naturalium præſupponunt habitum eorumdem. Vitia animorum ſunt privationes bonorum,*

Parte 2. Op. Baji pag. 93.

Apud Adamum Contzen pag. 221.

norum naturalium, rectitudinis, justitiæ originalis, &c.
Bellarm. tom. 4. pag. 11. *Ergo hæc ſupponunt habitum bonorum naturalium.* Eodem prorſus modo argutantur alii hæretici apud Bellarminum de Gratia 1. hominis cap. 7. object. 2. Dona itaque primæ integritatis quemadmodum apud Lutheranos, ita apud Bajum bona *naturalia* erant, non beneficia gratiarum.

VII. Quoniam hanc Baji Apologiam commemoravi; paullo ſupra, id eſt ad articulum 21. eundem errorem confirmans ſcripſit: *Quæ ſi quem forte non movent, poteſt ſuo frui judicio; cui etiam humiliter ſupplico, ut iis reſpondere dignetur, quæ me moverunt, & id docere, quod me fateor ignorare; nempe quomodo ſolida ratione, & non tantum Scholaſtica traditione doceatur, veram rectitudinem, in qua primus homo conditus eſt, & cujus abſentia eſt malum, non naturalem eſſe, ſed tantum ſupernaturalem, cum malum nihil aliud ſit, quam naturalium privatio bonorum. Non enim dixi (quod me enim dixiſſe calumniatur) humanæ naturæ ſublimationem eſſe dicendam naturalem, & non ſupernaturalem: ſed dixi, ſic eſſe naturalem, ut tamen in nobis recte ſupernaturalis dicatur; ſicut viſus diceretur ſupernaturalis in illis, quibus divina virtute per miraculum eſſet reſtitutus.* Id quidem Bajus tradiderat *de juſtitia primi hominis*: ſed ita aſſerere juſtitiam, atque rectitudinem primo homini *naturalem*, ut in nobis tamen *ſupernaturalis* dicenda ſit, quoniam ad ſupernaturalem dignitatem inſtauramur per Chriſtum, ad eum plane modum, *quo ſanitas corporis gratiæ eſt, cum neque viribus naturæ, neque opera medici reparari poteſt, ſed ſola Creatoris beneficentia redditur*; nihil eſt aliud, quam omni prorſus modo Proteſtantibus hæreticis conſentire, & gratiam & juſtitiam tantum *per accidens ſupernaturalem* fateri, ut inquit de ſectatoribus Lutheri Cl. Bellarminus, cujus verba produximus §. 1. num. 3.

Bajus p. 2. pag. 92.

Verba ſunt Baji eodem cap. 10. pag. 61.

VIII. Expreſſius Bajus cap. 11. & ultimo ejuſdem libri errorem ſuum explicavit, docens *naturalia* dicenda eſſe quæcunque aut ex naturæ principiis ducunt originem, aut ſi aliunde accedant, pertinent ad naturalem rerum conſtitutionem, ac talem fuiſſe primi hominis integritatem. Nam cum ſibi objeciſſet, *Naturalis qualitas dicitur, quæ ex naturæ principiis oritur: ſed nemo dixerit Adæ juſtitiam, quæ tantæ excellentiæ fuit, ut eum divinæ naturæ conſortem faceret, ex anima ejus & corpore naturaliter tamquam ex efficiente cauſa exortam: igitur non eſt illi dicenda fuiſſe naturalis, quaſi ex naturæ viribus orta, ſed ſupernaturalis & divino munere data;* huic argumento reſpondet: *Naturale non cauſæ aut originis ſuæ comparatione dicitur, ſed rei, cui ſic ineſt, ut ad naturalem ejus integritatem pertineat, ſitque ejus abſentia malum, ſive ex ejus principiis tanquam efficientibus cauſis oriatur, ſive aliunde accedat, ſicut manifeſte patet de viſu, auditu, ſanitate corporis, aliiſque qualitatibus ad hominis integritatem neceſſariis, quas quibuſdam natura non contulit, ſed Chriſti gratia reparavit; has enim nemo ſupernaturales vocat, aut naturales eſſe negat, ſed earum duntaxat generationes. Quapropter ſive ex naturæ principiis tanquam efficientibus cauſis orta fuerit primi hominis juſtitia, ſive a Deo immediate illi collata, (ſicut plerique de anima rationali tradunt, quam tamen nemo ſupernaturalem eſſe arbitratur) adhuc tamen illi naturalis fuit, quia ſic ad ejus integritatem pertinebat, ut ſine ea non poſſit ſalva conſiſtere, miſeriaque carere.* Triplici ergo ſenſu aliquid juxta Bajum dicitur *naturale*. 1. *Naturale* dicitur, quod aptum eſt naſci ex principiis naturæ, ut viſus, & auditus. 2. *Naturale* appellatur illud, cujus carentia eſt privatio naturalium bonorum, etiamſi quibuſdam a natura non conferatur, ut viſio reddita cæco nato, quæ ſupernaturalis tantummodo dici poteſt quantum ad mirabilem ejuſdem reparationem. 3. Vocatur *naturale*, quod etiamſi non oriatur ex naturæ principiis, pertinet tamen ad naturalem conditionem, cujuſmodi eſt anima rationalis. Etiamſi ergo Bajus alicubi videatur indifferens ad aſſerendum num juſtitia originalis *ſit a Deo immediate collata*, ſive orta *ex naturæ principiis*; illam tamen ſemper *naturalem*, & naturæ proportionatam aſſeruit: & conſequenter ſive Bajus integritatem primi hominis *naturalem* dixerit, quod orta ſit ex naturæ principiis, cujuſmodi eſt viſus, auditus & ſanitas corporis: ſive *naturalem* appellaverit, quod illius integritatis privatio ſit carentia naturalium bonorum, nobiſque ſanctitas & juſtitia ſupernaturali dono reddatur, ut viſus reſtitutus fuit cæco nato; ſive demum *naturalem* dixerit, quod ad hominis primam conſtitutionem pertinuerit, quamvis a natura tamquam a cauſa productiva & effectrice non prodierit, quemadmodum anima rationalis eſt forma corporis naturalis; manifeſtum eſt idem prorſus de primo homine Bajum ſenſiſſe, quod hæretici illius temporis commenti ſunt, omnemque gratiam naturæ ſuperadditam homini primitus condito denegaſſe. Hæc memoria teneas pro dicendis §. 9. num. 3.

IX. Plura adderem, niſi Bajus in Apologia ad articulum nonum explicans, quo ſenſu *dona homini integro in ſua creatione conceſſa dona gratiæ fuerint*, expreſſiſſime tradidiſſet eatenus fuiſſe dona gratiæ, quatenus in creatione nullis præcedentibus meritis collata fuerunt, quo ſenſu etiam creatio appellanda eſt donum gratiæ: atque ad hanc rem profert plura S. P. Auguſtini teſtimonia, inter quæ depromptum ex ſerm. XI. de verbis Apoſtoli: *Iſtam gratiam, qua conditi ſumus, quamquam hoc nomine appellatam minime legerimus, tamen quia gratis data eſt, gratiam fateamur;* & aliud conſimile ex Epiſt. 95. *Etſi enim quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati ſumus, ut eſſemus, & viveremus, & ſentiremus, & intelligeremus, & de hoc tanto beneficio Creatori noſtro gratias agere debemus; unde merito & iſta gratia dici poteſt, quia non præcedentibus aliquorum operum meritis, ſed gratuita Dei bonitate donata eſt; alia tamen eſt, qua prædeſtinati vocamur, juſtificamur, & glorificamur.* Iiſdem ergo verbis, quibus Auguſtinus *gratiam* appellat naturam, qua creati ſumus, ut ſimus, ut vivamus, ut ſentiamus, ut intelligamus, Bajus præcitato articulo nono inquit *gratiam* fuiſſe dona conceſſa homini integro, & angelo, *non improbanda ratione*, ideſt, quatenus largitate Conditoris, non meritis præcedentibus donata fuerunt: ideoque in homine integro Bajus nullam gratiam ſupernaturalem, nullumque donum naturæ limites excedens agnovit, prout animadvertit Franciſcus Suarez, de quo §. 1. num. 6. ſed integritatem primi hominis *naturalem* fuiſſe exiſtimavit, ſicut homini naturalis eſt ſentiendi & intelligendi facultas; & unicuique rei naturalis eſt qualitas orta ex naturæ principiis, aut ita indita & concreata, ut ad naturæ conſtitutionem pertineat, adeo ut ſi tali qualitate res deſtituta ſit, bonis naturalibus careat, quemadmodum pecudi deeſt bonum aliquod naturale, ſi naſcatur cæca, vel claudicans, vel febricitans, inquit Eminentiſſimus Bellarminus tom. 4. pag. 7.

P. 2. pag. 83.

§. IV.

Ex damnatione propoſitionis 35. Queſnelli ea, quæ dicta ſunt, confirmantur.

HAud diffitente Anonymo, articulo 3. Bajaniſmi Redivivi §. 2. num. XI. Baji errorem circa gratiam Adami, & circa *impoſſibilitatem ſtatus naturæ puræ* innovavit Queſnellius in quibuſdam propoſitionibus damnatis a Clemente XI. in Bulla *Unigenitus*, præſertim vero in trigeſimaquinta, quæ eſt hujuſmodi: *Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ & integræ.* Quare quod viri docti atque orthodoxi de hac Queſnelliana pronuntiaverunt, idem de Baji vigeſima ſeptima propoſitione erit omni procul dubio affirmandum.

Bajaniſmi Rediv. pag. 77.

I. Agens de illa Queſnelli propoſitione Jacobus Fontana num. 1. ait, *propoſitionem de omni gratia Adami, ſive habituali, ſive actuali intelligendam eſſe*: num. 2. ait a Queſnello & a Bajo accipi *vocabulum gratiæ improprio, & Pelagiano ſenſu*, Pelagium vero gratiam verbotenus admittendo, eam *in ſola natura a Deo gratis condita* collocaſſe: num. 3. ait Bajum dona conceſſa homini integro, & angelo gratiam edixiſſe, *ratione nec Pelagio improbanda, nec Luthero, qui dum veras gratias Theologicas naturæ ordinem excedentes negant integritati tam Adami, quam Angelorum; tamen ut natura gratis condita eſt, ita quidquid eam ſequitur, appellari hoc ſenſu gratiam non prohibent*: num. 4. ait juxta Queſnellum & Bajum in propoſitione 21. gratiam Adami non fuiſſe *ſupernaturalem, cum effectus eſſet, & ſequela creationis, ex principio naturæ integræ debito elicita*: num. 5. explicans quomodo juxta Queſnellum gratia Adami foret ſequela creationis, & debita naturæ integræ, inquit talem fuiſſe, quoniam in ſenſu Queſnelli, necnon Baji in propoſitione 24. erat *naturalis, & non ſublimatio per dona naturæ ſuperaddita, ac ſuperantia naturæ ordinem.* Quid plura? in fine capitis pag. 75. hæc Jeſuita doctiſſimus ſcribit: *Error Queſnelli a Bajo quidem, & Janſenio; ſed ante hos originem duxit a Luthero in cap. 3. Geneſis, ubi de originali juſtitia primi hominis ſic tandem concludit:* „ Quare ſtatuamus, juſtitiam non fuiſſe quoddam donum, quod „ ab extra accederet, ſeparatum a natura hominis; „ ſed fuiſſe vere naturalem, ut naturæ Adæ eſſet diligere Deum, credere Deo, agnoſcere Deum. Hæc „ tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale eſt „ quod oculi lumen recipiunt: „, *Et infra*: „ Porro „ hæc probant, originalem juſtitiam eſſe de natura „ hominis; ea autem per peccatum amiſſa, non „ manſiſſe integra naturalia, ut Scholaſtici deliarant. „

Conſtit. Unigenitus propugnata tom. 1. pag. 747. 748. 749.

Recole quæ diximus in Præfatione.

II. In

II. In *Instructione Pastorali* edita ac probata post comitia Cardinalium, Archiepiscoporum, & Episcoporum Galliarum anno 1714. ut diximus in Præfatione, hæc de propositionibus Quesnellianis 34. 35. 36. & 37. ad gratiam primi homini pertinentibus continentur: „ Saint Augustin nous enseigne sur la grace d'Adam innocent, une doctrine bien differente de celle qui est renfermée dans les propositions condamnées. Ce Pere, loin de croire que les merites d'Adam n' eussent pour principe qu'une grace naturelle, reconnoit au contraire dans l'état d'innocence un secours surnaturel, dont l'homme avoit besoin. *Primus homo egebat adjutorio gratiæ &c.* Il appelle ce secours une grande grace. *Imo vero habuit magnam.* Les propositions condamnées n' attaquent elles point ouvertement cette verité; elles enseignent que la *grace d'Adam étoit une suite de la creation, une grace due à la nature saine & entiere*, & qu'elle *lui étoit proportionée*; ce qui ne marque dans le premier homme qu'une grace naturelle, inseparable de sa condition, & qui n'auroit produit que des merites purement humains; propositions manifestement opposées aux principes de Saint Augustin, & justement condamnées dans Bajus par le Saint Pape Pie V. & par le Pape Gregoire XIII. renouvellées par l'Auteur des Reflexions morales: ne meritoient elles point d'être encore proscrites par le Saint Siege? „ Jure meritoque proscriptæ sunt: siquidem asserere gratiam Adamo collatam fuisse naturalem, a conditione naturæ inseparabilem, ipsi naturæ proportionatam, meritorumque duntaxat naturalium effectricem, idem est, ac denegare dona supernaturalia & naturæ superaddita; idem est, ac rejicere assertum ab Augustino auxilium *sine quo non*, Adamo supernaturali beneficio collatum; idem denique est ac doctrinæ Catholicorum omnium adversari, ac Luthero & Calvino, quibus proculdubio Bajus & Quesnellius subscripsere, penitus assentiri.

Deliberations de l'Assemblée des Cardinaux Archeveques & Eveques, tenue à Paris en l'Année 1713. & 1714. pag. 41.

Lib. de Corrept. & Grat. cap. XI.

III. Henricus Cardinalis de Bissy in Tractatu Theologico adversus propositiones Quesnelli ad prop. 34. & 35. inquit: „ En François nous appellons des *merites humains*, des merites purement naturels, qui ne sont point des dons surnaturels de Dieu, des merites que nous acquerons par nos seules forces naturelles. Ainsi le sens de la trente-quatriéme proposition est, que les merites produits par la grace d'Adam étoient purement naturels, que ce n'étoient pas des dons surnaturels de Dieu, qu' ils étoient les effets du seul libre arbitre. Paullo infra, idest, pag. 690. „ Bajus (inquit Eminentissimus Princeps) n'est pas le premier qui ait enseigné, que la justice originelle & l'elevation de l'homme à la participation de la nature divine, étoit naturelle à l'état d'innocence, & qu' elle en étoit absolument inseparable. Il avoit puisé cette opinion dans Luther & dans Calvin. Voici comment Luther s'en explique. „ Atque hoc in loco profert Cardinalis eximius, quæ Lutherus scribit in cap. 3. Genes. de quibus supra §. 1. num. 3. atque hoc eodem paragrapho num. 1. Animadvertit quoque eamdem fuisse opinionem Calvini Instit. lib. 1. cap. 15. lib. 2. cap. 1. & 6.

Traité Theologique adressé au clergé du diocese de Meaux. A Paris an. 1722. pag. 687.

IV. In parvo itidem libello typis Colonienſibus edito anno 1714. cui titulus *Venin des 101. propositions*, hæc leguntur: 34. Que la grace d'Adam ne produisoit que *de merites humains:* Ce n'etoit donc point un don surnaturel, qui élevât l'homme au-dessus de sa condition naturelle. 35. Que la grace d'Adam étoit une suite de la creation, une grace duë à la nature saine & entiere; une grace qui consequemment n'étoit grace que de nom, qui n'étoit qu'autant que la creation peut-être appellée grace. Bajus ne s'est point exprimé autrement dans la 23. la 26. & la 79. des les propositions condamnées.

Pag. 12.

V. In Opusculo, cui titulus, *Veritas & æquitas Constitutionis* Unigenitus *Theologice demonstrata*, propositio 35. Quesnelli dicitur *falsa, temeraria, erronea & Pelagiana;* quod eo loci demonstratur ex Bajanis articulis, & non semel citato Commentario Lutheri in c. 3. Geneseos. In altero item Opusculo, cui titulus: *Les cent & une propositions qualifiées en détail*, eadem Quesnelliana propositio dicitur: Fausse, temeraire, erronée, Pélagienne. „ In quo autem præcipue Pelagiana hæresis sita est, nisi in eo quod naturalibus & solius liberi arbitrii viribus Pelagiani opera illa adscripserunt, quæ absque superno divinæ gratiæ auxilio fieri non possunt?

Veritas, & equitas, &c. p. 45.

Pag. 76. ubique alia plura, quæ proximo n. 7.

VI. Gregorius S. R. E. Cardinalis Selleri pertractans initio tomi VI. de trigesimaquarta, & trigesimaquinta P. Quesnelli propositione, *Quid monstruosius* (inquit) *poterat ideare author hisce proscriptis propositionibus? Quis quæso monstrum non intuetur, dum in ipsis execrandam confusionem gratiæ cum natura, & utriusque destructionem apertissime agnoscit? Profecto si gratia Adami nonnisi humana producebat merita; ergo erat ipsius natura, quæ de se valet humana merita efficere. Præterea si gratia Adami sequebatur creationem ejus, eratque naturæ sanæ & integræ debita, prorsus gratia non erat, sed illius naturæ proprietas, ipsam sequens, eique debita.* Infra num. 46. hæc scribit: *Quotiescunque in primo homine, hujusque posteris, si perdurasset natura in sua integritate, Gratia secuta fuisset creationem, tanquam debita naturæ; hujus fuisset propria, ex intrinsecis ejusdem derivans, ac proinde humana & naturalis.* Etsi autem hic auctor Quesnelli errorem derivare sentiat, ex quo idem Quesnellius neget *possibilem statum puræ naturæ*, ita tamen ex hoc principio damnatas theses consequi existimat, quod Quesnellius Bajo, & Jansenio adhærens, *falso concludat, Dei gratiam sequi naturam in sui creatione, sicut proprietas sequitur essentiam, & esse illi debitam, sicut connaturalia sunt debita naturæ.* Hanc vero consecutionem nullibi in Augustinensium Theologorum scriptis, nisi refutatam, rejectamque adinvenies.

Tom. 6. p. 1.

Pag. 55.

Hinc memoria repetendum est, quod in Præfatione præmonui, non ex eodem principio a Bajanistis, & ab Augustinensibus Theologis defendi *impossibilitatem status puræ naturæ*: quum illi hanc propugnent ex hæretico erroneoque principio, quod integritas, sanctitas, & originalis justitia sit naturalis conditio, naturæ proprietas, & creationis sequela: nostrates vero ex principio opposito, quod rationali creaturæ constitutus sit finis supernaturalis, & excedens naturæ ordinem; ideoque ei divina Providentia nulli denegans media ad consecutionem finis necessaria, conferenda duxerit auxilia supernaturalia, quæ neque ex principiis naturæ oriuntur, neque spectant ad naturæ proprietates, neque naturam, ejusque creationem consequuntur. Quare Theologi quidem plurimi, ac sapientissimi illam *puræ naturæ impossibilitatem* negant, permultisque argumentis oppugnant, sed quatenus defenditur ex Bajano principio: quod & nos constantissime rejicimus, & refutamus.

VII. Auctor quoque Opusculi Italica lingua conscripti, & Mediolanensibus typis procusi, cui titulus: *Le cento una Proposizioni, &c.* (quod tamen Opusculum, ut dixi Dissert. 1. idem est, ac prius editum Gallico idiomate, commemoratum paullo supra nu. 5. & ab Anti-Jansenianis præ ceteris commendatum, idoneumque ad detegendam novorum dogmatum pravitatem, ideoque, a nobis iterum laudandum,) Auctor, inquam, illius Opusculi, quamvis sit ex eorum numero, qui *statum puræ naturæ* rejiciunt, cogente tamen veritate fatetur, ita a Bajo, & a Quesnellio statum illum denegari, ut homini integro nullum prorsus supernaturale donum collatum fuisse tradiderint. „ Or questo stato di pura natura, (ait ille) si ha da Bajo per una chimera. Crede egli che la elevazione di Adamo alla participazione della natura divina altro non sia, che la natural condizione dell'uomo innocente; e che un tal vantaggio gli sia talmente dovuto, che Dio non poteva negarglielo nella creazione. Egli perciò stima error grossolano il crèdere, che in tale stato vi fosse necessità di soccorsi suprannaturali, e singolarmente degli abiti infusi di Fede, di Speranza, di Carità, per meritare la gloria eterna. Nel detto stato adunque secondo lui non v' ha nulla di soprannaturale, nè punto di grazia, propriamente tale; non riconoscendovi altro che una grazia di puro nome, in tutto differente dalla nostra, e che non ha altro di comune con essa fuori che il nome. „ Productis deinde Baji propositionibus, & hinc ad Quesnellianas pertransiens inquit: „ In somma la grazia d'Adamo non era propriamente grazia, perchè *era dovuta* (Prop. 35.) *alla natura sana e intiera*. Non era d'ordine soprannaturale, perchè *era* (Prop. 37.) *proporzionata all' uomo, e non produceva se non* (Prop. 34.) *meriti umani*. Or chi può negare, che questa non sia tutta la dottrina di Bajo, fedelmente espressa da questo Novatore? Amendue ancor s'accordano, e consentono che nel primiero stato, il quale da essi vien riguardato, come lo stato naturale, e proprio dell' uomo, ciascuno avrebbe meritato l' eterna felicità con le sole forze del libero arbitrio senza verun' ajuto soprannaturale. „

Pag. 10. 11. & 12.

§. V.

Differre ab errore Baji sententiam Catholicorum, qui statum puræ naturæ denegant, ex hactenus dictis infertur.

I. JAm vero nullam cum damnatis Baji, & Quesnelli propositionibus affinitatem habere sententiam illorum Theologorum, qui affirmant non potuisse a Deo condi *naturam integram omni supernaturali auxilio exspoliatam*, non ex parte ipsius naturæ, quasi gratia foret hujus pars, aut proprietas, vel quasi eadem gratia a conditione naturæ, tanquam a principio efficiente manaret; vel demum quasi ipsamet gratia pertineret ad naturalem constitutionem, atque naturæ esset proportionata; sed ut creatura rationalis, ad imaginem Dei condita, & supernæ beatitudinis ca-

pax, ad hanc, quam promereri & acquirere nequaquam poterat naturalibus arbitrii viribus, poſſet ſuperadditis divinarum gratiarum donis pertingere: nullam, inquam, cum damnatis propoſitionibus hanc ſententiam habere affinitatem, facile ex dictis eruitur.

II. Enimvero Bajus negat dona collata Adamo *ſupernaturalia* dicenda eſſe: & e contra hæc ſententia dona illa *ſupernaturalia* fuiſſe propugnat. Bajus merita primi hominis *humana* tantum, atque *ex ſolius naturæ viribus* comparata commentus eſt: contra noſtratium ſententia illa merita ex arbitrio quidem, ſed gratiæ ſupernaturalis præmovente & cooperante auxilio, derivaſſe contendit. Bajus negavit ad meritum primi hominis neceſſariam fuiſſe *gratiam adoptionis*, & caritatem habitualem; ſententia autem noſtra in nullo hominum agnoſcit meritum vitæ æternæ abſque *adoptionis gratia*, & abſque caritate juſtificante. Bajus de integra hominis natura pronuntiavit, quod Pelagius aſſeruit de natura humana poſt lapſum, denegans ſupernaturalium auxiliorum neceſſitatem: noſtrates ex adverſo, ex quo gratia indiguerit primus homo, demonſtrant illam potiori titulo neceſſariam eſſe poſt tranſgreſſionem Adami. Bajus negavit juſtitiam, ſanctificationem, exaltationemque naturæ humanæ ad conſortium divinæ fuiſſe in homine integro *dona naturæ ſuperaddita*: nos contrarium conſtantiſſime aſſerimus. Bajus affirmavit *integritatem*, *ſanctitatem*, *immortalitatem*, omniaque munera primæ Angelicæ, & humanæ conditionis debita fuiſſe, ut partes naturæ, ut promanantia ex principiis naturæ, ut proportionata naturæ, ut neceſſaria ad conſtitutionem naturæ: ex oppoſito Auguſtinenſes propugnant eamdem *integritatem*, *ſanctitatem*, *immortalitatem* fuiſſe divina largitate naturæ ſuperaddita, hujuſque ordinem, partes, principia intrinſeca, conſtitutionem, conditionemque ſuperaſſe. Bajus denique carentiam ſupernaturalium donorum, quibus primus homo in prima ſui conditione cumulatus fuit, appellavit *privationem bonorum naturalium*, ejuſdemque generis, qualis eſt cæcitas, ſurditas, corporiſque ægritudo: nos vero privationem ipſam dicimus *negationem beneficiorum ſupernaturalium*, quibus juſto Dei judicio poſſunt filii poſterique Adæ exſpoliari. Hæc vero eorum, quæ ſuperius producta ſunt, ſynopſim quamdam comprehendunt. Quare ex damnatis articulis, ac Bajanis Opuſculis, ex theſibus Queſnellianis, atque ex tot, tantorumque Theologorum de Bajo ipſo, & de Queſnellio, horumque ſententia judiciis, paullo ſupra depromptis, manifeſtiſſima res eſt ab omnibus Baji, ejuſque ſectatorum placitis, aſſertis, dogmatibus, phraſibus quoque, verbiſque recedere Theologos illos, qui ſenſu initio hujus paragraphi expoſito rejiciendum eſſe *ſtatum puræ naturæ* pronuntiant.

§. VI.

Pertractatur de appetitu innato creaturæ rationalis videndi Deum.

Pag. 178. I. QUoniam vero Anonymus in parte altera *Bajaniſmi* art. 2. demonſtrare nititur Patrem Bellelli cum Bajo & Janſenio conſentire, propterea quod Theologus noſter doctiſſimus ac præſtantiſſimus propugnaverit creaturam rationalem, quæ ad Dei imaginem condita eſt, debuiſſe *ordinari in viſionem Dei intuitivam*, ideoque mediis ad hanc obtinendam neceſſariis fulciendam ornandamque fuiſſe, attenta Dei providentia, quæ nulli creaturæ denegat quidquid neceſſarium illi eſt ad finis ſui conſecutionem; breviter idcirco expendendum eſt, num qui docent revera creaturam rationalem ordinandam fuiſſe ad *intuitivam* Dei viſionem, in illa Bajani erroris portenta, quæ ſuperius deſcripta ſunt, prolabantur.

II. Firmiſſime itaque affirmo, neminem poſſe Bajaniſmi ſalva æquitate damnari, ſi defendat creaturæ rationali ineſſe naturaliter appetitum innatum ad ipſam viſionem Dei intuitivam. Eumdem quippe *appetitum*, & quidem *innatum*, & ab ipſa creatura rationali indiſtinctum propugnarunt ex antiquioribus Scholaſticis bene multi, ut Scotus qu. 1. Prologi, & in 4. diſt. 49. qu. 9. & 10. Durandus ibidem qu. 8. Major qu. 6. Paludanus qu. 7. art. 1. concl. 2. Ricardus de Mediavilla in eamdem diſtinctionem 49. aliique complures. Propugnant adhuc poſt damnationem articulorum Baji *innatum* illum beatificæ viſionis *appetitum* univerſi Scotiſtæ cum Bartholomæo Maſtrio in 1. Sententiarum diſput. 6. qu. 2. demonſtrantque hujus Scholæ Theologi minime ex illo appetitu conſequi ipſam viſionem *quoad ſubſtantiam* eſſe naturalem: nam (inquit Maſtrius num. 56.) juxta Cajetanum, Suareſium, Coninchium, Arriagam, alioſque omnes, qui in ea de appetitu innato quæſtione a Scotiſtis recedunt, ſupernaturale quoad ſubſtantiam illud eſt, *quod a principiis nullius naturæ creatæ poteſt oriri*, ſive *quod excedit vires tam naturæ, quam rei naturalis*. Docent quoque iidem Scotiſtæ fieri poſſe, ut *appetitus & inclinatio naturalis* ſit ad bonum, quod nequeat ſolius naturæ viribus obtineri, producto exemplo rationalis animæ, & cæcorum oculorum, quorum illa a corpore ſeparata huic iterum uniri appetit; hi vero ad viſionem adſpirant, quam nulla naturali facultate poſſunt elicere. Addunt Scotiſtæ nihil derogari creaturæ rationalis perfectioni, quod tendat naturali pondere, & inſtinctu in finem, ad quem nequit naturæ viribus pervenire; quum potius in hoc conditio creaturæ intellectualis præcellat rebus aliis creatis, quod ordinetur *ad perfectionem majorem illa, ad quam viribus propriis pertingere poteſt*, inquit eo loci Maſtrius num. 57. Ac demum oppoſita argumenta eorum, qui negant innatum illum creaturæ rationalis appetitum, quoniam ex eo ſequeretur viſionem Dei, & media, quibus ad hanc pervenitur, *naturalia*, *non ſupernaturalia* dicenda eſſe, Scoti aſſeclæ quamfacillime diluunt, reſpondendo *illam qualitatem dici alicui naturaliter debitam, quam ita ex ſua intrinſeca conſtitutione poſtulat, ut vel ex intrinſecis ejus principiis emanet, ut ſunt calor in igne, frigus in aqua; vel ſaltem neceſſario illis ab extrinſeco agente comproducuntur, naturali ſua conſtitutione ſic poſtulante, qua ſunt, & qua ſine conſervari naturaliter non poſſunt, ſicut corpora cæleſtia habent ſuas qualitates, perfectioneſque eis poſſibiles, nec ex ſe in ſeipſis effectas, nec ab aliis receptas, ſed a Deo penitus concreatas*: quo utique modo non poſtulat rationalis creatura gratiam, aliaque ſupernaturalia dona; ideoque ſine iſtis in ſua natura perſiſteret, ut poſt Adæ lapſum in ſui naturali conſtitutione, quamvis vulnerata atque infirma, perſeverat abſque ſupernaturalibus ornamentis gratiarum in prima ſui conditione receptis.

III. Superiorem *de appetitu innato* ſententiam propugnavit e Thomiſtarum Schola celeberrimus Dominicus Soto, qui lib. 1. de nat. & grat. cap. 4. nu. 8. rejecta opinione illorum, qui cenſent hominem, *ſi conſideretur in ſuis naturalibus ante lumen fidei*, non appetere beatitudinem, quæ in perſpicua viſione ſummi Dei ſita eſt, definit naturalem omnium hominum appetitum, etiam illorum, quibus lux fidei nondum illuxit, ſuapte natura illuc ferri: idque demonſtrat Sotus ex eo quod homo, quibuſcunque rebus conditis potiatur, *nullibi quietus eſt, eſſeve poteſt, quoad æterna illa viſione fruatur. Unde confeſſio illa Auguſtino in mentem venit: Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec perveniat ad te.* Ait deinde Sotus hanc eamdem eſſe Scoti opinionem, necnon Sancti Thomæ quæſt. 12. primæ partis articulo 1. ubi docet ineſſe *homini naturale deſiderium cognoſcendi cauſam, cum intuetur effectum*, ibique ſermonem inſtituit *de cognitione per eſſentiam*: in tertio item contra Gentiles cap. 50. ubi Angelicus Doctor aſſerit, multiſque demonſtrat, *inane eſſe deſiderium naturale, niſi Deum homo videre poteſt*. Objiciens autem ſibi Dominicus Soto, nemini unquam a natura ad finem aliquem ingenerari appetitum, cui non ſimul Auctor naturæ largiatur potiundi facultatem: hominem vero nequaquam habere a natura poteſtatem *promerendæ adipiſcendæque illius beatitudinis*, hanc ille adhibet reſponſionem: *Ad hoc facile reſpondetur, magis exinde effulgere celſitudinem humanæ; quod cum nulla poſſit eſſe natura creata, quæ ulla ſit proportione ad aſſequendam felicitatem illam, quæ exſuperat omnem ſenſum; nihilo ſecius angelica & humana ad imaginem Dei conditæ, illum haberent pro fine ultimo, & ubi natura deficiebat, illic præſto eſſet nobis Deus paratiſſimus ſubvenire, niſi nos ipſi renuerimus.* Eamdem ſententiam propugnant idem Sotus in 4. ſentent. diſtinct. 29. articulo 1. qu. 2. ut dixi in Additamento libri XII. de Theolog. diſciplinis, cap. 3. Adde Ferrarienſem, Niphum, Corradum, &c.

IV. Ut nonnullos item producam ex inclyta Societate Jeſu Theologos, Ludovicus Molina Comment. in 1. partem quæſt. 12. artic. 1. diſput. 3. inſtituens quæſtionem illam, *Utrum in nobis ſit appetitus naturalis ad beatitudinem in particulari*, quamquam ipſe amplectitur negantem opinionem, ſcribit tamen: *Communior Scholaſticorum ſententia aſſerit eſſe in nobis appetitum naturalem ad beatitudinem in particulari, atque ea de cauſa illam dicendam eſſe finem noſtrum naturalem, non quoad aſſecutionem, ac ſimpliciter: ea enim ratione omnes fatentur dicendum eſſe ſimpliciter finem noſtrum ſupernaturalem; ſed quoad appetitum, & potentiam paſſivam.* Producto quoque præcipuo contrariæ opinionis argumento, nempe, *Quoniam natura non tribuit propenſionem atque appetitum naturalem ad id, ad quod tota vis naturæ non poteſt perducere: ſed tota vis naturæ non poteſt perducere hominem aut Angelum ad claram Dei viſionem, ut fides docet, adverſariique ipſi confitentur: ergo neque in homine, neque in Angelo eſt propenſio atque appetitus naturalis ad beatitudinem in particulari;* producto, inquam, hoc argumento, ita Molina proſequitur: *Ad hoc argumentum aliqui ex auctoribus contrariæ opinionis negant majorem, dicuntque peculiare eſſe rebus intel-*

Maſtrius proxima pagina 384. Pro eadem ſententia Macedo tom. 2. Collat. pag. 398. laudat auctores alios quamplures.

Pag. edit. Lugdun. 8.

Pag. 9.

Sot. in 4. ſent. tom. 2. pagin. edition. Venet. 654. de Th. diſciplin. tom. 2. pag. 563.

Molina in 1. p. edit. Lugdun. pag. 98.

Ibidem pag. 99.

Tom. 1. edit. Venet. pag. 383.

intellectu præditis, ut viribus ſuis comparare nequeant finem ultimum, ad quem ſuapte natura propendent, ad maximamque earum perfectionem attinere, quod ſuapte natura ad tam ſublimem finem ordinentur, ut nullæ vires naturales, nullaque media naturalia ad illius aſſecutionem ſint ſatis, & idcirco ſit ſupernaturalis quoad aſſecutionem, & quoad media, quibus comparari debet; naturalis tamen quoad appetitum, & propenſionem, qua in talem finem tendimus. Vide & Eſtium in 3. diſt. 25. §. 4. ad 1. ex ratione.

Vide Eſtium pag. 294.

V. Doctiſſimus quoque Suareſius in Prolegomeno IV. de Gratia cap. 1. num. 6. hoc argumentum proponit adverſus ſtatum puræ naturæ: *Ratio autem dubitandi eſt, quia non potuit Deus non condere hominem propter ejus ultimum finem: ſed hic finis ſupernaturalis eſt; ergo non potuit hominem condere ſine ordinatione ejus ad finem ſupernaturalem: ergo nec ſine gratia, ac proinde non in puris naturalibus. Minor probatur, quia finis ultimus hominis eſt beatitudo ejus; beatitudo autem eſt viſio beata, quæ ſupernaturalis eſt, ut nunc ex fide ſuppono, & traditur 1. par. quæſt. 12. & 1. 2. q. 3. Conſequentiæ autem videntur claræ, quia non poteſt homo creari propter illum finem, niſi recipiat media, quibus illum conſequi poſſit: illa autem media ſunt dona gratiæ. Et augetur difficultas ex opinione multorum Theologorum aſſerentium habere hominem appetitum naturalem, & innatum ad videndum clare Deum. Quam docuit Scotus in quæſtione 1. Prologi, §. Ad primum licet procedat, & in 4. diſtinct. 49. qu. 9. & 10. Durandus q. 8. Paludanus q. 7. art. 1. Major qu. 6. & latius Soto qu. 2. art. 1. §. Nihilominus prima concluſio, & lib. 1. de natura & gratia cap. 4. & favet interdum Divus Thomas, ut 1. par. qu. 12. art. 1. qu. 3. art. 2. & q. 5. art. 3. ad 3. Ex hac ergo opinione ſequitur non potuiſſe hominem etiam de potentia abſoluta creari ſine appetitu innato, ſeu pondere naturæ ad videndum Deum: nam hic appetitus, ſeu pondus naturæ non eſt in re aliquid diſtinctum ab ipſa natura: non ergo poteſt condi natura ſine illo. Item non eſt diſtinctum aliquid a capacitate naturæ: capacitas autem illius finis, ſeu viſionis non eſt ſeparabilis a natura, ut dixi. Denique ex hac intrinſeca capacitate hominis naſcitur, ut extra Deum non ſatietur, nec quieſcat, juxta illud Auguſtini 1. Confeſſ. cap. 1. Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec perveniamus ad te; ergo non potuit homo condi niſi ordinatus ad illum finem, quem propterea Scotus naturalem vocat: ergo nec condi potuit (ſaltem juxta debitam inſtitutionem naturæ) ſine gratia neceſſaria ad illum finem; non ergo in puris naturalibus.* Huic autem argumento cenſet Suarez non alia ratione poſſe reſponderi, niſi negando dari in homine talem appetitum naturalem & innatum, ingenue faſſus, *appetitum naturalem non eſſe fruſtra, & ideo pertinere ad authorem naturæ providere media, quibus ille appetitus ſatiari poſſit*, ut inquit num. 20. & 21. Quare cum appetitus ille innatus defendi poſſit, atque eodem Suareſio fatente defendatur reipſa a Scoto, Durando, Soto, Paludano, aliiſque, immo, haud repugnante Molina, *communi Scholaſticorum ſententia* beatitudo in particulari ſit finis ultimus rationalis creaturæ, ac finis *ſupernaturalis* quidem quantum attinet ad conſecutionem, *naturalis* vero quantum pertinet ad inclinationem & appetitum; conſequens eſt, deberi ſpectata providentia, quæ ſingulis rebus media ad finem aſſequendum neceſſaria ſuppeditat, ipſi creaturæ rationali donum gratiæ, ſine quo nunquam poſſet ad beatitudinem pervenire: tametſi eadem gratia non debeatur tanquam pars, proprietas, aut qualitas ſpectans ad conſtitutionem, conditionemque naturæ, ut commentus eſt Bajus.

VI. Ipſe Bellarminus de Gratia 1. hominis cap. 7. non negat viſionem Dei eſſe *finem hominis naturalem*; nam proponit ſibi decimamtertiam objectionem, *Æterna beatitudo finis eſt hominis naturalis, ut S. Thomas docet in 1. p. qu. 12. art. 1. debuit igitur homo media naturalia habere ad eum finem conſequendum; alioqui rebus omnibus eſſet miſerior & abjectior, cum res ceteræ fines ſuos propriis ac naturalibus viribus aſſequantur. Juſtitia ergo & ceteræ virtutes, quæ ad beatitudinem adipiſcendam neceſſariæ ſunt, primo homini naturales fuerunt.* Reſpondet autem: *Non parva quæſtio eſt, ſit ne ſempiterna beatitudo, quæ in viſione Dei ſita eſt, finis hominis naturalis, an ſupernaturalis. Sed quia non multum facit ad rem noſtram illius quæſtionis explicatio, admiſſa parte affirmante, Reſpondeo beatitudinem finem hominis naturalem eſſe quoad appetitum, non quoad conſecutionem. Neque eſt aut novum, aut hominis natura indignum, ut naturaliter appetat, quod nonniſi ſupernaturali auxilio conſequi valeat. Non eſt, inquam, novum, ſiquidem animæ hominum ſolutæ corporibus naturalem habent ordinem, & propenſionem ad corpora, quorum formæ fuerunt, nec tamen iterum conjungi corporibus ſine ſupernaturali auxilio poterunt. Non eſt autem natura humana indignum, ſed contra potius ad maximam ejus pertinet dignitatem, quod ad ſublimiorem finem condita ſit, quam ut eum ſolis naturæ ſuæ viribus attingere poſſit.*

Tom. IV. pag. 14.

VII. Viris iſtis præſtantiſſimis, qui licet *ſtatum puræ naturæ poſſibilem* adſtruant, fatentur tamen Catholicam eſſe ſententiam illam, quæ propugnat viſionem Dei eſſe *finem ultimum naturalem* creaturæ rationalis quoad pondus, inclinationem atque appetitum, modo *ſupernaturalis* ſtatuatur quoad ejuſdem finis conſecutionem, non tantum adhæſit Jeſuita alter, Julius-Cæſar Recupitus, verum etiam pro illo innato appetitu, & fine naturali ſtabiliendo prolixa diſſertatione certavit. Poterit quiſque hunc ſcriptorem perlegere lib. 6. *de veritate* quæſt. 1. cap. 3. Inter illa autem argumenta, quæ P. Recupitus ſibi opponit, num. 3. illud eſt, quod adſtruentibus ſtatum puræ naturæ eſt commune & pervulgatum, ſcilicet, ex appetitu naturali & innato *ad ſummum inferri poſſibilitatem cognoſcendi primam cauſam cognitione abſtractiva, non autem cognitione intuitiva, & ſecundum ſubſtantiam*: cui argumento Recupitus ad hunc modum reſpondet pag. 456. *Reſpondeo primo ex viſione effectuum quorumcumque excitari naturale deſiderium videndi non ſolum rationem cauſæ ut ſic, ſed ipſammet entitatem, & ſubſtantiam cauſæ: viſo enim opificio cupimus videre opificem. Reſpondeo ſecundo, etiam dato quod naturale deſiderium non ſe extenderet niſi ad rationem cauſæ ut ſic, adhuc tamen ſequitur ferri in virtutem cauſativam, ex qua per ſe pendet effectus: impoſſibile eſt autem videre Deum quoad vim cauſativam, & non videri intuitive quoad ſubſtantiam, quæ ab ea non diſtinguitur.* Opponit ſibi Theologus ille argumentum aliud n. 8. quod eſt hujuſmodi: *Si in homine eſt appetitus naturalis viſionis Dei per eſſentiam, non quietatur hic appetitus per illum objectum naturale, neque per contemplationem primæ cauſæ naturalem, quæ eſt infra talem viſionem. Ergo nullus daretur hominis finis ultimus naturalis, neque felicitas naturalis: cum illa habita non quieſcat, ſed feratur ulterius per deſiderium ad aliquid ſupra ſuas vires.* Quid vero ad hæc Recupitus? *Ad octavum* (inquit pag. 457.) *concedo felicitatem naturalem hominis, quæ habetur per contemplationem abſtractivam primæ cauſæ, eſſe imperfectam: & ideo conveniens fuiſſe, ut ordinaretur ulterius ad cognitionem ejuſdem intuitivam, quæ complementum eſſet beatitudinis naturalis.*

Edit. Rom. pag. 451.

VIII. Quid obſecro, docent Auguſtinenſes Theologi, dum ajunt *ſtatum puræ naturæ impoſſibilem*, niſi creaturæ rationalis finem ultimum eſſe Deum, hujuſque intuitivam viſionem; hunc finem *naturalem* eſſe quoad inclinationem atque appetitum ejuſdem rationalis creaturæ, & *ſupernaturalem* quantum ad conſecutionem, & ad media, quibus acquiritur: abſque tali conſecutione creaturas ratione præditas fore miſerrimas, rebuſque ceteris a Deo conditis, & quæ naturalem finem ſuum aſſequuntur, deteriores: in hoc proinde Angelorum, hominumque naturam irrationalibus corporeiſque ſubſtantiis antecellere, quod illis conſtitutus ſit finis præſtantiſſimus, ad quem *per ſolius naturæ vires* pertingere nequaquam poſſunt; ideoque naturæ integræ, nulloque peccato corruptæ ſupernaturalia gratiæ auxilia conferenda fuiſſe, ut poſſet finem ſuum adipiſci, non quod hujuſmodi auxilia ſint *naturalia*, pertineantque *ad naturæ conſtitutionem*, ſed potius quia ad finem ſuum conſequendum rationales creaturæ egent ſadminiculis naturæ ordinem excedentibus; & quæ propterea ipſis quodammodo debeantur, ſive *titulo Providentiæ*, quæ nulli denegat media neceſſaria ad finem aſſequendum, ut contendit Fulgentius Bellelli, ſive *decentia Creatoris*, ut docuit Noriſius: Quid, inquam, aliud ſcribunt, docentque Theologi Auguſtinenſes?

IX. Multorum denique Theologorum ſententia eſt, viſionem Dei eſſe finem rationalium creaturarum *ſupernaturalem* tantummodo; ad quem finem, poſteaquam gratuita ordinatione homo elevatus eſt, debentur illi media ſufficientia ad illum conſequendum: eamdemque ſententiam propugnat Anonymus art. 2. §. 2. num. 56. Immo non deſunt qui totis lacertis contendant deberi eadem media etiamnum poſt prævaricationem Adami, quando facta ſunt beneficia indebita, eo quod ea ſingulis promeruerit Chriſtus pro univerſorum hominum redemptione ſuffixus cruci. Eloquentiſſime pro hac ſententia Orator præſtantiſſimus Paulus Segneri Concione feriæ IV. poſt Dominicam Paſſionis: „ Non può eſſere, che tali ajuti non ſi ſomminiſtrino a tutti con grandiſſima fedeltà. Non ſolamente perchè il Padre Eterno non può negarci quel, che il ſuo Figliuolo umanato ci ha meritato col prezzo vantaggioſiſſimo del ſuo Sangue, ma ancor perchè, ſe ognun di noi non aveſſe ajuti baſtevoliſſimi da ſalvarſi, ne ſeguirebbe (come notò S. Tommaſo) che tutte le creature, ancorchè inſenſate, foſſero ſtate ordinate meglio al lor fine, che l' uomo al ſuo. Girate gli occhi d' intorno a tutto il creato: voi non vederete coſa veruna, che non ſia ſtata ſovvenu-

Bajan. Rediv. pag. 89.

Pag. edit. Parm. 234.

ta da Dio di mezzi opportuni ad ottenere il fine propostole. Il fine, che per ora hanno i Cieli, è di stare in perpetuo moto, per compartire i loro influssi alla terra. Però, già che non hanno in se stessi un' anima informatrice, come la nostra, che possa muoversi, è stata loro assegnata un' Intelligenza assistente. Le stelle debbono mitigare gli orrori della notte più tenebrosa, ma non han da se tanto lume, che a questo basti: però il Sole ha ordini espressi di provvedernele della sua perenne lumiera. La terra dee saziare le voglie degli agricoltori più avidi, ma non ha in se tanto umore, che a questo vaglia; però le acque hanno commissione perpetua di fecondarla co' loro sotterranei pellegrinaggi. A gli animali bruti manca artificio con cui guernirsi, o di vesti, che gli difendan dal freddo, o d'armi, che gli assicurino da' nemici. Però guardate, come la Provvidenza somministra lor tutto questo insieme col nascere. Contro al freddo ella ricuopre altri di cuojo, altri di piume, ed altri di squame: contro i nemici ella fornisce altri d' ugne, altri di rostri, ed altri di aculei. Le ostriche, le conchiglie, le cappe, le quali vivono attaccate a gli scogli, non hanno piedi onde muoversi, affine di procacciarsi il sostentamento. Però che avviene? Lo scoglio stesso d' intorno a loro germoglia il pascolo loro amico. Se la balena, qual' animato navilio da se girasse pel mare, correrebbe spesso pericolo d' arenar nelle secche. Però un piccolo pesciolino ha l' istinto d' indrizzarla. Se le coturnici, che sono popolo imbelle, tragittasser sole per l' aria, rimarrebbono spesso preda d' avoltoi rapaci. Però altri uccelli confederati han costume di convojarle. E così andate voi discorrendo per l' universo, ritroverete non v' esser cosa sì vile, la quale, se con la sola propria virtù non può conseguire il suo fine, non sia munita di qualche altro ajuto impresstatole. Ora ditemi. Volete voi, che Dio usi meglio co' bruti, servi dell' uomo, di quel ch' egli usi coll' uomo signor de' bruti: ma cert' è, ch' egli userebbe così, se non avvenisse, quel che dich' io. Conciossiachè il fine dell' uomo è la felicità soprannaturale, a cui egli con le sue semplici forze mai non può giugnere. Adunque conviene affermare, che Dio infallibilmente proveggalo d' altri mezzi, e questi veraci, e questi valevoli, onde giugnere a sì gran fine. „ Porro si hæc ab adversariis nostris dicuntur de hoc statu, in quo Dei gratia ob primæ prævaricationis demeritum potest justissimo Dei judicio negari: quid asserendum erit de illo statu, in quo absque ulla culpa rationales creaturæ a Deo conditæ, naturali pondere, atque instinctu supernaturalem finem appeterent? Nonne essent creaturæ illæ brutis animantibus deteriores, si absque gratia ad finem consequendum necessaria producerentur? Aut ergo beatitudo supernaturalis non est finis, ad quem suapte natura Angeli, hominesque protendunt; aut absque mediis supernaturalibus, spectata Dei providentia, condi non poterant, ut recte sapienterque ratiocinatur Suarez, de quo supra. Quare si assertio illa de fine ultimo hominis, atque de appetitu naturali beatitudinis, non est definita in damnatione articulorum Baji, ut apertissime constat ex dictis; neque definita erit quæstio de natura, quam *puram* appellant, saltem prout solet in Augustiniana Schola agitari.

§. VII.

Non esse in Bajo damnatam eorum sententiam, qui tradunt non posse hominem condi cum perduelli concupiscentia.

I. ET quoniam nostrates, dum statum *puræ naturæ*, sensu explicato, commentitium appellant, non solum docent rationalem creaturam dono aliquo supernaturali indiguisse ad finem suum consequendum, verum etiam censent, *concupiscentiam* lacertosam, ac perduellem, illam nempe, quæ legi mentis adversatur, & quam modo experimur, suapte natura malam esse, nec potuisse Deum cum hac eadem concupiscentia homines condere, quin eis saltem auxilium aliquod impertiretur, ne absque culpa illius motibus cederent & succumberent: Anonymus vero, etiamsi fateatur quosdam Theologos hac in re nostratibus consentire, existimat tamen illos non effugere censuram a S. Pio V. latam in damnatione Bajani articuli 53. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur*; ideo illud quoque in præsentia brevissime demonstrabo, illam de concupiscentia, cui modo subjicimur, assertionem esse valde probabilem, nullamque habere cum damnatis Baji articulis connexionem. Ac primum id, quod nunc affirmo, constat ex confessione Joannis Baptistæ Gonet, atque ex luculentissimo testimonio Guilelmi Estii; de quibus §. 1. num. 9. & 10.

Bajan. Rediv. pag. 76.

II. Deinde quis eruditorum virorum ignorat, Clarissimum Henricum Norisium Augustinianæ sententiæ propugnatorem, vindicemque doctissimum in 3. Vindic. cap. §. 2. demonstrasse, juxta S. P. Augustinum, *concupiscentiam esse per se malam, & vitium humanæ naturæ ex primo peccato derivatam, nec illam esse passionem naturalem hominis*, sed licet peccatum non sit, *esse tamen habitum vitiosum ad malum inclinantem*? Profecto scriptor Eminentissimus id asserit, commonstratque testimoniis Sancti Fulgentii in Epistola de Bono Conjugali cap. 3. ac S. Prosperi, seu Pomerii lib. 3. de Vita Contemplativa cap. 2. Ostendit eamdem Augustini sententiam a plurimis Scholasticorum strenue propugnatam fuisse, præsertim a Petro Aureolo in 2. dist. 30. art. 2. a Gregorio Ariminensi eadem dist. q. 1. art. 2. a P. Macedo lib. IV. de Clavibus Petri cap. 10. p. 2. a Joanne Bagotio Societatis Jesu lib. V. Demonstrat. dogmat. Christ. disp. 8. cap. 1. sect. 3. a P. Elisalda in Thesibus a Patribus ejusdem Societatis an. 1658. in Collegio Romano propugnatis, a Martino de Esparza q. 7. de Gratia, ab ipsomet Bellarmino, qui caput 14. de amissione gratiæ ita inscripsit: *Ostenditur contra Pelagianos concupiscentiam esse malam*. Mitto argumenta, quæ pro sententia nostra eo loci profert Norisius ex libris Augustini adversus Julianum, atque ex aliis contra Pelagianos lucubrationibus. Solvit etiam Cardinalis ampliissimus ibidem quæ adversarii opponunt ex eodem Augustino lib. 1. Retract. cap. 9. ex ratiocinationibus variis, necnon ex præcitato articulo quinquagesimoquinto Baji, de cujus pravo, hæretico, & erroneo sensu quid Norisius ipse scripserit, §. 1. nu. 12. præmisimus. Vellem ego, ut quisquis scripta hæc nostra pervolutare dignatur, conferret quæ Norisius citato loco de articulis Baji pronunciavit, & quæ a me in dissertat. *de statu puræ naturæ* producta sunt, ut percipere posset, Anonymum imitando Risbrochium & Neusserium, non me, sed ipsum Cardinalem Norisium scriptorem præstantissimum, & nunquam sine laude nominandum, cujus responsa tradidi, & vindicavi, imperite, & audacter insimulare criminatione iniquissima ac turpissima Bajanismi.

Tom. 2. p. 548.

III. Idem Norisius de concupiscentia per se mala & vitiosa, nec non de objecta sibi Bajani erroris calumnia summarie agit in *Parallelo*, atque ad *Germanitatem quartam & quintam*: quibus in locis demonstrat ex sententia Patris Macedi, cujus potissimum verbis utitur, quod ex amico Norisii acerrimus accusator evaserit, concupiscentiam *nec indifferentem* posse esse, cum inclinet ex se ad peccandum; & si esset proprietas naturæ, & ex principiis ipsius flueret, attribuendam fore Deo conditori, & consequenter non posse Deum condere creaturam rationalem *cum illo modo, qui inducit ad peccandum*, & oritur ex natura infecta peccato; idque contra Suaresium demonstrari ex ejusdem Suaresii doctrina, quum is neget posse a Deo esse *habitum vitiosum* vel per se, vel per accidens infusum in voluntate, eo quod inclinet natura sua ad malum morale, ideoque idem affirmandum esse de libidine effrænata, quæ fomes est peccati, & saltem per accidens ad peccandum inducit: hanc denique sententiam nullatenus labefactari proscriptis Baji propositionibus. Vide Norisium, & cum Norisii verbis te non pigeat conferre quæ a me scripta sunt in *Additamento* lib. XII. cap. 1. sive tom. 1. pag. 324.

Tom. 1. p. 907.

Tom. 1. p. 1354. 1415. 1419.

IV. Sententiam Norisii inter Agustinianos Theologos communem esse, facile percipiet quisquis legerit Joannis Schyveitzeri dissertationem *de primo homine*, dub. XI. ubi ex Augustini Operibus illam perspicue, naviterque propugnat: Tractatum Aurelii Piette *de Peccato Originali* q. 8. & §. 4. quo in loco non tantum sententiam ipsam pluribus argumentis confirmat, verum etiam demonstrat eidem adhæsisse præstantissimos Tridentini Concilii Theologos Jodocum Ravestein, & Ruardum Tapperum, rejicitque iisdem, quibus nos usi sumus, responsis Bajani dogmatis objectationem: Gasparis Casalii Opus *de Quadripartita justitia* lib. 3. cap. 20. quo concupiscentiæ fœditatem, ac tristia effecta commemorat: Fulgentium La-Fosse volum. 3. Operis, quod inscripsit *Augustinus Theologus* qu. 2. §. 6. ubi demonstrat auctoritate S. Thomæ, & Ægidii Romani, non potuisse hominem condi cum vitio concupiscentiæ: Petri Clenaerts Opusculum inscriptum, *Augustinus per seipsum docens*, editum Lovanii an. 1688. in quo cap. 3. §. 2. posteaquam demonstravit eos, qui concupiscentiam bonam dicunt, consentire Juliano, hortatur rigidos illos censores, qui volunt inter nos & Bajanos nullum esse discrimen, ut potius sibimet vindicandis dent operam, & aperte demonstrent *se non esse Julianistas*, seu Pelagianos.

Pag. edit. Colon. 37. Piette pag. 349. tomi 2. edit. Lovan. Casal. pag. edit. Ven. 390. La Fosse tom. 3. edit. Tolos. pag. 69.

V. Verumenimvero tempus non teram Augustinianos ceteros commemorando, cum exteros habeamus complures nobis assentientes, tum laudatos a Norisio, tum alios, ex doctissimis quoque Theologis Galliarum. Prætermittam vero Clarissimum Estium, quoniam ipsius

sius semel, iterumque hoc eodem capite mentionem feci. Patris etiam Macedi, cujus verba ex Opere de Clavibus Petri, ex 2. Collationum volumine, atque ex Opere, quod *Scrinium* inscripsit, idem Norisius sæpenumero ad avertendam a se Bajani & Janseniani erroris calumniam produxit, necessum non arbitror exscribere iterum, ac proferre testimonia luculentissima. Addam ergo Gallorum Theologorum nonnullos, Vincentium scilicet Contensonum tom. v. dissert. 1. cap. 1. in quo statum puræ naturæ *inconvenientem* esse demonstrat ex eo quod in tali statu homo pœnis, ærumnis, & morti subjaceret, immo secundum omnes fere recentiores concupiscentiæ cum ratione pugnam experiretur, quæ omnia solius peccati originalis sunt consectaria: Joannem Baptistam Du-Hamel, qui in tertio volumine Theologiæ Parisiis editæ, negat in statu, quem fingimus, *naturæ puræ*, futuram concupiscentiam, cum hæc non solum defectus quidam, sed etiam in se mala sit, turpis, indecora, ac tam in causa, quam in effectibus suis execrabilis: Nicolaum L' Herminier demonstrantem in dissert. de Peccatis, concupiscentiam esse originalis culpæ effectum ac pœnam, *simpliciter loquendo, & sine addito* malam, ac profluentem ex sola natura per peccatum vitiata; atque in Tractatu *de Gratia*, ubi tamen *statum puræ naturæ possibilem* asseruit, fatetur concupiscentiam, qualem experimur, esse vulnus naturæ, peccati pœnam, morbum quemdam, atque infirmitatem, nec talem concupiscentiam futuram in *statu naturæ puræ*, idque a nemine Catholicorum posse negari: Dionysium denique Petavium, cujus *de Incarnatione* cap. VI. §. 10. libri XIII. hæc sunt verba: *A qua hæresi* (Pelagiana) *ne illud quidem abhorret, quod peccati fomitem concupiscentiam bonum esse defendit, utpote a Deo bono datam, & naturæ hominum ad propagationem sobolis insitam.* Si enim concupiscentia mala est, *inquit*, quæ materia generationis ostenditur, constat secundum vos, a Deo mulierem non ad adjutorium boni, sed ad occasionem factam esse peccati. *Et paucis interpositis:* Miror, *inquit*, qua fronte concupiscentiam istam, per quam conjugia celebrantur, dicatis a diabolo esse humano generi inflictam. Quis enim dubitet rem malam, si tamen mala est, a Deo bono homini non potuisse conferri? Si enim a Deo est data, bona esse dignoscitur: si autem mala est, constat a diabolo esse infusam, &c. *Item*, Unum vobis eligite e duobus: Aut bona est generatio hominis, & bona est concupiscentia, aut malæ sunt nuptiæ, & iniqua concupiscentia. *Hæc quam Augustini doctrinæ contraria sint, intelligunt, qui in ejus libris utcunque versati sunt. Etenim plenis ille voluminibus istam ipsam concupiscentiam, qua nuptiarum opus transigitur, malam esse, & a malo, idest peccato, non a Deo ingenitam, ideoque* peccatum *ab Apostolo nominari docuit. Contra quod Augustini decretum Pelagiani toto ingenii sui impetu, ac pertinaci contentione certarunt: præsertim sectæ coriphæus Julianus, qui eodem, quo Prædestinati auctor, argumento adversus Augustinum ad propugnandam usus est concupiscentiam. Itaque vel nimium confidens, vel extreme imperitus ille scriptor fuerit, qui protritum adeo ac vulgare Augustini dogma de concupiscentia, aut ignorarit omnino, aut ut sciret, occultando ac dissimulando latere se posse speraverit.* Hæc Petavius de auctore libri a Jacobo Sirmondo editi, cui titulus *Prædestinatus*. Sententia igitur Theologorum illorum, qui docent concupiscentiam, quam modo experimur, malam esse, inclinare ad peccatum, nec posse a Deo conditore originem habere suam, sed esse vitium naturæ & vulnus peccato inflictum, est sententia Augustini, neque ullatenus traduci potest invidioso nomine Jansenismi, seu Bajanismi: nec immerito dixit Petrus Clenaerts, incumbendum esse iis, qui oppositum censent, ut probent se a Juliano Pelagianorum coriphæo dissidere. Si autem talis concupiscentia de se est mala, trahens ad peccatum, opus diaboli, vitiorumque omnium seminatrix; quomodo potuit a Deo bonorum auctore ingenerari humanæ naturæ nullo adhuc peccato corruptæ?

Contens. tom. v. pag. 47. Du. Hamel tom. 3. pag. 497. L' Herminier tom. 6. pag. 379. Tom. v. p. 81. Petav. edit. Paris. tom. IV. p. 2. pag. 311.

VI. Silentio prætereundum non est, quod etsi conderetur homo non utique cum hac lacertosa libidine, & effræni concupiscentia, quæ omni proculdubio vitium naturæ est, atque pœna peccati, sed tantum cum appetitu sensibili tendente in objecta secundum sensum delectabilia: qui appetitus inditus est a natura, atque male a Pelagianis confundebatur cum ipsa concupiscentia, in qua præter appetitum, sensuumque vivacitatem, reperitur pugna, inordinatio, ac perversitas, prout dixi pertractans de pœnis, quæ consecutæ sunt protoparentum nostrorum transgressionem, idest, libro XII. cap. 3. valde tamen probabile est, eumdem appetitum, nisi Deus condens naturam largius esset supernaturale aliquod gratiæ adjutorium; aliquando adversus rationis imperium, in objecta rationi contraria fore trahendum, ideoque divina providentia supposita, quæ rationalem animum corpori conjunxit, eique ut inferiores partes regeret, indita naturali lege commisit, conferendam fuisse gratiam, sine qua homo ipsam naturalem legem absque sui culpa violasset, atque fregisset.

Tom. 2. p. 538.

VII. Quid enim aliud tradidit Sanctus Thomas? Is Commentario in 2. sententiarum, dist. 30. quæst. 1. art. 1. ubi investigat an defectus, quos modo experimur, sint pœna peccati, objicit sibi quarto loco objectionem istam: *Omnis virtus naturaliter tendit in suum objectum: sed virtutis concupiscibilis objectum est delectabile secundum sensum: ergo quod concupiscibilis moveatur in illud, hoc non est pœna, sed hominis natura; & similiter de irascibili, & de aliis viribus, &c.* Utique non aliud S. Thomas huic argumento respondet, nisi vim concupiscentiæ secundum se quidem tendere in objectum delectabile; at si attendatur in homine, qui constat ex animo & corpore, subesse rationis regimini, ideoque concupiscentiam illam, quæ rationem non sequitur, pœnam peccati esse, non naturalem proprietatem: *Ad quartum dicendum* (inquit) *quod quandocunque multa conveniunt ad constitutionem alicujus, alicui eorum potest aliquid secundum se convenire naturaliter secundum naturam propriam, & aliquid convenit sibi secundum naturam totius; sicut patet de elementis in mixtionem corporis venientibus. Secundum hoc ergo dico, quod vis concupiscibilis naturale habet hoc, ut in delectabile secundum sensum tendat: sed secundum quod est vis concupiscibilis humana, habet ulterius, ut tendat in suum objectum secundum regimen rationis: & ideo quod in suum objectum tendat irrefrænate, hoc non est naturale sibi in quantum est humana; sed magis contra naturam ejus, in quantum hujusmodi.* Atque hoc idem nos affirmamus adversus eos, qui in statu *naturæ puræ* futuram putant concupiscentiam, quam nunc experimur, & cum ratione pugnantem, scilicet hanc non esse concupiscentiam, quæ est naturalis proprietas hominis, & creaturæ ratione utentis, sed concupiscentiam animalium brutorum, atque ut ait S. P. Augustinus de peccato originali cap. 40. num. 46. *naturam pecoris.*

Tom. 6. edit. Venet. pag. 98. parte 2. Aug. Tom. X. pag. 274.

VII. Eadem S. Thomas repetens in libro IV. adversus Gentiles cap. 52. objicientibus *defectus tam spirituales, quam corporales non esse pœnales, sed naturales,* ideoque non posse ex iis demonstrari originale peccatum, respondet: *Sed tamen si quis recte consideret, satis probabiliter poterit æstimare, divina providentia supposita, quæ singulis perfectionibus congrua perfectibilia coaptavit, quod Deus superiorem naturam inferiori ad hoc conjunxit, ut ei dominaretur: & si quod hujus dominii impedimentum ex defectu naturæ contingeret, ejus speciali & supernaturali beneficio tolleretur; ut scilicet cum anima rationalis sit altioris naturæ, quam corpus, tali conditione credatur corpori esse conjuncta, quod in corpore aliquid esse non possit contrarium animæ, per quod corpus vivit. Et similiter si ratio in homine appetitui sensuali conjungitur, & aliis sensitivis potentiis, quod ratio a sensitivis potentiis non impediatur, sed magis ei dominetur.* Oportuit itaque juxta S. Thomam, ut providentia divina supposita, rationalis homo absque lacertosa libidine crearetur, ut inferiores potentias rationis imperio ac regimine contineret, atque ad hoc præstandum fulciretur supernaturali & speciali gratiæ adjutorio, idque satis probabiliter ex ejusdem divinæ providentiæ, ac duplicis naturæ, qua homo constat, contemplatione potest inferri.

S. Thom. tom. 9. pag. 482.

IX. Hac S. Thomæ doctrina egregie imbutus Dominicus Sotus lib. 1. de Nat. & Gratia cap. 4. non solum affirmat hominem *in puris naturalibus* conditum non potuisse consequi finem suum, in quem naturali fertur instinctu, verum nec potuisse, ubicunque opus esset, bene moraliter agere, ac semper vitare peccatum: *Nam cum homo* (inquit) *etiam in puris naturalibus in continuo esset duello sensualitatis adversus rationem, non quidem semper, sed tamen sæpe succumberet hosti, nisi divinitus suppetias haberet. Nec solum propter sensualitatis pugnam, verum & propter imbecillitatem corporis, quod licet obediat obsequio dispotico, tamen fatigatur, & lapsum non potest ad nutum parere rationi. Quocirca posset homo unum aut alterum præceptum naturæ servare, non quidem ut amicitiam Dei commereretur, de qua re statim dicturi sumus, sed quantum ad substantiam operis, ut per bonum opus morale peccatum evitaret. Sed neque id posset frequenter, ut cap. 22. sumus latius expressuri. Atque experimentum hujus latissime patet in iis, qui sunt extra gratiam Dei, & potissimum in infidelibus, qui a numine deserti per universa vitiorum præcipitia corruunt.*

Pag. 7.

X. Doctissimus quoque Bellarminus *de Gratia primi hominis* cap. 7. loquens de homine in puris naturalibus condito, atque obnoxio rebellioni carnis ad spiritum, in responsione ad objectionem decimam inquit: *Vel homini creato in puris naturalibus Deus præberet auxilium, quo posset concupiscentiam coercere, aut certe cupiditatibus ejus non consentire, vel non præberet. Si*

Tom. IV. pag. 14.

præberet, non necessario homo concupiscentiæ cederet, si non præberet, cederet quidem, sed non sua culpa cederet, & proinde nec peccaret. Atque hoc ipsum his verbis Sanctus Augustinus scribit in libro de Corrept. & Gratia cap. 11.„ Si autem hoc adjutorium vel angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidisset: adjutorium quippe defuisset sine quo manere non posset.„ Atque hæc Augustini verba de adjutorio ordinis naturalis nequeunt intelligi: siquidem Adamo adjutorium supernaturale fuisse collatum certissima fide tenendum est. Id, non aliud, si probe intelligantur, docent Theologi illi, qui censent non potuisse hominem condi cum rebellione carnis ad spiritum, aut saltem sine ullo gratiæ adjutorio, quo potuisset rebellionem ipsam coercere, eo scilicet in casu necessum futurum fuisse, ut homo concupiscentiæ motibus aliquando succumberet, legemque naturalem, quæ postulat ut caro sit subjecta spiritui, & inferior pars a ratione regatur, interdum transgrederetur, atque ita absque ulla culpa redderetur miserrimus & flagitiosus; quod nobis videtur absurdum maximum, & rationi contrarium: quamquam in præcitatis Bellarmini verbis duo notanda sunt; unum quidem hominem suffultum adjutorio gratiæ, ut posset non cedere cupiditatibus, non fore hominem *in puris naturalibus* constitutum: alterum vero Bellarminum, quum loquatur de homine *in puris naturalibus* condito, nonnisi de adjutorio naturalis ordinis verba facere; sed proculdubio, ut dixi de natura integra & donis supernaturalibus exornata, non de natura, quam *puram* vocant, in Augustiniano Opere *De Correptione, & Gratia* sermonem instituit. Non erat autem natura primitus condita obnoxia illi concupiscentiæ, quæ de peccato orta est, & de qua varias Theologorum sententias hactenus recitavi.

§. VIII.

Agitur de immunitate a morte.

I. NEgant demum qui statum *puræ naturæ* impugnant, potuisse hominem condi obnoxium morti, non quod immortalitas primi hominis *naturalis* fuerit, atque *ex principiis naturæ* integræ manans, prout Bajus dogmatizavit; sed quoniam creans Deus hominem spiritualem simul atque corporeum, aptavit materiæ, quæ suapte natura solubilis est, & causa mortis & corruptionis, animam incorruptibilem atque immortalem, hæc autem producta, ut sit forma corporis, appetit naturaliter ejusdem corporis unionem, & a corpore divulsa est in statu quodam violento, atque suæ naturæ contrario: cumque corpus ex pugna elementorum & ex propria conditione corruptibile sit ac mortale; congruum erat, ut divina providentia ei supra exigentiam corporeæ naturæ tribueret immortalitatem atque incorruptionem, ne spiritualis anima a corpore soluta inani hujus desiderio angeretur, & *forma*, ut inquiunt Philosophi, absque *materia* persisteret. Quare ubi homo per peccatum sese avertit a Deo, illam corporis supra conditionem suam divinitus collatam incorruptionem amisit, & mors facta est pœna originalis peccati, prout adversus Pelagianos frequentissime disputat sapientissimus Augustinus.

II. Etsi autem in hoc Opere ad exsufflandam calumniam, non ad Theologicas dissertationes auctoritate, & ratione confirmandas suscepto, non est mihi animus alio divertere, & vindicias istas Theologicis argumentationibus ampliare; prætermittere tamen nolo ex innumeris Augustini testimoniis unum perspicuum, & ea, quæ de immortalitate primi hominis nuper dixi, expresse confirmans. In Opere itaque *imperfecto* adversus Julianum, quod nemo ignorat quanti faciendum sit, cum editum fuerit post tot, tantasque Pelagianæ hæreseos confutationes, S. Pater lib. VI. num. 39. ita Julianum ipsum alloquitur: *Numquid ideo moriturus fuerat Adam, etiamsi non peccasset, quia in corpore animali, non spirituali, erat factus? Prorsus erras: Lignum enim vitæ, quod in Paradiso suo plantavit Deus, etiam corpus animale defendebat a morte, donec perseverantis obedientiæ merito, in gloriam spiritalem, quam resurgentes habituri sunt justi, sine morte interveniente transiret. JUSTUM ENIM ERAT, ut Imago Dei nullo fuscata & obsoleta peccato, tali inseveretur corpori, quamvis de terrena materia creato atque formato, ut ei de ligno vitæ subministrata vivendi stabilitas permaneret, ac viveret interim per animam viventem, quam nulla ab illo necessitas separaret; atque inde propter obedientiam custoditam, ad vivificantem spiritum perveniret; ita, ut non ei subtraheretur hæc vita minor, ubi & mori & non mori posset, sed illa amplior adderetur, ubi viveret sine ullius ligni beneficio, morique non posset.* Si autem justum erat, ut

Tom. X. pag. 1376.

imagini Dei nullo peccato fuscatæ vivendi stabilitas tribueretur; quo pacto imago Dei innocens a terreno corpore, cui inserta est, potest separari? quo pacto rationalis homo a Deo justo creari potest cum inevitabili mortis necessitate?

III. Separationem animæ spiritualis a corpore esse contra ipsius animæ naturam, adeo persuasum fuit Doctori Angelico, ut hinc deprompserit argumentum lib. IV. adversus Gentiles cap. 79. ad demonstrandam futuram corporum resurrectionem. Eo enim loci ad hunc modum argumentatur: *Ad ostendendum etiam resurrectionem carnis futuram evidens ratio suffragatur, suppositis his quæ in superioribus sunt ostensa. Ostensum est enim in secundo animas hominum immortales esse: remanent igitur post corpora a corporibus absolutæ. Manifestum est etiam ex his, quæ in secundo dicta sunt, quod anima corpori naturaliter unitur; est enim secundum suam essentiam corporis forma: est igitur contra naturam animæ absque corpore esse: nihil autem, quod est contra naturam, potest esse perpetuum: non igitur perpetuo erit anima absque corpore.*

Tom. IX. pag. 516.

IV. Capite itidem 81. soluturus S. Thomas objectiones adversus superiorem doctrinam, hanc adnotationem præmittit: *Ad horum igitur solutionem considerandum est, quod Deus, sicut supra dictum est, in institutione humanæ naturæ aliquid corpori humano attribuit supra id, quod ei ex naturalibus principiis debebatur; scilicet incorruptibilitatem quamdam, per quam conveniente suæ formæ coaptaretur, ut sicut animæ vita perpetua est, ita corpus per animam posset perpetuo vivere: & talis quidem incorruptibilitas etiamsi non esset naturalis quantum ad activum principium, erat tamen quodammodo naturalis ex ordine ad finem, ut scilicet materia proportionaretur suæ naturali formæ, quæ est finis materiæ. Animæ igitur præter ordinem suæ naturæ a Deo aversæ, subtracta est dispositio, quæ ejus corpori divinitus indita erat, ut sibi proportionaliter responderet, & secuta est mors: est igitur mors quasi per accidens superveniens homini per peccatum, considerata institutione humanæ naturæ.* Hæc S. Thomas. Compertum est autem, Theologos nostri instituti, qui ajunt non potuisse hominem condi morti obnoxium, spectata Dei providentia rebus singulis perfectiones suas coaptante, nunquam dixisse primi hominis immortalitatem naturalem fuisse *quantum ad activum principium*, sed hoc unum affirmasse, animam, cui inest imago Dei, cum immortalis sit quidem, sed naturalis forma corporis, perpetuam atque indissolubilem hujus unionem appetere, ideoque ne separaretur a suo corpore innocens, nulloque peccato fuscata, corpori natura sua corruptibili dispositionem illam divinitus fuisse tribuendam, qua *suæ formæ convenienter aptaretur, eique proportionaliter responderet*; & si quis de nostra, aut de nostratium sententia aliud suspicatur, is profecto summa Augustinianæ Doctrinæ ignorantia laborat.

Pag. 517.

V. Adeo verum est, animam spiritualem atque immortalem a corpore, cujus naturalis forma est, separatam in statu suæ naturæ oppositio consistere, atque inde torqueri, & pœna affici; ut nonnulli Patres, inter quos Augustinus, Ambrosius, ac Bernardus, de animabus sanctorum, quæ nunc sempiterna Dei visione fruuntur, senserint corporum suorum desiderio quodammodo retardari, ne toto impetu in summum bonum ferantur, quandiu non uniantur iterum corporibus suis, quorum administratione illarum appetitus penitus conquiescat. Hac de re a nonnullis in lectione Patrum parum exercitatis tres illi Ecclesiæ Doctores, ac splendidissima lumina, immerito iis, qui appellantur *Millenarii*, accensentur. Horum tamen Patrum vindicias ego quoque libro tertio cap. 10. suscepi, demonstrans denegari ab iis gloriæ plenitudinem sanctorum animabus, propterea quod vigeat in his naturale desiderium suorum corporum, cujus causa *illarum affectio*, ut Bernardi utar verbis, *contrahitur quodammodo & rugam facit*. Si vero animæ beatorum a corporibus suis separatæ naturali illo desiderio afficiuntur, nec omnino satiantur, tametsi torrente voluptatis, & indeficiente fonte potentur; eruntne absque angore, absque pœna, potienturne requie, ac fine suo naturali a terreno corpore exules, & ulterius a Deo, cujus imagines sunt, separatæ? Id est, quod Augustiniani Theologi non percipiunt: id est, quod mirantur, Adversarios suos ad solam conditionem corporis, non ad animæ naturam attendere, atque separationem a corpore, quam immortalis illius forma refugit & aversatur, inter proprietates naturæ, quam putant *possibilem*, adnumerare.

Vide tom. I. de Theol. disciplinis pag. 264., & 269.

VI. Videtur præterea nostratibus, si admittatur possibilis status *puræ naturæ*, ex concupiscentia, & ex morte non recte adversus Pelagianos demonstrari peccatum originale; quum tamen certissimum sit, his potissimum armis S. P. Augustinum refutasse hæresim Pelagianam, quod ipsa concupiscentia, ipsa mors sint pœna peccati, non autem rationalis creaturæ ad imaginem Dei conditæ naturales proprietates. Neque enim

enim me latet adversarios nostros contendere, Augustinum parentem nostrum adversus Pelagianos pugnasse ex præsenti humanæ naturæ institutione, in qua e scripturis sanctis certum est hominem fuisse conditum cum gratia & immortalitate; non autem ex statu *naturæ puræ*, qui sit possibilis. Sed utrum hæc recte dicantur, in controversia positum est, non, ut jactat imperitus iste Anonymus, definitum. Immo Augustinus ubique concupiscentiam per se malam, ubique mortem pœnam esse peccati contra Julianum inculcat; neque id ex scripturis tantum, aut ex peracta hominis institutione, sed ex rerum natura: quod nempe pugna inter rationem ac sensus sit per se mala, & mors, ac separatio a corpore adversetur naturæ immortalium animarum; ita, ut firmissima sit Augustini sententia, nihil posse Catholicos respondere Manichæis, qui ex morte, & concupiscentia inferunt animam hominum malam esse substantiam, nisi dicatur illa duo mala ex prævaricatione primi hominis originem habuisse. Legat autem, qui hæc ignorat, *Opus imperfectum* contra Julianum, ubi S. Pater pluribus demonstrat, in sententia Pelagianorum, autumantium mortem atque concupiscentiam naturæ esse inditam, non posse responderi Maniehæo dicenti *malam fuisse carnem hominis ante peccatum, & miseram conditam esse naturam*. Quod utique Manichæus ex mortis & concupiscentiæ natura atque effectibus nitebatur ostendere: nec poterant ei Pelagiani, aut Catholici objicere historiam Geneseos, quam ille negabat, neque verba Apostoli, cum etiam libris canonicis, quos recipiebat, quasdam falsas sententias permixtas esse contenderet. Hæc Augustinus animadvertens in eodem *Opere imperfecto* lib. 6. num. 15. pag. 1319. demonstrat quomodo Manichæus ex ipsa rerum natura sit refellendus, asserens obtusiores esse pistillo qui adversus illum ex opificio Dei, quod ipse negat, creaturas bonas esse se demonstraturum confidit. Cum itaque juxta Augustinum Manichæorum hæresis refelli nequeat, nisi affirmetur mala ista ex prævaricatione primi hominis derivasse; quomodo refutari posset, quando homo in puris naturalibus conditus absque ulla culpa morti, atque rebellioni sensuum subjiceretur? Pauca ex præcitato Augustini Opere exscribam: *Respondete Manichæis*, ait S. Pater pag. 1320., *unde sint ista, ne illi ea de commixtione alienæ malæque naturæ esse concludant. A nobis enim cum hoc requiritur, respondemus non hæc esse de permixtione alienæ, sed de nostræ prævaricatione naturæ*. Et pag. 1340. ad Julianum: *Hic tu aut præceps ibis, aut dogma mutabis, aut fronte perditus, aut mente correctus. Aut enim ærumnosa vita locum famosissimæ felicitatis implebis, & non invenies oculos, quibus qualescunque adspicere audeas Christianos: aut in abrupta horribiliora dejectus alienæ malæ naturæ, nobisque permixtæ has ærumnas hominis imputabis, & Manichæi tartarea profunditate sorbeberis: aut de natura vitiata hanc ærumnarum pœnam judicio Dei punientis existere confiteberis, & in auram Catholicam respirabis*. Hoc postremum nos Augustini filii ac discipuli firmissime profitemur.

Lib. VI. num. 9. pag. 1299., & num. 14. pag. 1312.

VII. Unum addam. Etiamsi Pelagius, Cælestius, & Julianus in ea fuerint sententia, quod Adam moriturus esset, quamvis non peccasset, id quod aperte sacris litteris adversatur; fuerunt tamen aliqui Pelagiani, qui affirmarunt, Adam & Evam mortales secundum corpus creatos fuisse, nunquam tamen mortem gustaturos, si Dei mandatum servassent, non quod immortalitas beneficium esset gratiæ, aut mors supplicium & pœna peccati; sed quia licet naturaliter morti obnoxii, merito obedientiæ promereri poterant, ne morerentur, sicuti promeruit Enoch. Adversus autem istos non tantum asserendum est primos parentes, si non peccassent, perpetuo victuros, sed etiam mortem infictam esse peccato, & ab initio Adamum ac Evam immortalitate fuisse donandos: alioqui temperamento illo adhibito Pelagiani facile argumenta Catholicorum eluderent, reponendo mortem per peccatum in mundum fuisse ingressam, quoniam peccando immortalitatem non sibi homo promeruit, sed corruptioni, in quam tendit suapte natura, obnoxius fuit. Arbitror de illa quorumdam Pelagianorum opinatione locutum Augustinum in Epistola 193. ad Marcum Mercatorem num. 12. ubi ait: *Quamvis jam non existimem eos dicere, etiamsi non peccasset Adam fuisse corpore moriturum*. Certissime autem in ea sententia fuit Rufinus, quem ego Pelagianum fuisse non dubito, ut constat ex libello fidei suæ cap. 5. ubi Joannes Garnerius Societatis Jesu vir doctissimus Dissertatione V. de Libellis fidei editis a Pelagianis, hanc adnotationem apposuit: *Init mediam quamdam viam inter Augustinum opinantem primos parentes ab initio donandos a Deo immortalitate, qua spoliandi forent, si peccarent; & Cælestium existimantem, eos sive peccassent, sive non peccassent, morituros: sentit enim mortales factos; sed si non peccassent, cum visum fuisset Deo, in sedem immortalitatis transferendos. Quæ sententia placuit multis Orientalium partium Patribus, & arrepta est a Pelagianorum nonnullis, contra quos Augustinus disputat: nec immerito, cum inde sequatur, mortem non esse peccati pœnam, sed immortalitatem in præmium virtutis dari*. Denique eruditissimus Sirmondus, qui omnium primus ex Ms. S. Germani a Pratis præcitatum fidei libellum in lucem edidit, ad idem caput 5. sive ad numerum 29. produxit verba Teophili Alexandrini libri 2. ad Autolycum, hæc de primo homine scribentis: *Nec natura mortalis factus est, nec immortalis. Immortalem quippe si fecisset, Deum illum fecisset: si mortalem illum rursus fecisset, mortis ejus auctor & causa videretur*. Non alia, si nonnihil sapio, Augustinensium nostrorum mens est. Inquiunt Adamum supra terreni corporis naturam donandum fuisse potestate non moriendi, ne mortis, quæ est pœna peccati, Deus fieret auctor, ne vincerent Manichæi contendentes ex ipsa morte in homine adinveniri commixtionem malæ naturæ, & ne innocens Dei imago miseriis, quas modo patimur, subjiceretur.

Tom. 2. pag. 714.

Vide Appendicem Augustinianam pagin. 200.

Sirm. tom. 1. Edit. Parisiens. pag. 296.

VIII. Satis, ut opinor, tribus hisce postremis sectionibus demonstratum est, quæstionem *de statu puræ naturæ*, ut in Augustinensium Schola pertractatur, ad Bajanismum nullatenus pertinere. Enimvero fatentibus adversariorum nostrorum permultis, si in creatura rationali detur appetitus innatus ad visionem Dei, atque hæc sit finis noster ultimus quoad inclinationem naturalis; quoniam supernaturalis est quoad consecutionem, oportet ut ipsi rationali creaturæ conferatur aliquod gratiæ auxilium, quo finem suum consequi valeat, ne rebus aliis creatis deterior sit: dari autem appetitum illum innatum Durandus, Paludanus, Sotus, Scotistæ omnes cum subtili Doctore, aliique plurimi affirmant. Præterea concupiscentiam esse per se malam, & pœnam peccati, nec posse habere Deum auctorem, tradiderunt Petrum Aureolus, Gregorius Ariminensis, Estius, Macedo, Norisius, Martinus de Esparza, & alii complures; ideoque nullam Augustiniani Theologi id asserentes censuram promerentur. Immortalem vero animam esse natura sua formam terreni corporis, hujus unitionem appetere, ab hoc separatam existere in statu quodam violento, & naturæ suæ repugnante, ideoque corpori terreno & corruptibili, ut tali formæ coaptaretur, conferendam immortalitatem aliquam supra naturam, consentaneum est rationi, Doctori Angelico, & aliis Ecclesiæ Patribus. At *status puræ naturæ* quinam est, nisi status ille, in quo creatura rationalis condita absque gratia, & absque culpa, neque ad beatitudinem ordinaretur, neque immunis foret a morte ceterisque miseriis, quibus nunc ob Adæ prævaricationem afficimur? Sed tempus est, ut ad Bajum revertatur oratio, & quæ ex dictis manifesta illatione consequuntur, legentium oculis subjiciantur.

COROLLARIUM I.

Evidentissimum est, & ex quatuor primis paragraphis invictissime infertur, in 27. articulo Michaelis Baji, aliisque spectantibus ad primam creaturæ rationalis conditionem, contineri sensum multiplicem hæreticum atque perversum.

1. In sensu Baji primus homo (quod de Angelis item asserendum est) non fuit conditus cum donis naturæ superadditis, & supernaturalibus.

2. In sensu Baji justitia, integritas, immortalitas, aliaque gratiarum dona primis parentibus divinitus collata, fuerunt proprietates naturæ, eique proportionata, atque ita debita, ut illorum donorum carentia in homine lapso nihil sit aliud, quam naturalium bonorum privatio, cujusmodi est cæcitas, surditas, ægritudo.

3. In sensu Baji primus homo absque ullo respectu ad gratiam adoptionis poterat vitam æternam promereri, & hæc naturali lege illi debebatur, non propter Spiritum Sanctum inhabitantem, sed duntaxat propter ordinationem naturalem initio creationis constitutam.

4. In sensu Baji nec primus homo supernaturalibus fidei, spei, & caritatis habitibus donatus fuit, ut Deum supernaturaliter coleret; nec egebat auxilio gratiæ supernaturalis ad legem servandam, & ad consequendam beatitudinem; sed ad hanc solius naturæ viribus poterat pervenire.

5. In sensu Baji dona primo homini collata non improbanda ratione dicuntur gratia, at Pelagiano tantum sensu, idest, quomodo gratia appellantur munera creationis, & ipsa natura, in qua ut simus, ut vivamus, ut sentiamus, & intelligamus, producti sumus.

COROLLARIUM II.

Hinc manifestissime consequitur non posse, nisi mendaciter & inique, Scriptoribus Augustinensibus Bajanismi notam impingi.

1. Si doceant Angelum, & hominem fuisse in

prima sui conditione donis supernaturalibus, & naturæ superadditis exornatos,

2. Si tradant justitiam, integritatem, immortalitatem, aliaque gratiarum dona collata primis parentibus non fuisse proprietates naturæ, neque ita proportionata, & connaturalia, ut post Adæ lapsum carentia illorum donorum nisi sit aliud, quam privatio quædam bonorum naturalium.

3. Si affirment primum hominem promereri potuisse vitam æternam per gratiam adoptionis, & per auxilium gratiæ supernaturalis, non autem spectata sola lege naturali, ac propter solam naturalem ordinationem, initio creationis constitutam.

4. Si propugnent primos parentes donatos fuisse, ut Deum colerent, supernaturalium virtutum habitibus, ac præterea indiguisse adjutorio gratiæ supernaturalis ad consequendam beatitudinem, ad quam solius naturæ viribus non poterant pervenire.

5. Si asserant dona iisdem primis parentibus collata proprio sensu appellanda esse dona gratiarum, non autem dicenda esse gratiam in illa ampliori significatione, in qua etiam munera creationis non improbanda ratione gratiæ nomine designantur.

§. IX.

Notæ ad ea, quæ ab Anonymo præmittuntur circa sensum Bajani articuli vigesimi septimi, aliorumque ad primi hominis conditionem spectantium.

I. QUamquam Anonymi judicium hujus non sit generis, ut cum illo, quod viri doctissimi pronuntiaverunt, debeat æquiparari, sed falsum, præposterum, & inconsideratum esse constet; illud tamen audire, & discutere me non piget. Itaque priori numero inquit, ipsummet Bajum vicesimam illam septimam propositionem, ut suam, & veram agnovisse, conquestum tantummodo, quod ejusdem propositionis falsitas idoneis, & convenientibus argumentis non revincatur. *Bajan. Rediv. pag. 66.*

Fateor hæc scripsisse Bajum in sua Apologia: *Si probatio libelli deprehendatur non esse legitima, & pars opposita convenientibus argumentis statuatur, merito hæc sententia vetatur*, aliaque verba pag. 66. ab auctore *Bajanismi* producta. At quænam est *probatio libelli*, nisi quæ continetur quarto, & proximis capitibus *de prima hominis justitia*, ubi rejecta S. Thomæ sententia, quæ docet *primum hominem Spiritus Sancti charismatibus fuisse repletum*, Bajus dogmatizavit *adhærere Deo sanctitate & justitia fuisse naturale homini & Angelo, sicut ad naturam oculorum pertinet visus, & ad naturam aurium auditus; non adhærere autem esse vitium naturæ, sicuti vitium oculorum dicitur cæcitas, & vitium aurium dicitur surditas?* Vide §. III. num. 3. & 7. Ex hoc ergo priori numero Anonymi confirmatur quod diximus, germanum sensum Baji hunc esse, quod naturæ rationali primitus institutæ sanctitas & justitia *naturalis* fuerit, *ut visus, ut auditus*. Ceterum nec Bajus in præcitata Apologia docuit ita justitiam & integritatem fuisse primo homini naturalem, ut Deus non potuerit primum hominem condere absque eadem integritate: nam ad articulum 53. ait, *Si crearet hominem qualis nunc nascitur (id quod eum puto facere potuisse, nec umquam docui contrarium) tunc quod in eo qui nunc nascitur est culpa, in illo, quem Deus creasset, non fuisset culpa, sed natura*. Quæ Baji verba nequaquam contraria sunt aliis productis §. 2. & 5. in quibus ait integritatem primi hominis spectasse ad conditionem naturæ: sed magis confirmant quod diximus, juxta Bajum gratiam primi hominis fuisse connaturalem, *ut visus, ut auditus*. Est enim sententia Baji, universa, quæ ad integritatem pertinent, tribui rebus in sua nativitate, *aut in opere, ut tactum sentientibus, aut in origine, ut quorumdam animalium catulis visum*; ut ipse ait postremo capite *de prima hominis justitia*, pag. 63. Ergo si per Bajum integritas primi hominis *naturalis* fuit, & tamen sine integritate Deus hominem creare potuit; necessum erat, ut nisi homo cum integritate fuisset conditus, integritas ipsa ex natura manaret, quemadmodum visus in catulis. Quapropter in sensu Baji & extitit, & est *possibilis status puræ naturæ*; quoniam & homo creatus, & qui potest creari, habuit, & haberet integritatem quidem, sed connaturalem, *aut in opere, aut in origine sibi* inditam. *P. I. pag. 55.* *P. I. Pag. 110.*

II. Quod mirum est, Adversarius noster producens nu. 2. quædam loca ex Bajanis Opusculis deprompta, non percipit iisdem evidentissime demonstrari, a Bajo justitiam & integritatem primi hominis dici *naturalem* sensu a nobis expositio. Primus locus est depromptus ex cap. 4. de quo supra, ubi ait convenire creaturæ rationali adhærere Deo, *ut ad naturam oculorum pertinet visus*. Alter ex cap. 6. ubi inquit *primæ creationis integritatem non fuisse supernaturalem*. Tertius ex cap. 7. ubi scribit, hominem non fuisse *dono quodam supernaturali, & gratuito supra naturæ suæ conditionem exaltatum, ut fide, spe, & caritate Deum supernaturaliter coleret*. Quartus ex cap. 8. ubi negat *primum hominem per dona naturæ superaddita fuisse sublimatum, & in Dei filium adoptatum*. *Bajus de 1. Hominis justitia pag. 55. 57. 58. 59.*

Quid ergo Anonymus blaterat, quid garrit? Evidentissime Bajus omnia dona supernaturalia, omnem gratiam naturæ superadditam denegat primo homini. Vide tamen, benevole lector, in hoc accusatore in hisce Bajanis textibus colligendis conjunctam intellectus acumini singularem prudentiam. In textu petito ex cap. 6. prætermittit comparationem Baji inter sanitatem corporis ortam *ex proportione qualitatum*, & naturalem sanitatem animæ provenientem *ex legitima omnium partium constitutione*; atque in textu pariter quem profert ex cap. 7. prætermittit comparationem alteram serpentis, qui gradiebatur erectus pedibus, seu terræ, quæ fruges fœcunditate sua producebat, hominisque in natura bene instituta sine dono supernaturali Deum colentis: utitur eadem sagacitate proxima adnotatione, ut dicam paullo infra. Cur hæc ab accusatore ingenuo, sagaci, optimo prætermittantur, manifestum puto ex tertio hujus dissertationis paragrapho. Quantumvis autem sagax & prudens fuerit, nescio num sagaciter, prudenterque se gesserit ex prædictis testimoniis hanc inferens illationem: *Ex his omnibus locis patet integritatem primæ creationis, quam Bajus asserit fuisse primo homini naturalem atque debitam, nihil aliud esse quam sanctificationem Spiritus Sancti, seu donum illud supernaturale, quo Adamus in filium Dei adoptatus fuit, ut Deum fide, spe, & caritate coleret, & postea beatitudinem possideret*. Teneas, quæso, patentem hanc illationem Anonymi, ex qua consequitur altera, toto cælo a Baji errore dissidere qui asserunt gratiam sanctificantem, gratiam adoptionis, gratiam *habitualem* collatam primo homini *supernaturalem* fuisse, & concedunt quoque sine hujusmodi gratia potuisse a Deo hominem condi. *Bajan. Rediv. pag. 69.*

III. Tertio numero Anonymus demonstrare nititur id a Bajo *naturale* dici, quod pertinet *ad integritatem, & cujus carentia est malum*, cap. 4. & 6. jam citatis, non autem affirmari justitiam ita esse *naturalem*, ut ex ipsius naturæ principiis oriatur & fluat, ut inquit cap. 11. fateri autem cap. 10. in hoc statu reparatæ naturæ justitiam dici *supernaturalem*, quoniam per Christum misericorditer nobis redditur. *Bajan. Rediv. pag. 70.*

Mutilata ab adversario Baji loca afferuntur, punctisque disjuncta: nam Bajus in cap. 4. carentiam integritatis appellat *vitium*, quoniam ipsa integritas pertinet ad naturam, *ut visus, ut auditus*: in cap. 11. disjunctive loquitur, *Sive ex naturæ principiis, tanquam efficientibus causis, orta fuerit prima hominis justitia, sive a Deo illi immediate collata (sicut plerique de anima rationali tradunt, quam tamen nemo supernaturalem esse arbitratur) adhuc tamen illi naturalis fuit*: in cap. 10. (servo Anonymi ordinem) Bajus inquit: *Ea ratione nunc justitia nostra supernaturalis dici potest, eo modo, quo sanitas corporis gratia est, cum neque viribus naturæ, neque opera medici reparari potest, sed sola creatoris beneficentia redditur: non quod res sit supernaturalis: aut naturali hominis integritati superaddita, sicut prophetia, gratia sanitatum, & alia multa, quibus sine malo caremus*. Manifestum est igitur, Bajum eo sensu justitiam primi hominis appellasse *naturalem*, ejusque carentiam dixisse *malum*, quemadmodum naturalis est *visus*, & malum est *cæcitas*. Manifestum est *naturale* appellasse, quod vel ex naturæ principiis oritur, *ut visus, auditus, & sanitas corporis*; vel si aliunde accedit, spectat tamen ad naturalem qualitatem, *ut gravitas, & levitas elementorum*, vel attinet ad naturalem constitutionem, ut est *anima rationalis*: manifestum est in statu reparatæ naturæ dixisse gratiam *supernaturalem* per accidens, ut visus redditus cæco nato. Vide supra §. 3. ubi Baji verba producta sunt, & cum hæreticorum sententiis comparata. At callidus adversarius quæ apud Bajum leguntur cap. 11. *de prima hominis justitia*, ad hunc modum exscripsit: *Sive ex naturæ principiis tanquam efficientibus causis ista fuerit prima hominis justitia, sive a Deo immediate collata ..... adhuc tamen naturalis fuit*: & quæ habentur cap. 10. ita produxit, *Ea ratione nunc justitia supernaturalis dici potest ..... non quod res sit supernaturalis, &c.* Quid puncta ista significant? quid prætermissum est? Quæ aperte commonstrant sensum Baji esse illum, quem nos damnatis articulis adtribuimus. *Bajus p. 1. pag. 53. pag. 62. 61.* *Vide Baji verba integra, atque ut sonant, §. 3. num. 8.*

IV. Ad hæc ait Anonymus Bajum docuisse originalem justitiam fuisse *debitam humanæ naturæ* quo sensu asseruit fuisse *naturalem*, quoniam ejus absentia malum est creaturæ. *Pag. 71.*

Ita quidem; at malum creaturæ Bajus dixit *privationem bonorum naturalium*, cujusmodi sunt cæcitas, surditas, ægritudo: quod arbitror satis repetitum, atque

que ex Bajanis Opusculis apertissime demonstratum. Legat Bajum, qui nondum hæc percipit part. 1. pag. 55. sive *de prima hominis justitia*, cap. 4. & p. 2. pag. 93. scilicet in Apologia articuli vigesimi tertii.

V. Redit accusator num. 5. ad articulum Bajanum 38. ex quo infert Deum non potuisse condere hominem *cum culpabili cupiditate*, ideoque juxta Bajum debuisse condere *cum laudabili caritate*, quoniam inter hæc duo per ipsum Bajum *non datur medium*.

Verum de articulo 38. ejusque sensu plura dixi in Dissertatione præcedenti: in qua num demonstratum a me sit Bajum locutum fuisse *de caritate habituali*, & refutata sint, contrita, ac disjecta, judicio quoque centum Gallorum Præsulum, calumniatoris hujus machinamenta, quotquot extant in urbe, atque in orbe Theologi, sint judices. Quænam est autem vis istiusmodi ratiocinationis: Deus potuit condere hominem absque justitia, & caritate habituali; igitur etiam condere illum potuit absque gratia actuali, qua auxiliante ad Dei amicitiam perveniret, & finem assequeretur, quem appetit *naturaliter*, sed non potest *naturaliter* obtinere? Adde *cupiditatem culpabilem* nunquam in statu naturæ *puræ* affuturam, sive is status *possibilis*, sive *impossibilis* asseratur; cum prava cupiditas inclinans ad culpam non sit naturæ proprietas, sed pœna peccati.

Pag. 73. VI. At explicat nobis Doctor ac Præceptor eximius, quot modis *Gratiæ* vocabulum accipiatur, docens tripliciter accipi, primo *pro quocunque beneficio gratis collato*: secundo *pro beneficio indebito creaturæ, etiamsi naturalem ordinem non excedat*: tertio *pro beneficio indebito ac supernaturali*.

Recondita sane doctrina, quam licet apprehendant omnes in vestibulo Theologiæ, nos tamen penitus ignorabamus. A me quidem illius vocabuli *gratiæ* multiplex sensus traditur libro XIIII. cap. 7. pag. 139. ibique hæc eadem partitio explicatur, additis significationibus aliis nonnullis: at in scriptis nostris olent omnia Bajanismum; & si orthodoxa sunt, olent Bajanismum, quoniam in scriptis nostris sunt. Nunc tamen mihi, ut Plautina utar phrasi, adversarius obvertat cornua. Quo sensu, obsecro, Bajus de primo homine differens vocabulum *gratiæ* usurpavit? Si audiatur Suaresius, de quo §. 1. num. 6. Bajus dona collata primo homini appellavit *gratiam* non improbanda ratione, *qua dona creationis gratia vocantur*. Si legantur quæ Bajus scripsit in Apologia ad IX. articulum pag. 83. ita dona concessa homini integro & Angelo esse dona gratiæ existimavit, quemadmodum ab Augustino *gratia* dicitur, qua creati sumus ut essemus, ut sentiremus, ut intelligeremus. Vide supra §. 3. num. 4. Igitur Bajus in statu naturæ integræ nullam gratiam agnovit, quæ excederet naturæ ordinem. Sed accipe alteram accusatoris adnotationem. *Quoniam vero Bajus* (inquit pag. 73.) *contendit justitiam originalem, ceteraque dona ad salutem æternam ordinata, fuisse debita homini innocenti, ejusmodi donis in statu naturæ lapsæ collatis non potuit tribuere nomen gratiæ proprie dictæ, nisi in quantum conferuntur indignis, & male merentibus, quod tamen falsum est. Ad hoc enim ut alicui dono ad salutem nostram ordinato competat nomen gratiæ, sufficit quod fuerit indebitum, & collatum homini nihil merenti, nempe neque bene, neque male.* Optime, ingeniosissime! Si Bajus donis ad æternam salutem ordinatis in hoc statu reparatæ naturæ tribuit nomen *gratiæ* ob hanc solam rationem, quia conferuntur indignis, & male merentibus: igitur, dum ait propositione 9. dona concessa homini integro *non improbanda ratione dici gratiam*, quoniam fuerunt collata homini nihil merenti, nempe neque bene, neque male, affirmavit esse gratiam eo sensu, quo dicuntur gratia creatio, natura, vita, sensus, intellectus, liberum arbitrium, aliaque dona, quæ naturæ ordinem non excedunt, & de quibus Augustinus: *Non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus, ut essemus, & viveremus, & sentiremus, & intelligeremus, quia non præcedentibus aliquorum operum meritis donata est.*

Vid. §. 3. n. 9.

VII. Quæ sequitur adnotatio septima, paucis lineis continetur: inquit enim duntaxat, Bajum dogmatizasse, quod merita bonorum Angelorum, & primi hominis ante peccatum, *gratia* dici non debeant.

Nil verius ab Anonymo dici poterat: at quo sensu negavit Bajus, *debere merita illa dici gratiam*? Id negavit, quoniam noluit esse supernaturalia, noluit exorta a donis naturæ superadditis, noluit excessisse naturales vires arbitrii: quod satis superque testimoniis Theologorum omni exceptione majorum, atque ex ejusdem Baji Opusculis demonstratum est supra.

Pag. 74. VIII. Præterea inquit Auctor *Bajanismi*, huc spectat propositio 69. *Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum*, existimavit enim Bajus, omnem pœnam, si justa est, pro peccato aliquo impendi, ut inquit in sua Apologia. Eo collineant propositiones 6. 75. 76. in quibus omnibus affirmat *non potuisse hominem condi in puris naturalibus*.

Loquacissimus forem, si quo sensu damnatæ fuerunt propositiones postremo citatæ, ac spectantes ad immortalitatem, integritatem, & justitiam primi hominis, rursus repeterem. Nonnulla itaque addam de propositione 69. Priusquam doctus iste adversarius nasceretur, aut saltem dum adhuc balbutiret, Fulgentius La-Fosse Tolosanus demonstravit propositionem illam 69. perperam afferri ad statum *puræ naturæ* propugnandum, cum idcirco damnata sit, quia significat in baptizatis & renatis remanere quod mereatur Dei ultionem & damnationem: quod est contra Apostolum & Tridentinum Concilium, sess. 5. Ostendit vir doctissimus, afflictiones justorum, licet interdum ob propria, vel aliena peccata inflictæ sint, sæpenumero tamen tribuendas esse divinæ providentiæ, quæ prædestinavit electos *conformes fieri imaginis filii sui*, ut per afflictiones & passiones ad gloriam perveniant, hanc autem electionem, & ordinationem factam esse post originale peccatum; protoparentes enim, si in originali justitia perseverassent, sine ullis adversitatibus & molestiis consecuti fuissent æternam vitam: ex quo demum post prævaricationem Adami afflictiones sint interdum exercitamenta justorum, minime sequi potuisse easdem afflictiones adinveniri in creatura innocente; alioqui vanide Augustinum ex angustiis, & miseriis, quas modo patimur, conatum, ut probaret contra Pelagianos peccatum originale. Objectionem itaque adversus nos petitam ex illa propositione 69. ante quinquagintaquinque annos Gallus Theologus præviderat & diluerat. Eamdem explicationem ejusdem propositionis tradidit Aloysius Turrianus in Tractatu contra errores Baji cap. 9. num. 16. Ceterum nullus Catholicorum negare potest illam Baji assertionem, quemadmodum & Quesnellianam 70. falsam esse, hæreticam, erroneam, absurdissimam. Quis enim dixerit, miserias, quibus sanctum Jobum Deus afflixit, cædem ac mortem illatam infantibus trucidatis pro Christo, Præcursori decollato ab Herode, Martyribus vario pœnarum genere occisis, doloris gladium, quo maternum intemeratæ Virginis cor transfixum fuit, Redemptoris nostri flagella, spineam coronam, clavos, crucem, mortemque turpissimam, fuisse peccatorum suorum ultionem atque vindictam? Nemo nostrum adeo impius, adeo insipiens est, ut hæc asserat.

Vide librum, cui titulus, Augustinus Theologus edit. *Tolosæ an. 1680. tom. 3. pag. 117. & sequen. Turrianum p. 640.*

IX. Contendit censor totam Baji doctrinam *circa naturalem primi hominis conditionem includi in hac una propositione, Impossibilis est status puræ naturæ*: propterea quod eamdem propositionem propugnantes tria affirment, idest, debuisse creari hominem *cum originali justitia, & cum mediis necessariis ad salutem adipiscendam*: debuisse creari *cum elevatione ad intuitivam visionem Dei*: debuisse tandem creari *immunem a morte, a concupiscentia, ab ignorantia, ceteriisque hujus vitæ miseriis*.

Bajan. Rediv. pag. 75.

Contra ego affirmo posse defendi illam propositionem, *Impossibilis est status puræ naturæ* absque ulla Bajani erroris nota: nam quantum spectat ad justitiam originalem, Bajus hanc *naturalem, & naturæ proportionatam* asseruit; ac præterea illa justitia non tantum gratiam sanctificantem, sed etiam gratiam actualem, & carentiam peccati includebat: quorum primum, idest, *gratia sanctificans*, nec sententia nostra primo homini debebatur: alterum, idest, *gratia actualis*, erat debitum titulo providentiæ, ut creatura rationalis assequi posset finem suum *naturalem*, non ut ea, quæ pertinent ad constitutionem naturæ, nanciscetur; postremum, idest, carentiam peccati, sententia omnium etiam adversariorum, etiam Baji, etiam hæreticorum omnium, si Manichæos, & qui Deum malum invexerunt, excipias, a Deo conditore habere debet in sui productione quælibet rationalis natura *possibilis*. Propositiones autem Bajanæ, inquit Norisius, *absolutæ & universales sunt, & gratiam sanctificantem includunt*: & quemadmodum Deus non potest condere hominem, fatentibus omnibus, cum originali peccato cum quo modo nascitur; & nihilominus falsissima est, meritoque damnata propositio 53. Baji, *Deus non potuisset ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur*: ita in sententia Augustinensium non potuit Deus condere hominem absque mediis, quibus ad Dei amicitiam, & ad finem suum pervenire posset, & tamen propositio illa Bajana repudianda est, omnique jure proscripta, quoniam Deus potuit condere hominem absque gratia sanctificante, absque justitia originali, absque integritate, quæ naturæ divinæ consortium, & gratiam adoptionis importat. Quantum vero attinet ad elevationem creaturæ rationalis, sive ordinationem *in intuitivam visionem Dei*, contendo nullatenus coincidere cum Bajanis articulis sententiam illam, quæ ait hujusmodi visionem esse *finem naturalem* creaturæ rationalis, quem tamen finem assequi

qui non poteſt viribus ſolius naturæ, ſeu finem eſſe *naturalem* quoad appetitum, & *ſupernaturalem* quoad aſſecutionem: & quoniam fatentibus adverſariis, ſi beatitudo, quæ in viſione Dei ſita eſt, ſit *naturalis quoad appetitum* rationalis creaturæ, huic debentur etiam media, quibus ad talem finem pervenire queat; affirmo opinionem illorum, qui docent hæc media deberi creaturæ rationali & innocenti, non quidem ut ſit, & in ſua natura conſtituatur, ſed ut ad finem ſuum, in quem *naturaliter* fertur, valeat pertingere, tam a Bajanis erroribus eſſe remotam, quam a Bajanis erroribus remota eſt opinio illorum, qui propugnant in creatura rationali eſſe appetitum *innatum* videndi Deum, quæ opinio, fatente Molina, eſt opinio *communior* Scholaſticorum. Poſtremo quantum attinet ad concupiſcentiam, aliaque mala, quibus ſubjicimur; dico non eſſe de iis omnibus eamdem rationem; nam concupiſcentia, quam modo experimur, eſt juxta Auguſtinum per ſe mala, & omnino repugnat quod ſit a Deo Conditore, tanquam a cauſa efficiente; idem dici poteſt de ignorantia, non quidem omni, ſed cæcante, & qua homo erat invitus; mortalitas autem, & corporales miſeriæ, etſi ſpectata natura corporis corruptibilis *naturales* videantur; ſi tamen attenditur immortalitas animæ, quæ ejuſdem corporis *forma* eſt, & a corpore ſeparata eſt in quodam ſtatu naturæ ſuæ repugnante, non ſunt proprietates naturæ, ſed pœna peccati; atque hæc eſt ſynopſis eorum, quæ §. 5. & ſequentibus præmiſſa ſunt.

X. Verum adverſarius noſter num. 10. ait, quoſdam Theologos *numero pauciſſimos* docuiſſe, quod non potuerit Deus creare hominem obnoxium, ſi non peccaſſet, motibus concupiſcentiæ, ſaltem quales nunc experimur; ſed ei videtur nec iſtos effugere cenſuram a S. Pio V. latam in damnatione propoſitionis 53. *Deus non potuiſſet ab initio creare hominem, qualis nunc naſcitur*. Definivit ergo S. Pius V. *quod potuiſſet Deus creare talem, qualis nunc naſcitur, ſcilicet obnoxium concupiſcentiæ, ſicut & ceteris hujus vitæ miſeriis, ubi enim lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus*; verum concludit Anonymus, ſe hujus agitandæ quæſtioni ſuperſedere, quoniam illud *in controverſiam vertitur apud quoſdam Theologos*.

Bajan. Rediv. pag. 75. & 76.

Sunt quædam præ manibus, quæ his omnibus reponantur. Ac primo Theologi, quos commemorat Accuſator, non ſunt numero pauciſſimi: a nobis enim §. 7. laudati ſunt pro illa ſententia Petrus Aureolus, Gregorius Ariminenſis, Guillelmus Eſtius, Cardinalis Noriſius, P. Elizalda, Martinus de Eſparza, Pater Macedo, Joannes Schuveitſerus, Jodocus Raveſtein, Ruardus Tapperus, Vincentius Contenſonus, Joannes Baptiſta Du-Hamel, Nicolaus L' Herminier, Aurelius Piette, cui conſentiunt ceteri omnes Theologi Auguſtiniani: immo, ut ibidem diximus, hæc eſt ſententia Auguſtini, Fulgentii, & Joannis Pomerii, ut demonſtrat nunquam ſatis laudandus Noriſius. Præterea quinam eſt accuſator iſte Anonymus, qui viris hiſce præſtantiſſimis, cum quorum minimo nequit comparari, audet *Bajaniſmi* notam impingere? Nonne Joannes Baptiſta Gonet tanti nominis Theologus, etſi arbitretur poſſe hominem a Deo condi cum hac perduelli concupiſcentia, fatetur tamen non poſſe ſententiam ſuam demonſtrari damnatione Bajanorum articulorum? Inſuper ſi fas eſſet repellere convicia conviciis, annon poſſemus reſpondere concupiſcentiam, in qua homo *in ſtatu naturæ puræ conderetur*, fore tunc proprietatem naturæ, productam a Deo conditore, ac bonam proinde & laudandam; qui autem concupiſcentiam laudandam eſſe dicit, ut inquit Auguſtinus adverſus Julianum, habere *animam aſininam*? Verum abſit, ut quæ ab Auguſtino in pervicaciores Pelagianos dicta ſunt, a me in virum Catholicum ejaculentur, quamquam in me Dei gratia Catholicum vibret adverſarius quæcunque in pervicaciores Bajaniſtas, & Janſeniſtas dici poſſunt. Ad conſequentiam vero, quam Anonymus infert ex damnato articulo quinquageſimotertio, reſpondit cap. 3. Vindiciarum §. 2. Cardinalis Noriſius. Eſt autem eadem conſequentia adeo inepta, adeo frigida, ut ſi talis ratiocinandi modus ſit uſurpandus, conſequatur potuiſſe hominem condi cum originali peccato, quoniam ita nunc homo naſcitur. Sed recole dicta §. 1. num. 12. Neque nobis illud arrogamus, ut diſtinguamus in lege; ſed aſſerimus, propoſitiones permultas erroneas ac falſas, ſi abſolute pronuntientur, veriſſimas eſſe in ſenſu aliquo individuo & peculiari; immo eamdem propoſitionem, quæ in ſenſu ab aſſertore intento falſa eſt, poſſe in alio ſenſu ſuſtineri; quod demonſtrat citato loco Noriſius, & de nonnullis Bajanis articulis definit S. Pius Quintus.

In ſibilline agnoſce & pecoris naturam, & hominis pœnam, ſi animam non habes aſininam. Op. Imperf. lib. IV. num. 56. tom. 10. pag. 1167.

XI. Ad hæc Anonymus ait, ſententiam *de Impoſſibilitate ſtatus puræ naturæ* contineri *in damnatis propoſitionibus Queſnellianis*, ideſt in 35. & 70.

Bajan. Rediv. pag. 77.

Satis, ut opinor, hæc diſcuſſa ſunt §. IV. ubi etiam auctoritate doctiſſimorum Galliarum Præſulum demonſtravi Queſnellium, ubicunque ſermonem inſtituit de prima hominis conditione, accepiſſe *gratiam* in ſenſu Pelagianorum. Itaque revocentur in memoriam, quæ eo loco fuerunt producta. Unum addam. Edidit Romæ adverſus Queſnellianas propoſitiones prolixum Opus Bernardus Deſirant Auguſtiniani inſtituti, Doctor Lovanienſis, Theologus Cæſareus, deputatus ab Epiſcopis Belgii ſedente Innocentio XII. ad Sanctam Sedem adverſus Janſeniſtas, Romam rurſus accerſitus a SS. Domino Noſtro Clemente XI. in Romano Sapientiæ Archigymnaſio Sacræ Scripturæ Lector, in Collegio Urbani PP. VIII. de Propaganda Fide Præfectus Studiorum, univerſalis contra hæreticam pravitatem Inquiſitionis Qualificator, aliiſque honoribus ab eodem Clemente XI. adauctus: is ſaltem princeps Janſeniſtarum adverſarius, & celebris Queſnelli Impugnator, non erit Janſeniſta, nec Bajaniſta, nec Queſnelliſta. Quid ergo ait Deſirantius in illo Opere Romæ edito anno 1722. ſub Clementis XI. fauſtiſſimis auſpiciis? Parte IV. pag. 3. inquit de Propoſitione 35. Queſnelliana: *Nihil ſupernaturalis propoſitio hæc in Adamo admittit, ſed omnia naturalia, omnia humana*. Addit, Queſnellium appellaſſe gratiam Adami *ſequelam creationis*, eo modo, quo Pelagius *non formidabat vocem gratiæ, ſed gratiam confundebat cum natura, & naturam, quæ opus eſt Creatoris, appellabat creationis gratiam*. Subjiciens deinde *Dogma Auguſtinianum*, oppoſitum theſi Queſnellianæ, *Gratia Adami* (inquit) *non naturalis, ſed ſupernaturalis erat, utpote ad ſupernaturalia, quæ ſequelam, & ordinem naturalis creationis ſuperabant, data. Erat naturæ ſanæ, & integræ non debita, quia nec illius pars erat, neque dabatur ad perficiendam naturam in naturalibus, ſed ad elevandam eam, adjuvandamque ad ea, quæ ſupra naturam erant*. Pagina autem 13. reſpondens ad objectionem Joannis Frickii Lutherani Ulmenſis, quod ſi Deus condidiſſet hominem in ſtatu *puræ naturæ*, experiretur idem homo hanc perduellem concupiſcentiam; inquit primo, *Talia naturalia eſſent ne naturalia? Tu quidem ſtatum talem appellas purum, ut veræ puritatis aſſertorem quoquo modo reddas odioſum*. Videtur ſiquidem, nec immerito, futurum non fore *purum* illum ſtatum, in quo eſſet libido, & concupiſcentia. Deinde reſpondet: *Cedo autem, quid nunc ad rem præſentem facit, utrum hic ſtatus fuerit poſſibilis? Numquid ſufficit, * quod ſic non fuerit a Deo inſtitutus? Si non involvat contradictionem; numquid omnia * ſunt impoſſibilia illi, qui eſt omnipotens? Si autem contradictionem involvit; nihil facit ad ſtatum Adami integri & lapſi, qui ſine ulla contradictione fuit*. Itaque propoſitio iſta, *Impoſſibilis eſt ſtatus puræ naturæ*, judicio etiam hujus Theologi, nullatenus ſpectat ad hæreſim Queſnellianam; niſi ea propoſitio ita propugnetur, ut gratia dicatur proportionata naturæ, illius pars, & collata ad ipſam naturam perficiendam in naturalibus, & niſi dicatur *ſequela creationis*, ut inquit Queſnellus de propoſitione 70. Vide quæ ſcripſi præcedenti n. 8.

* Videtur legendum, Nunquid non ſufficit. * Numquid non omnia, &c.

XII. Hoc & ſequentibus numeris colligit accuſator plura teſtimonia Janſenii, qui ſtatum puræ naturæ *impoſſibilem* dixit, variiſque cavillationibus & effugiis uſus eſt ad cenſuram Pontificiam eludendam.

Bajan. Rediv. pag. 78.

At aliquantulum, quæſo, temperet adverſarius præconceptam in nos indignationem, ſinatque animo æquiori me reſpondere, nullam cenſuram hactenus in illam propoſitionem a Romanis Pontificibus latam eſſe; quod me demonſtraſſe confido. Quantum ergo ad Janſenium attinet; is multos quidem errores Baji defendit; ſed hi ſunt, qui continentur in quinque famoſis propoſitionibus, aut ad has revocantur: quod enim Urbanus VIII. Bulla, *In Eminenti*, proſcripſerit Janſenii librum, quod contineret *multas propoſitiones a ſuis prædeceſſoribus damnatas*, veriſſimum eſt: quod inter has propoſitiones contineatur iſta, *Impoſſibilis eſt ſtatus puræ naturæ*, id eſt falſiſſimum. Nam primo Innocentius X. quinque tantum Janſenii propoſitiones, ut dixi, damnavit; in quarum numero hæc non comprehenditur. Deinde Innocentius XII. in Brevi ad Belgii Epiſcopos dato, de quo alibi, mandavit, ne ulla ratione quemquam *vaga accuſatione & invidioſo nomine Janſeniſmi* traduci aut nuncupari ſinerent, niſi prius ſuſpectum eſſe legitime conſtiterit, aliquam *ex illis quinque propoſitionibus* docuiſſe ac tenuiſſe; ideoque alia quælibet propoſitio, quæ cum illis quinque non coincidat, ſufficere nequit ut alicui inferatur Janſeniani erroris calumnia; & quiſquis oppoſitum cenſet, ut adverſarius iſte, Innocentianam conſtitutionem violat, ac parvipendit. Tertio in celeberrima Univerſitate Lovanienſi, etiam poſtquam omnes Theologi quinque propoſitionum damnationi, & celebri *Formulario* ſubſcripſerunt, Theologi noſtri ad hanc uſque diem docuerunt *ſtatus puræ naturæ impoſſibilitatem*; teſtorque ulterius me nullum inſignium Theologorum noſtrorum ex Italis audiviſſe, qui eamdem *impoſſibilitatem*

tatem non tradiderit, ac in præsentia non tradat: unde immerito Fulgentio Bellelli, mihique imponitur, quod Baji, & Jansenii dogmata ex Orco excitemus. Quarto cum an. 1679. sacræ Theologicæ Facultatis Lovaniensis Deputati, inter quos Instituti nostri viri duo percelebres, & doctrina ac pietate præclari, Christianus Lupus, & Lambertus Le-Drou, Romam advenissent, atque Innocentio XI. Pontifici Maximo exhibuissent propositiones permultas, ad morum laxitatem & corruptelam sternentes viam, quarum pleraque jam antea censura perstrinxerat Illustrissimus Gandavensis Antistes Antonius Triest; obtinuerunt prædicti Deputati Lovanienses ab Apostolica Sede condemnationem sexaginta quinque propositionum; quemadmodum apparet ex Decreto ejusdem Pontificis Innocentii XI. emanato prædicto anno 1679. Quid vero tunc adversarii moliti sunt? Vulgarunt librum, cui titulus, *Specimen Doctrinæ Theologicæ per Belgium manantis*: quo in libro theses quamplurimæ, quæ colligentibus visæ sunt pariter configendæ, fuerunt in varia capita distributæ; ac non semel duo illi Augustinenses Theologi Lupus, & Le-Drou, necnon Franciscus Vanvien, Deputatus & ipse sacræ Theologicæ Facultatis, tanquam Bajanistæ delati sunt, prout apparet ex parte 2. ejusdem *Speciminis*, cap. 3. §. 1. cap. 4. §. 1. 2. 3. 4. 5. & 6. necnon ex parte 3. cap. 9. §. 2. Quod autem ad rem attinet nostram, in prima parte cap. 7. §. 3. accusantur Theologi Lovanienses, tanquam propugnatores quinquagesimæ quintæ propositionis Bajanæ, *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur*; & quod statum *puræ naturæ* esse *impossibilem* tradiderint, expresso nomine traducuntur Gerardus Van-Werm, Thomas Vanden Berghe, Joannes de Witte, Macarius Havermans, & Hroznatavan Saftinghen, singulorum thesibus productis, quæ ab anno 1644. usque ad annum 1677. palam fuerant propugnatæ, idest, post publicationem in Belgio factam celeberrimæ constitutionis, *In Eminenti*. Profecto propositionibus in illo *Speciminis* Opusculo collectis, sedente Alexandro VIII. successore Innocentii, discussis, atque ad trutinam revocatis, quædam Romanis Theologis censoriam notam visæ sunt promereri, prout evidens est ex decreto Alexandri die 7. Decembris an. 1690. emanato. Etenim ex 31. articulis eodem decreto proscriptis, secundus agens *de ignorantia invincibili juris naturæ* exhibetur in præcitato *Specimine* p. 1. cap. 6. §. 1. pag. 46. sextus, in quo *gratia sufficiens dicitur pernicioſa*, continetur p. 1. cap. 2. pag. 17. undecimus *ad fidem* pertinens habetur p. 2. cap. 3. §. 4. pag. 38. duodecimus itidem *ad fidem* spectans iisdem omnino verbis legitur p. 2. cap. 1. §. 7. pag. 25. decimus sextus *de præmittenda ſatisfactione abſolutioni* traditur p. 3. cap. 11. §. 2. pag. 41. Summopere itaque commendanda est Romanorum Censorum æquitas, firmissimumque Apostolicæ Sedis judicium; quo nullis unquam addicto partibus, sicuti fuerunt proscriptæ ab Innocentio XI. propositiones 65. exhibitæ a deputatis Lovaniensibus adversus morum laxitatem; ita ab Alexandro VIII. confixæ sunt propositiones, quæ in *Specimine* illo doctrinæ per Belgium manantis continebantur, non quidem omnes, sed quæ adinventæ fuerunt censura dignæ; quod unum se optare dixerunt collectores earumdem propositionum, scribentes in Præfatione: *Sanctæ Sedis erit probare, aut improbare, vel neque probare, neque improbare doctrinam hic exponendam, quamlibetve ejus partem, ut judicabit convenire*. Jam vide quo prolixa hæc narratio collineat. Proscripsit ne Apostolica Sedes propositionem istam, *Impoſſibilis eſt ſtatus puræ naturæ*, quæ una cum aliis pluribus delata fuit, ut a Sancta Sede probaretur, vel improbaretur, vel neque improbaretur, neque probaretur? Ego sane nullibi proscriptam, nullibi reprobatam invenio: quare nec probata est, nec improbata; atque inter placita Scholasticorum, quæ in utramque partem salva fide, ac pietate discuti possunt, relicta fuit. Quinto non tantum Belgæ Theologi paullo supra commemorati; nec tantum margarita eruditorum Norisius, & Augustiniani Lovanienses, ut ostendi §. 1. num. 12. & 13. *ſtatum puræ naturæ impoſſibilem eſſe* affirmant, verum etiam Fridericus Gavardi omnium, qui appellantur Ægidiani, prora & puppis, volum. 4. pag. 314. docet, demonstratque in nullo prorsus hominum statu posse a creatura rationali diligi Deum super omnia, quatenus est auctor naturæ, *abſque gratia entitative ſupernaturali*; ideoque statum illum *naturæ puræ*, in quo teneretur creatura rationalis Deum tamquam auctorem suum super omnia diligere, nec supernæ gratiæ adjutorio suffulta esset, *impoſſibilem* esse censendum. Expressius insuper tradit *impoſſibilitatem ſtatus puræ naturæ* idem auctor præcitato tomo IV. *Scholæ Ægidianæ* pag. 364. & seq. ubi ait: *Status puræ naturæ, quem ſæpe repetunt recentiores, eſt omnino fictitius; quia nec datur de facto, ut tenentur fateri illum aſſerentes, qui tenent Angelos, & Adam fuiſſe creatos in gratia, aut ſaltem cum aliquo dono ſupernaturali; nec dari poteſt etiam per potentiam Dei abſolutam; nam ut alibi diximus cum Fundatiſ. Doct. ex Beatis. P. ſi Deus faceret naturam rationalem ſine omni gratia, illa non poſſet abſtinere a peccato, ſed rueret in omnem immunditiam, & peccatum refunderetur in Deum auctorem, nec Deus poſſet illam punire*: producitque laudatus Theologus permulta assertionis hujusce suæ munimenta. Nunquam vero in *Scholam Ægidianam* Friderici Gavardi audivimus censuram aliquam, notamve Bajani, aut Jansenianæ erroris, a legitimis Judicibus latam. Sexto Theologi nostrates Provinciæ Austriæ & Hungariæ eamdem propositionem, *Status puræ naturæ impoſſibilis eſt*, propugnarunt, ac propugnant etiamnum in Universitate Viennensi, & quidem tamquam Doctores publici, cum approbatione eorum, ad quos spectat: atque hos inter M. Anselmus Hormonseder eamdem propositionem tradidit, & argumentis fulcivit in *Centum Quæſtionibus Theologicis* an. 1738. in lucem editis, necnon in selectis Thesibus vir doctissimus, atque ornatissimus M. Gaspar Scheurer utriusque Germaniæ, dum hæc scribimus, Assistens Generalis, aliique permulti. Pari ratione Fulgentius Fosseus Tolosanus, cujus memini superius num. 8., docuit debuisse rationalem creaturam a Deo creari cum elevatione ad finem supernaturalem: & tamen in eum tanto annorum spatio nemo unus excanduit, ut efferbescit modo zelus Anonymi, Italorum Augustinensium, immo, ut ex dictis perspicuum satis ac manifestum esse arbitror, universæ familiæ nostræ, aliorumque pariter clarissimorum virorum insectatoris. Denique ut ad Jansenium revertatur oratio, & utar responsione Norisii, *non adoro hominem*, nihilque a me de Jansenio; qui, si quæstionem hanc agitavit in sensu Baji, & gratiam primi hominis *naturalem* dixit, Bajanus est: si agitavit in sensu Theologorum Augustinensium, in hac assertione Bajanus non est; ac frustra in nos ex Jansenii Operibus, in quibus potest aliquid adinveniri, quod sit verum & Orthodoxum, dum ea, quæ impia, hæretica, & damnata sunt, refutamus, invidia & calumnia conflatur. Scimus Cardinalem de Bissy in *Tractatu Theologico adverſus Queſnellianas propoſitiones* volum. 1. pag. 688. adnotasse in iis, quæ Jansenius tradidit *de ſtatu puræ naturæ*, duo reperiri, quæ detegunt Jansenii systematis in hac quoque assertione perversitatem: unum, quod Jansenius contenderit, merita Adami in statu innocentiæ fuisse duntaxat humana, *purement humains*, & comparata absque auxilio gratiæ; spectasse autem ad solam creaturam, sive ad solum liberum arbitrium, *à la créature ſeule, au ſeul libre arbitre*; & occurrere sæpenumero in Jansenii libro, & Jansenistarum Opusculis propositiones, quæ invicem videntur oppositæ, *qui paroiſſent ſi oppoſées*. Alterum, quod Jansenius ita discrimen gratiæ in statu naturæ innocentis, & lapsæ constituerit, ut in hoc statu nos gratia *neceſſitate* trahat ad assentiendum, quotiescunque superat contrariam cupiditatem; unde quemadmodum gratiæ nunc tribuitur, quod necessario fit; ita in statu innocentiæ erat solius liberi arbitrii opus, & nullatenus Dei donum, quicquid efficiebatur per gratiam: *à la quelle nous pouvons conſentir, ou reſiſter à nôtre choix, & la quelle ne nous détermine point neceſſairement*, cui nos possumus assentiri, aut dissentiri pro libito, & quæ minime nos necessario determinant. In hoc sensu, qui connexionem habet cum tertia ex quinque propositionibus, Jansenianum de statu *puræ naturæ* assertum a me quoque repudiatur & rejicitur: quoniam nec merita Adami tribuenda erant viribus solius arbitrii, nec quæ in hoc statu comparantur per gratiam, excludunt libertatem indifferentiæ. Ceterum dum adversarii nostri Jansenium producunt, oramus, ut unusquisque ea, quæ in illo damnata sunt, ab iis, quæ non sunt damnata, distinguat; atque animadvertat, calumniatores *ad opprimendam veritatem, appoſitis ad inducendum & perſuadendum argumentis, aliiſque ſexcentis artibus auditores decipere*, quod monuit etiam Lucianus in Opusculo, *De non temere credendo calumniæ*.

Horm. Opuſc. 1. q. 47. §. 1. & q. 51. §. 3.

Luci. tom. 2. pag. 570.

CAPUT II.

In libris de Theologicis Disciplinis refutari damnatum, pravumque ſenſum vigeſimæ ſeptimæ Bajanæ propoſitionis, aliarumque ſpectantium ad primam creaturæ rationalis conditionem, ex illorum librorum expreſſiſſimis locis evincitur.

NOn alia ratione censor Anonymus ait, me a damnato in propositionibus Baji errore nullatenus recessisse, nisi quia circa *impoſſibilitatem* status puræ naturæ Fulgentio Bellelli penitus adhæresco. Mentitur splendidissime: nullibi enim propositionem illam, *Impoſſibilis eſt ſtatus puræ naturæ*, defendi, nisi ad sensum Norisii, affirmantis non potuisse hominem condi absque integritate, *non propter exi-*

gentiam

gentiam creaturæ, sed propter decentiam Creatoris: quod Pag. 465. Tom. 1. p. 197. Fulgentius Bellelli aliquo sensu reprobat lib. 3. *De statu creaturæ rationalis ante peccatum*, cap. 21. Immo ubicunque de hac controversia pertractavi, *problematice* in utramque partem differui, ut constat ex libro Tom. 2. p. 563. Tom. 3. p. 19. III. cap. 1. ex additamento lib. XII. cap. 3. ex lib. XIII. cap. 3. atque ex aliis locis, quæ prætermitto. Hæc autem non ideo a me dicta sint, quasi ab illata Fulgentio Bellelli accusatione declinare velim, eumque fatear erasse: nam & illius sententia distat toto cælo a Bajana; cumque hujus dissidii occasione illius scripta accuratius pervolutaverim, visus est mihi hac in parte Augustinianus, non Bajanista. Videat ergo Anonymus quid in me ejus dicteria, & insimulationes effecerint; quod *problematice* pertractavi in posterum definite propugnabo; tantum abest, ut mihi ejus scripta aliquid negotii facessant, ut secum pugnaturus illa quoque temperamenta, quæ adhibui, deponere sim paratus. Id ergo pronuntio, *Status puræ naturæ impossibilis est*: si vis, propugnavi egomet eamdem sententiam; nisi vis, propugnabo nihilo tamen minus; at propositiones Baji damnavi, damno, damnabo. Huc intende animum, & experire, num jure ita loquar.

§. I.

Admittuntur a nobis dona supernaturalia in prima Angelorum, & hominis conditione.

PRior itaque damnatus sensus articuli XXVII. Baji est, Angelos, ac primum hominem non fuisse a Deo conditos cum donis naturæ superadditis, sive naturalem ordinem excedentibus.

I. Quid autem scriptum a me est lib. x. cap. 7.? Tom. 2. p. 277. 278. 279. 280. Demonstro eo loci Angelos *in sui conditione fuisse exornatos gratia sanctificante*: demonstro *originalem justitiam non esse puram naturam*: demonstro antiquiores Scholasticos existimasse primum hominem *non fuisse conditum cum gratia sanctificante*, eamque sententiam posse etiamnum sustineri, atque assertionum mearum probationes his verbis absolvo: *Firmissime teneo, Angelos cum aliqua gratia, non in puris naturalibus fuisse conditos; num vero præter adjutorium*, sine quo, *& gratiam sufficientem actualem, etiam habitualem receperint, probabilius quidem existimo, sed dubium adhuc, nec ad fidem pertinere pronuntio.*

II. Proximo capite 8. differens de beatitudine, in Tom. 2. p. 285. qua angeli conditi fuerunt, ita loquor: *Beatitudo innocentis creaturæ erat vita, qua fruebatur Deo, ex quo bono erat bona, non solum naturali cognitione & amore, verum etiam caritate, qua flagrabat ex corde puro, ex fide non ficta, & cum spe futuræ commutationis, uti S. P. affirmat* XIV. *de Civit. Dei cap.* 26. *& de Gen. ad lit. cap.* 18. *Quæ sane præter naturam rectam, ac sine vitio creatam, supernaturalia complectuntur beneficia, quæ Deus in angelum, hominemque liberali munificentia profudit, simul in eis condens naturam, & largiens gratiam.*

III. De primo homine disputans lib. XII. cap. 7. Tom. 2. p. 483. & p. 484. demonstro, Dei similitudinem, ad quam conditus fuit Adam, *præter substantiæ intelligentis naturam, complecti etiam dona virtutum, divinarumque gratiarum munera*: eodemque cap. prop. 3. quæ scripseram de gratia sanctificante, & donis supernaturalibus angelo collatis, repeto, ac demonstro asserenda itidem esse de primo homine.

IV. In eodem libro cap. 9. demonstro hanc propositionem, *Immortalitas primi hominis non fuit naturæ proprietas, sed gratiæ beneficium*; & de hac eadem Tom. 2. p. 502. propositione ita loquor: *Spectat hæc propositio ad fidem, est enim ab Apostolicæ Sedis divina auctoritate proscriptum contrarium assertum Michaelis Baji, Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.*

V. Eo loci eamdem propositionem demonstro, ex quo humanum corpus compactum sit elementis, quæ propter contrarias qualitates tendunt ad mixti dissolutionem; ideoque ne dissolveretur, conservandum erat absque pugna hujusmodi elementorum temperamentum: *quod est supra naturalem humani corporis conditionem.* Ibidem p. 303.

§. II.

Distinguuntur in libris nostris munera primæ conditionis a naturæ proprietatibus.

IN sensu Baji justitia, integritas, immortalitas, aliaque dona gratiarum collata primis parentibus fuerunt proprietates naturales, & munera creationis, ita naturæ proportionata, ut in homine lapso illorum donorum carentia nihil sit aliud, quam privatio bonorum naturalium, cujusmodi sunt cæcitas, surditas, ægritudo.

I. Contra in libris de Theologicis disciplinis firmissime ego affirmavi, dona fidei, spei, & caritatis, quæ Angelo & primo homini collata fuerunt, fuisse *beneficia supernaturalia*, & nullatenus confundenda esse cum *substantiæ intelligentis natura*, ut constat ex præcedenti §. num. 2. & 3.

II. Præterea in additamento lib. XII. hæc scribo: *Naturæ rationalis integritas, sublimatio in consortium divinitatis, inferiorum partium subjectio, & elevatio ad finem sublimiorem, cujusmodi est visio Dei, supernaturalia dona sunt, nemine Catholicorum contradicente.* Tom. 2. p. 554. Postquam vero ostendi, quomodo Theologorum plurimi, ex hac assertione, cui nullus Catholicorum opponitur, inferunt *possibilitatem* status puræ naturæ, eorum, qui oppositum sentiunt, subjiciens responsionem, *Docent* (ita prosequor) *gratiam Adamo, & lapsis hominibus collatam in hoc convenire, quod utraque est donum supernaturale, & non proprietas naturæ.*

III. Rursus proximo capite hæc scribo: *Primo itaque asserimus, quod nullo titulo homini in prima conditione teneretur Deus impertiri caritatem habitualem, sive gratiam sanctificantem, & supernaturalium virtutum habitus: & consequenter integritatem & originalem justitiam, hæc omnia complectentem, primo homini debitam nequaquam fuisse, atque Deum posse creaturam rationalem condere absque talibus ornamentis.* Pag. 563. Poteram ne Bajanos errores verbis magis expressis refellere?

IV. Neque actualem gratiam primo homini debitam dixi Bajano sensu, sed hæc proxima pagina subjeci: *De gratia autem actuali dico, & hanc non fuisse Adæ debitam, quatenus neque promereri illam potuit operatione aliqua præcedenti, neque exigebat eam primus homo, ut in se absolute, & in genere* speciei *suæ præditus esset naturali qualibet perfectione, quoniam per solam nativam facultatem intelligendi & volendi perfecta redditur rationalis creaturæ substantia, &c.*

§. III.

Nullibi affirmavimus potuisse Adam promereri vitam æternam propter naturalem ordinationem.

IN sensu Baji primus homo poterat absque gratia adoptionis promereri vitam æternam, atque hæc ei debebatur non propter Spiritum Sanctum inhabitantem, sed propter *ordinationem naturalem*, initio creationis constitutam.

I. At ego differens de conditionibus operis meritorii, exigo ad meritum in quolibet statu, *ut opus sit bonum, sit liberum, sit supernaturale, sit elicitum in statu viæ, sit ex caritate profectum, sit cum divina promissione conjunctum, sit hominis justi*, & *gratia* habituali *exornati*; *etsi non omnes istæ conditiones requirantur ad meritum* de congruo, differte Michaelis Baji sententiam explicans, damnans, refellens. Tom. 3. p. 513.

II. In eadem dissertatione scribo: *Nos ad meritum* de condigno *necessarium putamus, quod proficiscatur a caritate*: post pauca: *Sextam conditionem statuimus divinam promissionem.* Quod inter alia momenta demonstro ex condemnatione secundæ Bajanæ propositionis.

III. Pretractans quoque de gratia sanctificante, in qua *supra conditionem naturæ suæ* Angeli exornati fuerunt, asserui ea fuisse donatos, ut promererentur beatitudinem: *cujus quasi semen est gratia sanctificans.* Tom. 2. p. 275. & 484. Idem affirmavi differens de primo homine lib. XII. cap. 7. prop. 3.

§. IV.

Non poterat in sententia nostra primus homo sine gratia ad sempiternam beatitudinem pervenire.

IN sensu Baji primus homo non indigebat *supernaturalibus* virtutum donis, ut Deum coleret, nec auxilio gratiæ supernaturalis ut legem servaret, & consequeretur beatitudinem: ad quam *solius naturæ viribus* poterat pervenire.

I. At ego non tantum virtutum dona, de quibus paullo supra §. 1. verum etiam gratiam actualem, & quidem *magnam*, Adamo, & Angelis in sua conditione collatam, & quam S. Pater Augustinus appellat adjutorium *sine quo*, agnosco, & quænam fuerit pluribus expono lib. IV. cap. 8. Tom. 1. p. 338.

II. Proximo capite nono ejusdem libri, de Angelis ac primo homine ad hunc modum differo: *In illis supernaturalis virtus dabat, ut possent perseverare.* Et infra: *Si Angeli absque ulla gratia creati essent, sibique sola naturali virtute sanctitatem & justitiam comparassent, gloriari utique potuissent se habere, quod a Domino non acceperunt.* Tom. 1. p. 345. Itidem necessariam illis deprædico gratiam, *prout gratia est donum naturæ superadditum.*

III. Quum

III. Quum ſæpe in illo nono capite dixerim in ſtatu innocentiæ prædeſtinationem fuiſſe *mercedem arbitrii*, animadverto id eſſe accipiendum *de arbitrio gratia Dei ſuffulto, & de mercede reddenda meritis gratia comparatis:* quod illa diſſertatione ſæpenumero a me repetitur. *Tom. 1. p. 351.*

IV. Nonne libro x. cap. 7. demonſtro Angelos in prima conditione habuiſſe actualem gratiam, quam appello *adjutorium naturæ ſuperadditum?* Nonne eo loci ſtatuo, *Angelos viribus naturæ nequaquam potuiſſe ſe ad primam gratiam actualem diſponere, potuiſſe tamen vi hujus gratiæ illuminantis ac præmoventis ſe diſponere ad gratiam habitualem, niſi eam in priori inſtanti recepiſſent; quemadmodum per hanc gratiam pervenerunt ad plenitudinem beatitudinis, & ad vitam æternam, quæ non poteſt abſque divino adjutorio comparari?* *Tom. 2. p. 278.*

V. De homine item primo nonne libro XII. cap. 7. ſcripſi: *Præter rationalem naturam, quæ Dei imago eſt naturalis, impertitus eſt univerſorum Creator homini gratiarum dona, in quibus ſplendeſcit imago quædam ſupernaturalis; cujus cauſa nuncupamur Dei filii, eique ſpeciali titulo ſimiles?* Capite autem proximo an non prolixa diſputatione demonſtro, *Præter juſtitiam & integritatem originalem Deum primo homini dediſſe adjutorium gratiæ actualis, ut poſſet in bona voluntate & ſanctitate perſeverare?* *Tom. 2. p. 484. & 491.*

VI. Plura in hoc loco proferenda eſſe non arbitror, quandoquidem deſcribens Bajanos errores, hos inter priori loco recenſuerim, *Integritatem primæ conditionis & exaltationem humanæ naturæ in conſortium divinæ debitam ac naturalem fuiſſe, & merita primi hominis & Angelorum nullatenus dicenda fuiſſe ſupernaturalia.* *Tom. 3. p. 313.*

§. V.

Adamo, & Angelis gratia proprie dicta collata fuit, idque aperte a nobis aſſeritur.

IN ſenſu Baji *non improbanda ratione* dona primo homini, Angeliſque collata appellari poſſunt *gratia*: ſed Pelagiano ſenſu, eo prorſus modo, quo *gratia* dicuntur munera creationis, atque ipſa natura, in qua conditi ſumus, ut vivamus, ut ſentiamus, ut intelligamus.

I. Quis vero ſenſum hunc, quis hanc Pelagianam fuliginem in editis a me libris deprehendit? Si ubique affirmo dona primo homini, & angelis collata fuiſſe *beneficia ſupernaturalia;* non fuiſſe ejuſdem generis, cujus ſunt *facultas intelligendi, & volendi;* non ſpectaſſe *ad naturæ proprietates*, & *ſupernaturalia merita* produxiſſe, ut conſtat ex locis nuper productis: profecto non ampliori ſenſu, & ratione quadam *non improbanda* exiſtimo, ſemperque exiſtimavi rationalem creaturam fuiſſe *gratia* exornatam atque ſuffultam; ſed ſenſu proprio, eademque ratione, qua *gratiam* dicimus ſupernaturalia beneficia nobis per Chriſtum collata; hoc tantum excepto, quod iſta conferuntur indignis, illa nihil promerentibus data ſunt: ſed utraque naturalem ordinem ſupergrediuntur, & excedunt.

II. De amore, & bona volutate Angelorum ita a me ſcribitur: *Naturalis dici poteſt & gratia: naturalis, quia ſimul cum natura inſpiratus; gratia, quia fuit donum naturæ ſuperadditum.* Scripſeram paullo antea: *Ita conſtituit Deus rationalem creaturam, ut ſimul naturam conderet, & elargiretur gratiam*, apertiſſime gratiam a natura diſtinguens. Item affirmaveram bonos Angelos ſtetiſſe per liberum arbitrium, *non per liberum arbitrium ſola nativa vi operans, ſed adjutorio* ſine quo *in ſui conditione donatum.* *Tom. 1. p. 344.* *pag. 336. 338.*

III. Præterea hæc me ſcripſiſſe reminiſcor: *Si Angeli abſque ulla gratia creati eſſent, ſibique ſola naturali virtute ſanctitatem & juſtitiam comparaſſent, gloriari utique potuiſſent ſe habere, quod a Domino non acceperunt.* Innumeris in locis conſimilia conſcripſi. *Tom. 1. pag. 349.*

IV. Neceſſum non eſt plura in medium proferre, ſiquidem pertractaturus de gratia præmitto, *Nos gratiæ nomine minime ſignificare Conditoris dona ad naturam ſpectantia, inter quæ in creaturis ratione præditis facultas liberi arbitrii ſingulare eſt ac præcipuum. Quamquam & dona iſtiuſmodi non immerito Gratiæ dicuntur ſignificante* Gratiæ *vocabulo omne id, quod alteri gratis, ideſt, liberalitate Creatoris confertur.* Ac ſubinde produco ea Auguſtini verba, quæ commonſtrant munera creationis *non improbanda ratione dici* gratiam Dei: quibus verbis, ut vidimus capite præcedenti §. 3. nu. 9. perperam abuſus eſt Bajus, interpretatus de donis naturæ ſuperadditis, quæ Auguſtinus Gratiæ prædicator & vindex epiſt. 95. nunc 177. tradidit de ipſa natura, ejuſque proprietatibus. *Tom. 3. p. 139.*

CONCLUSIO.

In Opere inſcripto, *De Theologicis diſciplinis*, non defenditur ac propugnatur, ſed rejicitur & refellitur hæreticus omnis, erroneus, & fallax ſenſus Bajani articuli viceſimi ſeptimi, aliorumque ejuſdem generis ad integritatem, gratiam, & munera primæ conditionis ſpectantium.

DEMONSTRATUR.

Bajus in hoc miſerrime lapſus eſt, & longo itinere a veritate aberravit, quod pertractans de prima creaturæ rationalis inſtitutione & conditione, aſſeruit Angelum, hominemque nequaquam beneficio Conditoris recepiſſe munera gratiarum naturæ ſuperaddita; ſed quæcunque dona collata ipſis fuere, naturæ fuiſſe proportionata, naturæ partes, & naturæ proprietates, cujuſmodi ſunt anima rationalis, & viſus, auditus, ac ſanitas orta ex elementorum proportione ac temperie: ex hoc autem damnato falſiſſimoque principio illuc progreſſus eſt, ut comminiſceretur, initio conditionis neceſſariam non fuiſſe gratiam *ſanctificantem* ad comparandum meritum vitæ æternæ, neque neceſſaria fuiſſe virtutum chariſmata ad Deum *ſupernaturaliter* colendum: ſed cum meritum, tum bona quæcunque opera adſcribenda fuiſſe viribus ſolius arbitrii, nulla ſuperna gratia ſuffulti; niſi forte *gratiam* accipiamus in ampliſſima illa ſignificatione, in qua etiam munera creationis *non improbanda ratione* gratia appellantur. Hæc propoſitio quoad omnes ſui partes demonſtrata eſt in priori capite hujus diſſertationis.

At in libris, quorum inſcriptio, *De Theologicis diſciplinis*, eliquatiſſime traditur, Angelos & hominem, ut primum conditi ſunt, cumulatos fuiſſe largitate Conditoris donis gratiarum ſupernaturalibus, & naturæ ſuperadditis, atque hæc dona fuiſſe beneficia altioris ordinis, ac ſit natura, & quidquid attinet, ſive ut pars, ſive ut proprietas, ſive ut naturalis qualitas extrinſecus adveniens, ad naturalem conſtitutionem; adeo, ut ſine gratia adoptionis, naturæ indebita, non potuiſſet creatura, etiamſi innocens ac ſana, promereri beatitudinem; ſine Spiritus Sancti muneribus, & chariſmatibus non potuiſſet Deum colere, & ad Deum pervenire; atque ſine adjutorio ſupernaturali, & a nativa vi, & facultate liberi arbitrii diſtincto, nequaquam in accepta juſtitia perſeveraſſet; ideoque Angelis & homini, ut perſeverare poſſent, collatam fuiſſe gratiam, quæ propria ratione talis erat, non vero illa tantum ratione *non improbanda*, juxta quam ipſa natura, & quælibet munera creationis dicuntur *Gratia*. Hæc propoſitio invicte & perſpicue demonſtrata eſt paullo ſupra. Igitur in Opere inſcripto, *De Theologicis diſciplinis*, non traditur, non comprehenditur, non defenditur Bajanus error circa primæ conditionis integitatem; ſed undique exploditur, rejicitur, refutatur.

§. VI.

Diſcutiuntur quæ in libris de Theologicis diſciplinis *offendit Anonymus, & tamquam cohærentia articulo viceſimo ſeptimo Baji, inſulſiſſime, & nugaciſſime vellicat.*

PAucis ſe expedit Accuſator, non brevitatis cauſa, ſed rationum inopia, dum me tamquam Bajani articuli 27. propugnatorem inſimulat, propterea quod eadem cum Fulgentio Bellelli ſenſerim circa *impoſſibilitatem ſtatus puræ naturæ*. Ait primum tentaſſe me, ut aliquatenus emollirem ſententiam illam, quam Fulgentius Bellelli *durius, & abſque ulla verborum ambage* tradiderat; at nihilominus me pariter in errorem proſcriptum in Bajanis articulis impegiſſe. *Bajan. Red. pag. 228. & 229.*

I. Quo, obſecro, rationum pondere id evincit? Primum quod in utramque partem quæſtionem agitaverim, & momenta, quibus *poſſibilitas puræ naturæ* probatur, aut enervare ſtuduerim, aut prætermiſerim: contra quæ *impoſſibilitatem* illius ſtatus ſuadere nobis videntur, plurimi fecerim, in iiſque ponderandis multum inſumpſerim operis. Ait præterea, me divino monito, cujus memineram, *Non declinabis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram*, minime obtemperaſſe; ſed in ſiniſtram declinaviſſe. Inquit me fateri, *penitus* recedendum non eſſe ab eorum placito, qui ſtatum *puræ naturæ* putant eſſe *impoſſibilem;* ideoque, ſi mihi fides ſit adhibenda, ſaltem aliquatenus non recedere *ab errore illorum Novatorum*, qui ſtatus *puræ naturæ impoſſibilitatem* propugnant. Addit me nullatenus ab errore ipſo recedere; quoniam duo adhibeo *lenimenta*, quæ non ſunt a damnato Baji ſenſu aliena. Lenimentum primum eſt, quod Deus non tenebatur homini in prima conditione impertiri *caritatem habitualem, ſive gratiam ſanctificantem*, & *ſupernaturalium virtutum habitus*. At Bajus, inquit Anonymus, nunquam docuit caritatem *habitualem* fuiſſe debitam homini in prima conditione; immo expreſſe aſſerit, ſe in *Pag. 230.*

Opuſ-

Opuſculis ſuis de illa non loqui. *An vero*, inquit Bajus de Caritate cap. 2. *præter hunc animi motum, qui caritas dicitur, alia quædam habitualis, & accidentalis qualitas in voluntate ponenda ſit, quæ etiam caritas nuncupetur, non magnopere contendendum exiſtimo.* Hinc infert Anonymus propoſitionem 27. non fuiſſe damnatam in eo ſenſu, quod homini in prima conditione debita fuerit *caritas habitualis*. Alterum lenimentum eſt, (inquit accuſator) quod primus homo gratiam non potuit promereri, neque illam exigebat ut in ſe *abſolute, & in genere ſpeciei ſuæ prædituſ eſſet naturali qualibet perfectione* : quo verborum apparatu nullatenus me recedere ab errore Baji pronuntiat; quum Bajus aſſeruerit primum hominem gratiam promeruiſſe, nec debitam affirmaverit, quatenus homo *in ſe abſolute, & in genere ſpeciei ſuæ* conſideratur, ſed ſolummodo *ne abſque illa gratia miſer eſſet*.

II. Hinc vero, ait, apparet *Fratrem Berti* ad ſiniſtram relicta dextera declinaſſe; nam & *Frater Bellelli* expreſſe aſſerit *de ſtatu creaturæ rationalis*, lib. 1. cap. 22. juſtitiam originalem non fuiſſe debitam primo homini, *qua parte gratiam ſanctificantem, & virtutes infuſas includebant* : docuit etiam eodem libro cap. 19. gratiam illam non ita fuiſſe naturæ debitam, ut aliquod *opus meritorium* eamdem præceſſerit, aut ſicut naturæ ſunt debitæ *ejuſdem proprietates*. Hæc peracutus Cenſor, concludens me & Fulgentium Bellelli eamdem promereri cenſuram, neque de noſtra cum Bajo conſpiratione ullum remanere dubitandi locum. *Pag. 231.*

In illo, quem modo in ſummam redegi, inſulſo, ineptoque paragrapho nil eſt, quod æquiſſimum judicem movere queat, ut in nos cenſuram intorqueat; & nihil rurſus, quod accuſatoris fraudem, ignorantiam, atque malevolentiam non manifeſtet. Singula perſequamur. Supponit initio paragraphi damnatum errorem eſſe eorum ſententiam, qui docent *impoſſibilitatem ſtatus puræ naturæ*. Ignorat ne, ſententiam ipſam ab omnibus Auguſtinianis Theologis ſemper ad hanc uſque diem propugnatam fuiſſe in univerſitate Lovanienſi, necnon in Viennenſi, approbantibus Univerſitatis utriuſque Præſidibus & Rectoribus, propugnatam in ſingulis Inſtituti noſtri Italiæ, Belgii, & Germaniæ gymnaſiis, propugnatam a Cardinali Noriſio, a Fulgentio Toloſano, atque ab aliis innumeris, quorum ſuperiori capite mentionem feci? Si ignorat; legat, & diſcat, priuſquam viros Catholicos calumnietur: ſi non ignorat; pudeat ſe inter damnatos errores adnumerare placita inſignium Theologorum. Sed jam oſtendimus §. v. & ſequentibus capitis præcedentis, ſententiam, quæ adſtruit *puræ naturæ impoſſibilitatem*, non eſſe damnatam in Bajo, & Anonymum ludere operam, commentitium *Bajaniſmum* fabricare, & confictis a ſe fundamentis machinationes iniquiſſimas ſuperſtruere.

Temperamentum autem, quo ego utor, & media quadam via incedo, eſt, *ſtatum puræ naturæ eſſe impoſſibilem*, non ſpectata abſoluta potentia Dei, ſed de potentia, ut loquuntur Scholæ, ordinaria, *quatenus creatura rationalis ut eſt imago Dei, & comparata ad ultimum finem, a quo divulſa incidit in ſummam miſeriam, oportebat, ut ſupernaturali divinorum auxiliorum fulcimento ornaretur*. Temperamentum, quo utor, eſt, gratiam fuiſſe debitam homini in prima ſui conditione *ex decentia Creatoris*, atque ut docet Auguſtinus lib. 3. contra Julianum cap. 11. ubi ait, *In natura hominis ante peccatum pacem decebat eſſe, non bellum;* ut docet S. Thomas in 2. diſt. 3. qu. 1. & in IV. contra Gentiles cap. 52. ut docet Ægidius Romanus in 2. diſt. 30. quorum verba produxi, affirmans illud tenendum eſſe, quod *docent hi tres*, ſcilicet Auguſtinus, Thomas, Ægidius. Temperamentum demum, quo utor, eſt amplecti, defendere, & præferre ſententiam Cardinalis Noriſii cap. 3. Vindiciarum §. 2. pag. 923. novæ editionis. Cur hæc omnia accuſator alto ſilentio premit? Sane id facit, ut me *in ſiniſtram* dejiciat; quod perperam tentat, in hoc etiam deceptus, quod tranſverſis oculis noſtrates dexteram tenentes reſpicit ſiniſtrorſum. Quod vero *Novatores* appellat Theologos, qui *ſtatum puræ naturæ impoſſibilem* eſſe docent, argumentum eſt illius, quam ubique præſefert, temeritatis & arrogantiæ. Nunquid enim novator Noriſius? Nunquid novator Fulgentius La-Foſſe? Nunquid novator Vincentius Contenſonus? Nunquid novatores Theologi, quos in diſſertatione, in qua detinemur, & in additamento libri XII. laudavi? Vah intolerabilem procacitatem! *De Theol. diſcipl. tom. 2. pag. 563. & 564.*

Ait præterea, me in utramque partem agitaſſe quæſtionem, ſed animo longe diſpari, quum operam dederim, ut momenta, quibus probatur *ſtatus puræ naturæ poſſibilitas*, infringerem & enervarem, aut omnino ea prætermiſerim; contraria autem plurimi faciens amplificare, & ponderare ſtuduerim. At principio ſi id præſtitiſſem (nam ex utraque parte validiora argumenta cum ſuis viciſſim reſponſionibus a me fuiſſe producta, percipere, & dijudicare poterit quiſquis elucubratam a me diſſertationem perlegerit) ſi id, inquam, præſtitiſſem, nemo eam ob rem ſuccenſere mihi deberet: ſiquidem Auguſtiniano ſcriptori potius vindicandæ ſuorum doctrinæ, quam exornandis placitis aliorum ſit incumbendum: & illa etiam ſententia, quæ injuſte laceſſitur, ſuppetias expoſtulet, non altera ampliori defenſorum numero communita. Deinde peto, num pro adverſariorum noſtrorum opinione produxerim propoſitiones Bajanas, an has prætermiſerim? Produxi utique, & quidem priori loco. Igitur argumenta, quæ ad hanc velitationem noſtram, ad hanc *Bajaniſmi* calumniam pertinent, minime prætermiſi. De reliquis non opus eſt modo funem ducere contentionis: nam quæ edita ſunt, & in lucubrationibus Theologorum diſperſa, vidi, ſelegi, ponderavi; quæ autem latent in latebroſo cenſoris hujus ingenio, ad examen, cum in lucem prodierint, revocabo. At enim, inquit, *oppoſita momenta enervat F. Berti*. Quæ enervantur, non talis ſunt generis, ut contundi nequeant, debilitari, & langueſcere. Verum quomodo enervo? Reſponſione Vaſqueſii, reſponſione Eſtii, reſponſione Goneri, reſponſione Noriſii, reſponſione Contenſonii, reſponſione Foſſei. Subjeci cuncta lectorum oculis: attende, quæſo, horum Theologorum teſtimonia, de quibus cap. 1. §. 1. & quæ ego ſcripſi momenta illa enervando. Ergo non fraude, non ſubterfugio Bajaniſtarum, ſed doctrina Orthodoxorum Theologorum, momenta contraria a me fracta, & enervata fuerunt. Immo addidi, quæ Cardinalis Aguirre, & Bruno Neuſſer contra reſponſionem Noriſianam attulere, nil diſſimulans, quod enervata argumenta inſtaurare videatur, & confirmare. Quid ergo falſum magis, ne dicam contumelioſum, fraudulentum, & ludibundum, adverſus me jactari poteſt, quam aſſerere, *falli me, aut fallere incautos*, dum lenimentis, ac reſponſionibus meis opinionem noſtratium emollio, & contrariam opinionem enervo, & interim tacere quod eadem reſponſa tradita jam antea fuerint a Theologis ſapientiſſimis? Quidquid dixi, aliorum auctoritate confirmavi. Auctores aut bene, aut male citavi: ſi male; oſtendat accuſator, ubi deceptus fui, & quo in loco incautos fefelli: ſi autem bene; non de me clamitet, *Fallitur, aut fallere tentat*, ſed de præſtantiſſimis, clariſſimiſque Theologis, qui talia nos docuerunt. Verumtamen nequit coram his conſiſtere teſtis falſidicus, *tribus*, ut inquit Iſidorus de ſummo Bono lib. 3. cap. 59. *obnoxius, Deo quem contemnit, judici quem decipit, innocenti quem lædit*. *De Theol. diſcipl. tom. 2. pag. 548.* *Baj. Red. pag. 231.*

At progreditur adverſarius, affirmatque eos a Bajano errore nequaquam recedere, qui docent potuiſſe hominem condi *abſque gratia ſanctificante, & abſque habitibus ſupernaturalium virtutum*, eo quod Bajus nunquam tradiderit *gratiam habitualem* fuiſſe debitam primo homini, immo affirmaverit ſe non magnopere contendere, *an gratia habitualis ſit admittenda*. Sed exiguæ eruditionis, labilis memoriæ, & pertenuis ingenii homo eſt, quiſquis talia ſcriptitat. Eſt eruditionis exiguæ; nam in articulis Baji damnatam fuiſſe tantummodo opinionem illam, quæ negat potuiſſe hominem condi *cum gratia ſanctificante*, teſtatur Eſtius, teſtatur Gonet, teſtatur Noriſius, teſtantur alii, quibus tenentur aſſurgere, & cervicem flectere infimæ claſſis Theologi. Eſt memoriæ labilis; ſupra enim hæc idem Anonymus ſcripſerat: *Ex his omnibus locis patet integritatem primæ creationis, quam Bajus aſſerit fuiſſe primo homini naturalem atque debitam, nihil aliud eſſe quam ſanctificationem Spiritus Sancti, ſeu donum illud ſupernaturale, quo Adamus in filium Dei adoptatus fuit, ut Deum fide, ſpe & caritate coleret, & poſtea beatitudinem poſſideret*; at pag. 230. ait: *Bajus nunquam docuit caritatem habitualem fuiſſe debitam homini in prima conditione;* quæ duo loca plus, quam lux ac tenebræ, pugnant invicem, quum ſanctificatio Spiritus Sancti, donum quo adoptamur in Dei filios, & gratia, & *caritas habitualis* ſint prorſus idem; aut ſaltem dividi nequeant aut ſeparari. Eſt demum auctor in ratiocinando ingenii pertenuis; neque enim ex quo Bajus *gratiam habitualem* negaverit, aut duxerit contendendum non eſſe, an ſit, vel non ſit admittenda, ſequitur non connumeraſſe ſanctificationem primi hominis inter dona naturalia & munera creationis; & multo minus ſequitur Bajanos eſſe qui *gratiam habitualem* admittunt, & ſine hac potuiſſe hominem creari concedunt; ſed conſequitur potius, Bajum, qui ſanctificationem agnoſcit in primo homine, & huic ſupernaturales habitus negat, ipſam ſanctificationem inter naturalia munera collocaſſe; & Bajo eos omnes adverſari, qui in ipſo homine primo ſanctificantem gratiam, ceteroſque habitus ſupernaturales deprædicant, & fatentur potuiſſe primum hominem condi abſque gratia habituali, & abſque reliquarum virtutum habitibus. Atque arbitror ad hoc dijudicandum ſufficere communem ſenſum, nec opus *Baj. Red. pag. 69.*

eſſe

esse dialectica arte, vel ratiocinandi peritia. Ceterum quæ repetit Anonymus ex Opusculis Baji de *caritate*, ad examen revocata sunt dissert. 1. §. 9. num. 2.

Affirmat denique Anonymus, nec recedere nos a Bajo, dum asserimus gratiam non fuisse debitam primo homini, quatenus nec illam promereri potuit, neque eam exigebat, ut præditus esset *naturali qualibet perfectione*; propterea quod nullibi Bajus docuerit, hominem primum gratiam promeruisse, neque ullibi eamdem gratiam dixerit debitam homini integro *tamquam naturalem proprietatem*. Commentum istud, si utraque pars simul jungatur, refutatum est hac prolixa dissertatione: nam prima tantum pars, nempe quod merita in Adamo nequaquam præcesserint, constituit *gratiam* in illo ampliori sensu, in quo gratia dicuntur etiam *munera creationis*; & hanc utique gratiam nec Bajus, nec Pelagius denegarunt in primo homine, quoniam hæc gratia naturæ ordinem non excedit. At quod nulla præcesserint merita, & ulterius quod conferatur sine meritis præcedentibus, sit ordinis supernaturalis, & rationalibus creaturis conferatur, ut supernaturaliter Deum colant, atque pervenire valeant ad beatitudinem, non autem ut habeant quod requiritur ad naturalem constitutionem; constituit *gratiam* altioris ordinis, & a muneribus creationis distinctam: & hæc est gratia, quam cum Pelagio nusquam Bajus agnovit in primo homine. Testem appello Bellarminum, Vasquesium, Turrianum, Suarez, Martinez, ceterosque Theologos præstantissimos, de quibus in priori hujus dissertationis capite. Atque hæc sunt, propter quæ meam, & Fulgentii Bellelli opinionem circa *status puræ naturæ impossibilitatem*, censura dignam esse pronuntiat, tanta judicii sui æstimatione, tanta præsumptione animi, tanta confidentia, ut articulum secundum his verbis absolvat, *Eadem utrumque censura dignum esse, non est dubitandi locus*; quando nullus est dubitandi locus, quin omnia accusationis suæ capita figmentis, antilogiis, mendaciis, injuriis, ineptiisque sint plena. At in libris meis vindicandis versatus sum hactenus: nonnulla de Operibus Fulgentii Bellelli subjicienda sunt modo.

CAPUT III.

Eximius Theologus Fulgentius Bellelli ab illata Bajani erroris calumnia ob ea, quæ docuit de prima hominis conditione, defenditur, & purgatur.

SI damnatum Baji dogma circa primi hominis Angelorumque integritatem in hac una propositione, *Impossibilis est status puræ naturæ*, prout inquit accusator, innovaretur; nulla mihi ratio suppeteret, qua Theologum præstantissimum ab errore Bajano immunem, atque alienum fuisse, apertissime demonstrarem. Revera enim Theologus noster priori Opere *de statu creaturæ rationalis ante peccatum*, integro libro tertio, ac per viginti & octo capitula, altero item Opere *de modo reparationis*, lib. IV. cap. 18. & sequentibus, necnon in confutatione triceſimæ quintæ propositionis Quesnellii, statum illum *impossibilem* esse propugnavit. At quoniam nostrates omnes, aliique permulti idem omnino sentiunt, & objecta a Baji articulis petita quamfacillime diluunt; operosum non erit, nec perdifficile virum doctissimum, atque ornatissimum ab eadem Bajanismi nota, quam longe a me propulsavi, iisdem argumentationibus vindicare. Immo si quis ea, quæ de vicesimo septimo Baji articulo in hac dissertatione dicta sunt, absque ullo partium studio ponderare velit; haud vereor, quin existimaturus sit viri sapientissimi, simulque Augustinensium ceterorum vindicias jam absolutas esse, ac perfectas. Si autem alicujus animo hæreat adhuc sinistrum de Fulgentio Bellelli judicium; oro illum, atque obtestor, ut iterum perlegat quæ de sensu præcitati articuli docent summi Theologi primo in capite laudati, & cum iis conferat, quæ nunc a me ex ejusdem Fulgentii Operibus proferentur.

§. I.

Fulgentius Bellelli supernaturalia dona in prima rationalis creaturæ constitutione non denegat.

SEnsus pravus, in 27. propositione Baji proscriptus, est primum hominem, & Angelos nequaquam a Deo conditos fuisse cum donis naturæ superadditis, sive supernaturalibus.

Mens August. de statu creat. ration. ante peccatum pag. 5.

I. Contra Fulgentius Bellelli initio Operis de statu creaturæ rationalis ante peccatum, quæstionem instituit, num Angeli, & Adam *in gratia gratum faciente, seu sanctificante & habituali*, primitus conditi fuerint & constituti; atque affirmantem partem eligit, firmatque omni genere argumentorum.

II. De illa autem gratia *habituali* cap. 4. libri 1. ejusdem Operis, postea quam supernaturalem fuisse evicit locupletissimis argumentis, *Videant ergo*, inquit, *quam longe a veritate discesserint qui pro gratia, in qua conditus est primus homo, quamdam naturalem rectitudinem intelligunt. Quomodo enim erit* naturalis *rectitudo Spiritus Sancti donum?* Quæ utique verba e diametro Bajanis assertionibus opponuntur. *Ibidem pag. 13.*

III. Hujus generis sunt, quæ scribit cap. 9. *Unde habet elevationem anima sine sanctificante gratia, ut virtutes supernaturales in sinu suo complectatur?*

IV. Capite itidem 22. *Hinc vero liquet, quam falso Bajus originalem justitiam totam naturalem commentus sit: constat enim eam fuisse supernaturalem ex parte saltem, seu ut dici solet inadæquate, qua parte scilicet gratiam sanctificantem, & virtutes infusas tamquam præcipua ornamenta includebat. Quapropter non immerito hæ ipsius propositiones a Pio V. proscriptæ fuere, &c.* Enumerat eo loci articulos Baji ad primam conditionem spectantes, quos inter vigesimus septimus, *Integritas primæ creationis, &c.* *Ibidem pag. 37.* *Ibidem pag. 109.*

V. Proximum quoque caput his verbis aggreditur: *Quantum vero Bajus a recto veritatis, & Augustini tramite exorbitavit in extremum errorem declinando, ut assereret conditæ primitus creaturæ rationali gratuita dona naturalia fuisse, &c.* *Ibidem pag. 110.*

VI. In confutatione propositionis 35. Quesnellianæ his verbis priorem paragraphum insignis auctor absolvit: *Ultra gratiam creatæ naturæ, atque debitas eidem proprietates, quæ naturalis sunt ordinis, gratia insuper supernaturalis, & salutaris, cum sanctificans, tum etiam auxiliatrix, secundum Orthodoxam fidem, a S. Augustino exposita, proscriptisque Bajanis erroribus directe contraria, in primo homine est confitenda.* *In Propos. Quesnel. pag. 97.*

VII. Differens *de natura pura* in priori Opere cap. 12. & explicata elevatione Imaginis Dei ad media, quibus finem ultimum potest assequi, ait: *De hac elevatione, quæ scilicet per gratiam filiorum habetur, quæ homines divinæ naturæ consortes, & participes efficit, Summi Pontifices loquuti sunt, cum vigesimam primam Baji propositionem damnarunt, quæ talis est:* Humanæ naturæ sublimatio, &c. *De statu creat. ration. pag. 417.*

§. II.

Nullibi idem Auctor dona gratiarum inter naturæ proprietates connumerat.

JUstitia, integritas, immortalitas, aliaque gratiarum dona homini, & Angelis in prima conditione collata, juxta Bajum fuerunt proprietates naturæ, eidemque naturæ ita proportionata, ita debita, ut illorum donorum privatio nihil sit aliud, quam privatio naturalium bonorum, cujusmodi est cæcitas, surditas, ægritudo.

I. At nostri instituti Theologus ubique affirmat justitiam originalem, dona *supernaturalium* gratiarum complectentem, non fuisse debitam homini vel Angelis tamquam *naturalem proprietatem*, ut inquit in dissertat. *de statu puræ naturæ* cap. 19. 20. 21. 23. necnon *de modo reparationis* lib. IV. cap. 18. aliisque in locis. *Te statu creat. rat. pag. 455. 459. 465. 470. 478.*

II. In decimo octavo capite, quod nuperrime laudavi, *Nec obest*, inquit Theologus præstantissimus, *quod ipse gratiam debitam humanæ naturæ asseruerim, cum sæpius & repetito stylo adversus Bajum inculcaverim, debitam fuisse, non tamquam proprietatem, sed tamquam supernaturale altioris ordinis adjutorium ex lege justissimæ Providentiæ, quæ nequit æquo jure obligare impotentem. Patet itaque quod debitam dixerim, non naturæ secundum se inspectæ, sed quatenus sub divinæ Providentiæ dispositionibus constituitur. Quemadmodum lib. 3. cap. 18. edit. Lucernæ pag. 450. cap. 19. pag. 452. 455. 458. 459. cap. 21. pag. 465. 468. 469. 471. 472. 473. 474. & alibi etiam a me scriptum invenietur.* *De modo repar. pag. 215.*

III. Scripserat initio ejusdem cap. 18. *Bajus primum hominem* de facto *in pura natura fuisse conditum docuit, cui tamquam naturales proprietates fidem, spem, caritatemque asseruit debitas; naturalem quippe illi esse voluit sanctitatem, naturalem adoptionem, naturalem exaltationem in divinæ naturæ consortium, naturalia denique merita, quibus naturalis etiam inesset vis æternam adipiscendi mercedem. Idque non ex dubiis conjecturis, sed ex ejusdem proscriptis thesibus clarum est & perspicuum, quemadmodum legenti primam, 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 21. 23. 24. & 26. ex ejusdem damnatis propositionibus aperte constabit. Vide etiam infra Parte 2. ad Propos. 34. Quesnellii.* *De modo Reparat. pag. 212.*

IV. Hujus Quesnellianæ propositionis confutationem ad hunc modum egregius vir exorditur: *Rejicitur hæc propositio, quæ obvio, & naturali sensu Bajano suffragatur errori, aut de ipso saltem suspecta est. Gratiam enim Adami illis verbis exprimit, quibus significari a philosophis solent congenitæ naturæ proprietates. De his nimirum vulgato axiomate dicunt:* Qui dat esse, dat con-

conſequentia ad eſſe. *Si igitur Adam gratia nomine* ſequelæ creationis *exponitur, jam tamquam creatæ naturæ proprietas, ex intimis ejuſdem naſcens, admittitur.*

V. Idem accuſator ait, Fulgentium Bellelli affirmaſſe, quod originalis juſtitia ſupernaturalis fuerit ex ea ſaltem parte, *qua gratiam ſanctificantem, & virtutes infuſas tanquam præcipua ornamenta includebat*, proferens ejus verba, de quibus ſuperiori §. num. 4. Vide *Bajaniſmum Redivivum* pag. 189. & 231.

In Prop. Queſnell. pag. 95.

§. III.

P. Bellelli gratiam ſanctificantem in ſtatu quoque prioris conditionis ad meritum æternæ vitæ neceſſariam fuiſſe docuit.

IN ſenſu Baji ſine ullo reſpectu ad *gratiam adoptionis* poterat primus homo vitam æternam promereri, & hæc illi naturali lege debita erat, non propter Spiritum Sanctum inhabitantem, ſed tantummodo propter ordinationem naturalem initio creationis conſtitutam.

I. Fulgentius autem Bellelli *de ſtatu creaturæ ration.* lib. 1. cap. 2. docet, *neminem poſſe merito proprio jus ad gloriam, tamquam coronam & mercedem adipiſci, niſi in juſtitia & ſanctitate, qua juſtus, & ſanctus eſt, uſque in finem perſeveret*: ex qua meriti prænotione infert Angelos, hominemque a Deo conditos fuiſſe *cum gratia ſanctificante, quæ non eſt naturalis rectitudo, ſed Spiritus Sancti donum.*

De ſtatu creat. rat. pag. 10.

II. Diſtinguit lib. 3. cap. 12. elevationem *ad finem* ab elevatione *ad media, quibus eſt comparandus*: inquit elevationem illam pertinere ad ipſam naturam, *quæ imago Dei eſt, & in nullo, niſi in Dei poſſeſſione, poteſt eſſe quieta*; ſed elevationem alteram *haberi per gratiam*, quoniam beatitudinem tam excellentem promereri, & *adipiſci* mens creata non poteſt, *niſi ſupernaturali adjutorio*, & niſi caſto amore adhærens Deo, *ad filiorum ipſius adoptionem* elevetur. Id vero idem eſt, ac aſſerere, beatitudinem eſſe homini *connaturalem* quoad appetitum, non autem quoad aſſecutionem.

Ibidem pag. 415.

III. Libro 2. cap. 10. differens de meritis creaturæ rationalis ante lapſum, *Recte*, inquit, *merita illa gratia vocantur, quæ non ſine magna gratia fieri potuere: quamvis autem ea dona magna fuerint, nunc profecto majora ſunt, quia majoribus donis adjuvanda remanſit infirmitas.* Eo loci Bajanas propoſitiones, quibus merita primi hominis *naturalia* dicuntur, recenſet, atque refellit.

Ibidem pag. 207.

IV. Eadem repetit, & inculcat in confutatione propoſitionis triceſimæ quartæ Queſnelli, *Gratia Adami non producebat niſi merita humana*; ubi Bajanis quoque articulis ſingillatim diſpunctis concludit: *Ex his autem Baji damnatis erroribus liquidiſſimum eſt, in Angelis eum, primoque homine, Adamo ſcilicet, merita tantum naturalia, ſeu nomiſi naturalia aſſeruiſſe, quorum ſcilicet principium fuerit, non vera gratia, non ſuperna, ſed naturæ ſanæ, & integræ debita, ac proinde naturalis ordinis, ut ſunt creatæ naturæ congenitæ proprietates. Optimo igitur jure Queſnelliana propoſitio damnata fuit*, Gratia Adami non producebat niſi merita humana. *In illa nimirum Bajanus error propriis coloribus pictus conſpicitur.*

In Propoſ. Queſnel. pag. 83. & ſeq.

§. IV.

Gratiam, aliaque dona ſupernaturalia Auguſtinianus Theologus agnovit in prima Angelorum & hominis conditione.

IN ſenſu Baji primus homo neque ſupernaturalibus virtutum habitibus donatus fuit, ut Deum *ſupernaturaliter* coleret; neque indigebat auxilio gratiæ *ſupernaturalis* ad ſervandam legem, & ad beatitudinem conſequendam.

I. Secus in ſententia Fulgentii Bellelli; qui *de ſtatu creat. ration.* libro 1. cap. 2. amplectitur & probat ſententiam Eſtii in 2. diſt. 25. docentis juſtitiam originalem fuiſſe *aggregatum plurium habituum, atque virtutum*: inter hos habitus priori loco *gratiam ſanctificantem, deinde virtutes ceteras, quæ in animo ſedem habent*, enumerat; affirmatque Bajum falſo originalem juſtitiam *totam naturalem* commentum eſſe, naturalia munera appellando *gratiam ſanctificantem & virtutes infuſas.*

De ſtatu creat. rat. pag. 108. & 109.

II. Demonſtrat item in altero libro, *Angelos & Adam ſine gratuito adjutorio in collata ſibimetipſis primæva rectitudine, etiam ſi voluiſſent, non potuiſſe perſeverare*, de ejuſdem adjutorii qualitate, ejuſque diſcrimine ab illo, quod in hoc miſeriarum ſtatu imprandum eſt, magna eruditionis, & argumentorum copia pertractans.

Ibidem pag. 145.

III. Neque ob aliam cauſam cenſet ſtatum naturæ, quam *puram* dicimus, impoſſibilem, niſi quia creatura rationalis tenetur Deum in quolibet ſtatu ſuper omnia diligere, *id vero non poſſe ſine gratiæ adjutorio*, putat rem eſſe in Auguſtino exploratiſſimam; & quia *ad viſionem Dei, quæ ſumma gratia eſt, ſine gratia pervenire poteſt nemo.*

Ibidem lib. 3. pag. 260. 408.

IV. Agens rurſus de ſtatu *puræ naturæ* in Opere *de modo Reparat.* lib. IV. cap. 17. idcirco *lege* quadam *juſtitiæ*, non autem *ut ſequelam creationis*, aut naturæ partem vel proprietatem, gratiam Adamo fuiſſe debitam aſſerit, propterea quod *lege ſua Adamum Deus, ſicut & poſteros, ad credendum, ſperandum, ipſumque ſuper omnia diligendum, ad perſeverandum in bono, ad cæleſtem denique beatitudinem per merita comparandam, obligaverat*: quæ omnia abſque donis ſupernaturalibus haberi nequeunt.

De modo. Reparat pag. 210

§. V.

Idem Theologus dona Adæ collata gratiam proprie dictam fuiſſe commonſtrat.

DEmum in ſenſu Baji dona primo homini collata Pelagiano ſenſu dicuntur *gratia*, ideſt, quomodo *non improbanda ratione* gratia appellantur ipſa natura, in qua conditi ſumus, ejus facultates, & cetera creationis munera.

I. Verumenimvero Fulgentius Bellelli de gratia, quæ naturæ limites tranſcendit, agere ſe declarat abſque ulla ambage verborum. *Ratio enim dictat* (inquit de modo Reparat. lib. IV. cap. 18.) *ſupernaturales, ſeu ſalutares actiones ſemper, & in quocunque ſtatu ſuper naturæ vires eſſe cenſeudas. Hoc enim ipſo ſupernaturales dicuntur, quoniam ſupra naturæ vires ſunt. Igitur ſive lapſus homo ſit, ſive integer, ſive gratiæ veræ adjutorio pie, & ſalutariter viveve numquam poteſt.*

Ibidem pag. 213.

II. In confutatione propoſitionum Queſnellii demonſtrat neceſſariam fuiſſe naturæ innocenti gratiam ſupernaturalem, ac producto canone 19. Synodi Arauſicanæ ait: *Utriuſque naturæ integræ, & lapſæ indigentiam, & gratiam contextim ſynodus exprimit, ſine qua ſalutem non potuit cuſtodire, quam accepit, & ſine qua non potuit reparare quod perdidit; atque hujus neceſſitatem deducit ex illa. Qui porro dicat ſacram ſynodum a S. Romana Sede probatam, quamque Bajani ipſi, & Janſeniſtæ plurimi faciunt, ita ſibi incohærentem fuiſſe, ut a gratia* naturali *naturæ integræ, pro aſſerenda gratia* ſupernaturali *naturæ lapſæ duxerit argumentum?* Hinc infert argumentationem Patrum Arauſicanorum fuiſſe invictiſſimam, *Quoniam utrique, integræ ſcilicet, & lapſæ naturæ, ſupernaturalis gratiæ indigentiam aſſerebant.*

In Prop. Queſnel. pag. 87.

Ibidem pag. 88.

III. Proxima pagina hæc leguntur: *Gratiam profecto primo homini innocenti largitus fuit, non quamcunque, ſed magnam. In illo enim ex Auguſtini ejuſdem confeſſione lib.* IV. *contra Julianum cap.* 16. *num.* 82. *& alibi*, Gratia Dei magna erat. *Porro* gratiam *tam diſerte a* natura *contradiſtinctam, tam mirifice exaggeratam, & proculdubio ſupernam, quis mentis compos dicat non produxiſſe merita niſi humana?*

IV. Nonnullis inſuper Auguſtini verbis recitatis, hæc Fulg. Bellelli paullo poſt ſcribit: *Quis non intelligat, donum gratiæ ſupernaturalis liberæ naturæ ſuperadditum?* Et paucis interjectis: *Tam clare* Auguſtinus *naturam a Gratia in Angelis, & Adamo diſtinguit, ut nullum penitus dubitandi locum relinquat.* Alia eo loci habentur non minus aperta, & perſpicua, de quibus §. 1. num. 6.

Ibidem pag. 97.

CONCLUSIO.

In Fulgentii Bellelli Operibus non defenditur, ſed refutatur error Michaelis Baji circa integritatem primæ conditionis, qui error in viceſimo ſeptimo articulo, atque in aliis cum illo connexionem habentibus, continetur.

DEMONSTRATUR.

Quiſquis fatetur, & docet Angelos & primum hominem conditos fuiſſe cum *gratia ſanctificante*, aliiſque donis *naturæ ſuperadditis*, atque hæc dona fuiſſe debita naturæ, quemadmodum ei debentur *naturales proprietates*, conſtantiſſime negat, in quolibet autem ſtatu ad meritum vitæ æternæ requirit *gratiam adoptionis*, & Spiritum Sanctum inhabitantem, & ad ſupernaturalia opera perficienda adjutorium gratiæ actualis; hanc vero gratiam a *muneribus creationis* diſtinctam, iiſque præſtantiorem, ordiniſque ſuperioris, ſupernam, neque ad naturalem conſtitutionem, ſed ad ſupernaturalia beneficia pertinentem agnoſcit: is quidem non adſtruit, non approbat, non propugnat, ſed reprobat, damnat, & refellit errores Baji circa primæ conditionis integritatem. Hæc propoſitio demonſtrata eſt primo capite hujus diſſertationis.

At

At Fulgentius Bellelli in Theologicis Operibus a se editis ubique, & constantissime docet Angelos & Adam in priori conditione accepisse a Deo gratiam gratum facientem & habitualem, necnon habitus supernaturalium virtutum: hanc vero gratiam, has virtutes a natura, hujusque proprietatibus secernit, & super munera creationis extollit; affirmatque ulterius, ad comparandum vitæ æternæ meritum esse necessariam gratiam habitualem, & donum Spiritus Sancti inhabitantis, atque ad legem implendam gratiam auxiliatricem, a naturalibus arbitrii viribus, & a qualibet naturali qualitate distinctam, magnam, supernam, supra naturæ ordinem collocandam. Hæc propositio constat ex apertissimis hujus Theologi testimoniis paullo supra productis.

Igitur Fulgentius Bellelli in Operibus Theologicis a se in lucem editis non approbat, non propugnat, non defendit, sed reprobat, damnat, refellit errores Baji circa primæ conditionis integritatem.

§. VI.

Ad ea, quæ adversus Fulgentium Bellelli ab Anonymo producuntur ad comprobandam illius cum Bajo consensionem in iis, quæ spectant ad primæ conditionis integritatem.

PLura quidem, eaque in sex paragraphos distributa, in virum eruditissimum Fulgentium Bellelli profert inurbanus ac rigidus Animadversor, ut eximium Theologum Bajo consentire demonstret in iis, quæ pertinent ad bona gratiarum Angelo, & homini in prima conditione collata. Verum cum omnia innixa sint falsæ accusatoris opinioni, quod Bajanus error comprehendatur in hac propositione, *Impossibilis est status puræ naturæ*, quæ a nostratibus inculpate semper in Belgio, in Germaniæ Provinciis, in Italia, in Galliarum quoque lyceis, tum publicis thesibus ab Universitatum Rectoribus approbatis, tum libris Romæ, Neapoli, Veronæ, Lovanii, Tolosæ, Norimbergæ, aliisque in locis cum censorum judicio, & superiorum auctoritate procusis, propugnata hactenus fuit; cum denique ex dictis in primo hujus dissertationis capite nulla inter errores Baji, & propositionem illam reperiatur connexio: singula adversarii objecta, fundamento subverso, corruunt, & conteruntur. Neque sententiæ suæ monumenta Fulgentius noster ex Episcopo Iprensi mutuatus est, ut pag. 180. inquit Anonymus; sed ex Catholicis, & Orthodoxis scriptoribus, quos supra commemoravi. Enimvero quæ demonstrant rationalem creaturam ad finem supernaturalem fuisse elevandam; ea consequuntur suapte natura ex appetitu beatitudinis nobis ingenito, quemadmodum fatentur adversariorum nostrorum complures; & jam antea a Fulgentio Fosseo, a Friderico Gavardi, a Petro Clenaertio, a Benigno Sichrovvscki, & ab Augustinensibus aliis fuerant producta. Quæ autem spectant ad concupiscentiam, ceteraque hujus vitæ miserias, Gregorius Ariminensis, Norisius, Macedo, aliique plurimi præmonstraverant. Etsi autem Jansenius statum *puræ naturæ impossibilem* existimavit; non omnia tamen, quæ Jansenius scripsit, damnata sunt, ut idem Fulgentius Bellelli scite animadvertit his verbis Christiani Lupi viri eruditissimi adductis: *Fore video, ut si cum Jansenio, aut Luthero Apostolicum Symbolum, vel Dominicam orationem fuero professus, protinus de ipsorum scabie apud istum Judicem sim reus*. Epist. ad Henricum Noris cap. 5. ad 10. accusationem. Verum per singula Anonymi objecta, ne quis ea putet firmissima atque invictissima, in hac postrema dissertationis parte discurram.

Vide Opera Frider. Gavardi to. IV. pag. 364. edit. Neapol. Fulgent. Lafosse to. 3. pag. 51. edit. Tolosæ, Benigni Sichrovvscki Volum. 3. de Justif. pag. 110. edit. Norimbergæ, de Lovanien sibus supra, cap. 1.

In Propos. 34. Quesn. §. 4. pag. 93.

I. Ergo paragrapho 1. Accusator Fulgentium Bellelli ut Bajanistam traducit, *quod nullum medium admiserit inter cupiditatem & caritatem proprie dictam, qua Deus diligitur propter se, quæque omnes superat naturæ vires*, iis repetitis, quæ in priori disputatione fuerunt ponderata, & discussa. Appellat *Bellellina* argumenta *vana, tædiosa, plenaque sophismatibus*, propterea quod F. *Bellelli* supponat Deum non posse diligi super omnia, in quocunque statu, *solius naturæ viribus*, & peccata esse, *non solum venialia, sed etiam lethalia*, opera omnia, quæ ad Deum finem ultimum minime referuntur; quæ sententia falsa est & absurda, cum Theologi Orthodoxi, inter quos Sylvius 1. 2. quæst. 1. art. 6. §. 2. doceant, *necessum non esse, ut omnia, quæ deliberate vult homo, velit propter Deum*: ideoque futiles esse *argutias*, aut potius *ineptias*, eas, quas Theologus noster profert *ad enervandam Bullarum Pontificiarum adversus errores Baji auctoritatem*. Carpit præterea adversarius P. Bellelli doctrinam, quoniam juxta hanc debuit creatura rationalis *destinari ad visionem Dei intuitivam*, & consequenter illi auxilia conferenda erant, quibus sempiternam vitam sibi compararet: qua in re abutitur, inquit, Theologus noster ea voce *Imaginis Dei*, quæ competit ipsimet creaturæ rationali; siquidem per *Imaginem Dei* nequaquam intelligit creaturam rationalem liberaliter & gratuito ordinatam a Deo ad finem supernaturalem, quo utique sensu illi, supposita hac ordinatione, debentur auxilia gratiarum: sed contendit *F. Bellelli* creaturam rationalem, eo ipso quod est rationalis, *ad illam beatitudinem esse ordinandam*: quum Orthodoxi Theologi doceant potuisse Deum ordinare ipsam creaturam rationalem in beatitudinem *ordinis naturalis*, & in visionem, quam Theologi *abstractivam* appellant: a quorum sententia recedit *F. Bellelli* contendens ad quietem, & beatitudinem Imaginis Dei *abstractivam illam cognitionem minime sufficere*. Hæc omnia testimoniis Bellelli censor demonstrat, quæ ideo prætermitto, quoniam necessum non est demonstrare an revera id vir eximius docuerit, quod nos ultro, libenterque fatemur. Concludit autem paragraphum primum Anonymus asserendo Theologum nostrum *captiosam* illam ratiocinationem, quod nempe *Imago Dei* nequeat quiescere in cognitione *abstractiva*, mutuatum fuisse ab ipsomet Bajo, cujus assertionem damnans Facultas Theologica Lovanien sis, inquit: *Servili conditione facere hominem potuit* (Deus) *qui pro suis obsequiis aliam nullam mercedem expectaret; ac tametsi non potuisset alicujus suæ felicitatis fine frustrari, longe minoris tamen beatitudinis inseri potuit appetitus, ut sublimiore illa, nulla molestia, careret*.

2. p. Operum Baji pag. 163.

Hucusque verba & verba, & nihil præter hæc audivi. Fulgentium Bellelli agnovisse medium inter caritatem *habitualem*, & cupiditatem item *habitualem*, nec denegasse actus virtutum, quæ a caritate distinctæ sunt, ostendimus in superiori dissertatione: ideoque ejus sententia longe discrepat a Bajana, quæ duo tantum adstruit actionum humanarum principia, *la charité habituelle, & la cupidité habituelle*, prout centum Galliarum antistites contestantur. Vitavit quoque Augustinensis Theologus accuratissimus alios omnes erroneos, pravosque sensus delitescentes in 38. Baji articulo, prout laudata dissertatione evidentissime demonstravi. Quod vero argumenta eruditissimi viri dicantur ab adversario *vana*, *tædiosa*, & quæ *sophismatibus* scatent, nil mea refert: neque enim illorum, qui accusationem factitant, & crimina moliuntur, verba plurimi sunt facienda; & *accusatio*, ut ajebat Cicero pro Cælio, *crimen desiderat, rem ut definiat, argumento probet, teste confirmet*. At quænam argumenta nostratium plena sint sophismatibus, atque inania, accusator iste non definit, nec probat, nec aliorum testimonio confirmat. Quod an faciat affectus tædio, an difficultate ipsorum argumentorum superatus, ignoro penitus. Præmittit quidem magno verborum apparatu, sed inani molitione, eorumdem argumentorum capita, *ineptias*, & *argutias* appellitans quæ sunt assertiones gravissimæ, atque Augustinianæ sententiæ fontes uberrimi. Hujus generis est opinio Theologi nostri, quod Deus nequeat diligi *super omnia* solius naturæ viribus: quæ opinio non est *falsa*, & *absurda*, immo nec nova, quidquid obstrepet calumniator: sed verissima est, perantiqua, & consona sacris litteris, quæ tota mente, animoque Deum diligentibus promittunt æternam vitam; ne illius sententiæ quælibet argumenta producam, quæ a me alibi collecta sunt, atque a viro etiam præclarissimo urgentur, exornantur, & vindicantur. Alterum, quod fastidioso stomacho Anonymus deglutire non valet, est quod Fulgentius Bellelli magna probabilitate defendat, deliberata quælibet opera referenda esse *in Deum finem ultimum*: quod utique nostrates omnes propugnant, non ita tamen, ut asserant esse *intrinsecus* peccata, & *a noxia cupiditate* vitiari quæcunque in Deum caritate non diriguntur. Atque hæc duo, non referri in Deum, & labefactari cupiditate, ubique permiscet & confundit conviciorum consarcinator. Plura autem de his in prima dissertatione dicta sunt; plura item in ea, quæ proxime consequetur, dicenda erunt. Interim aliud a nostratibus sentire Theologos quosdam *Orthodoxos*, non diffitemur: *Orthodoxos* non esse qui sentiant nobiscum, pernegamus, ostensuri posthac, quantos Theologos clarissimos, probatissimosque hujusmodi conviciandi ratio proscindat. Postremo quod creatura rationalis, & *Imago Dei*, ut rationalis est, appetat *intuitivam Dei visionem*, & hæc *sit finis hominis naturalis* quantum ad appetitum, & *supernaturalis* quantum ad consecutionem, innumeri Theologi tradiderunt: *argutiæ* istæ non sunt, optime & humanissime Censor, *ineptiæ* non sunt, *commenta* Baji non sunt. Hæc Bellarminus, hæc Scotus, hæc S. Thomas, hæc sensus Scholasticorum communior nos docuerunt. Hinc vero consequi quod *Imago Dei* quiescere non possit in cognitione, quam Theologi vocant *abstractivam*, fatetur Suarez, affirmat Sotus, demonstrat Recupitus; perlege horum, aliorumque testimonia a me capite primo collecta; inquire, si malæ fidei homo tibi videor, auctorum quos commemoravi libros, & commentaria: expende num

In accept. Constitut. Unigenitus an. 1720. ar. 4. de Virtut. Theologicis.

De Theolog. discipl. tom. 3. pag. 405. & de stat. creat. rat. ante peccatum pag. ....

Bajan. Rediv. pag. 180.

inter Orthodoxos inveniantur, qui doceant Imaginem Dei, & creaturam rationalem quiescere nunquam posse *in cognitione Dei abstractiva*: cumque omnia perlegeris, & ponderaveris; dic, si lubet, Fulgentium Bellelli *captiosam ratiocinationem* mutuatum fuisse a Bajo; redarguent enim temeritatem tuam ii omnes, qui modo ignorantiæ tuæ miserentur. Nec est quod confugias ad expositionem Joannis Lensæi, quam nomine Universitatis Lovaniensis frequentissime laudas: in ea quippe expositione plura verissima continentur, plura tantummodo probabilia: sufficiatque brevis hæc & summaria responsio, nunquam a Facultate Lovaniensi damnatum fuisse, quod in illa Universitate approbantibus Rectoribus semper ad hanc usque diem fuit propugnatum: cujus generis esse *impossibilitatem status puræ naturæ*, demonstravimus paullo supra.

Bajan. Rediv. pag. 187.

II. In altero §. auctor Bajanismi Redivivi, ait *plures proscriptam* fuisse doctrinam illam, quæ asserit *ordinationem ad visionem Dei intuitivam*, & consequenter media ad illam consequendam necessaria fuisse *debita primo homini*, atque hanc doctrinam innovasse Fulgentium Bellelli, etsi Bajum *fraudulenter objurgat, arguit, & increpat*. In eo sitam esse F. Bellelli fraudem obtrectator affirmat, quod Augustinianus Theologus docuerit *creaturæ rationali debitam non fuisse gratiam habitualem, & virtutes infusas*. Obiter notat, *Fratrem Bellelli*, dum vult adversus Bajum gratiam *habitualem* & virtutes infusas fuisse supernaturales, eo ipso velle eas fuisse indebitas; *nam vox ista*, Naturale, inquit pag. 190. *idem sonat ac debitum, similiter ista*, Supernaturale, *idem significat ac indebitum*. Addit Bajum nullibi asseruisse, gratiam *habitualem*, & virtutes infusas *debitas fuisse primo homini*, cum potius in dubium revocaverit, an homini illas Deus revera concesserit, ut constat ex cap. 2. Opusculi de caritate. Miratur propterea, quod *Frater Bellelli* talem *frontem* habuerit, ut Bajo falsam doctrinam adscripserit, quo damnatas theses in alienum sensum detorqueret, atque censuram Pontificiam vitaret. Concludit hoc paragrapho, *Fratrem Bellelli turpiter falli, cum talibus effugiis ceteros putat fallere*.

Facillime hæc diluuntur ex dictis; nunquam enim proscripta fuit sententia, quæ docet hominem absque *intuitiva Dei visione* futurum fore miserrimum; quoniam nunquam proscripta fuit sententia altera, quæ propugnat ipsam visionem *intuitivam* esse finem imaginis Dei *connaturalem*, quoad inclinationem & appetitum; sed ea tantummodo opinio damnata est, quæ asserit media necessaria ad visionem illam consequendam fuisse homini a Deo condito & integro naturalia, proportionata naturæ, eique debita, quomodo debentur proprietates, quæ ex ipsa natura bene constituta oriuntur, ut inquit Bellarminus, de quo cap. 1. §. 1. Nec Fulgentius Bellelli gerit sese fraudulenter, dum inquit damnatum Bajum, propterea quod dixerit *gratiam habitualem, & virtutes infusas, debitas primo homini*: id enim, quod vir præclarissimus, quantum attinet ad gratiam *habitualem*, scripserant Gonetus, Estius, Norisius, aliique plurimi, imo & ipse Anonymus pag. 69. qui hæc non objiceret & recoqueret, si memoria polleret tenaciori. Mirandum vero non est, hæsitasse Bajum an gratia *habitualis & virtutes infusæ* sint admittendæ, quando eas inter naturalia dona, & proprietates naturæ adhuc integræ adnumerandas esse putavit: sed hoc potius, multumque mirandum, illos tanquam Bajanistas traduci, qui illam gratiam, virtutesque supernaturales, atque a naturæ bene constitutæ naturalibus qualitatibus plurimum discrepantes esse fatentur. At de his plura capite præcedenti, in quo gerras istas, & cavillulas dissipavi. In his autem, quæ Anonymus subjicit, *Vox ista*, Naturale, *idem sonat, ac debitum*: *similiter ista*, Supernaturale, *idem significat, ac indebitum*, nemo non videt pertenuem ac fallacem accusatoris hujus memoriam, simulque doctrinam parum alienam ab illo eodem errore, cujus alios insimulat, & proculdubio falsissimam. Pagina enim 73. *Bajanismi Redivivi* docet auctor creationem primi hominis ampliori significatione vocari gratiam, *Cum sit beneficium gratuito concessum a Deo, utpote quod potuisset non concedere*. Sunt ergo beneficia quædam gratuita, ideoque *non debita*, cujus generis sunt munera creationis, quæ tamen non sunt dona *supernaturalia*. Addit eo loci accusator memoriosissimus, *Gratia etiam dici potest omne beneficium indebitum creaturæ concessum, etiamsi ordinem naturalem non excedat*. Debitum itaque non idem sonat, ac *Naturale*. En singularis, quem innuebam, memoriæ lapsus. Manifestum insuper est ex cap. 1. §. 3. Bajum appellasse dona collata primo homini *gratiam*, sed in sensu ampliori, & *non improbanda ratione*, quatenus non debebantur meritis præcedentibus, & gratuita Dei bonitate collata fuerunt, & nihilominus in sensu Baji illa dona erant *supernaturalia*. Verum si idem significat *supernaturale*, ac *indebitum*; collata primis parentibus dona, errore Baji salvo atque immuni, dici poterunt supernaturalia, quoniam latente Bajo fuerunt *indebita*: immo supernaturalia dona dicenda erunt natura, creatio, liberum arbitrium, & gratia Pelagianorum; non debita, sed *gratuita Dei bonitate donata*. Falsissima proinde est illa *indebiti*, ac *supernaturalis* promiscua significatio, ex qua sequeretur non fuisse naturalia, sed supernaturalia, corpus, animam, pulchritudinem, juventam, robur, paradisum voluptatis, dominium supra feras, & volucres, aliaque plura naturalis ordinis, quæ primo homini nullatenus erant debita. Quapropter inter supernaturale & indebitum ita distinguendum est, ut *indebitum* dicatur, quod non debetur præcedentibus meritis, sive naturalis ordinis illud sit, sive naturalem ordinem transiliat; *supernaturale* vero dicatur, quod pertinet ad naturalem rerum constitutionem, neque a natura promanat, neque ab aliqua naturali causa, ejusque solitaria virtute potest produci, atque id etiam a Magistrio traditum esse constat ex cap. 1. §. 6. num. 2. Nec ergo fallit, nec fallitur quisquis hæc docet: sed potius adversarius, ut phrasi utar Terentiana, *fallacia alia aliam trudit*. Non desunt præterea Theologi præstantissimi asserentes non requiri ut aliquid sit *vere gratia, ac beneficium indebitum*, nobisque per Christum divina misericordia præparatum, quod sit ordinis supernaturalis, sed gratiam distinguunt in supernaturalem, ac naturalem; pro qua sententia laudantur a Basilio Poncio Select. de Grat. pag. 53. & 69. Ægidius in 2. dist. 26. S. Thomas 2. 2. quæst. 136. art. 3. ad 2. Capreolus in 2. dist. 29. q. 1. Bellarminus lib. v. de Grat. & lib. Arbitrio cap. 7. Vasquez 1. p. disp. 88. cap. 1. & 1. 2. disp. 189. cap. 16. Molina in Concord. d. 14. & 35. Lessius de Aux. in Appendic. cap. 10. aliique permulti, de quibus eo loci Basilius Poncius. Verum id quoque ignoravit, qui ait, *Vox ista* Naturalis *idem sonat*, ac debitum.

Itaque ut ab eximio aliquo Theologo percipiamus, quo sensu *naturale* accipi debeat in ea quæstione, in qua de originali justitia, & de gratia primi hominis adversus Novatores pertractatur, adeamus clarissimum controversiarum Christianæ Fidei auctorem, Robertum nempe S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Bellarminum. Is de Gratia primi hominis cap. 5. demonstraturus rectitudinem, quam in creatione Adam accepit, fuisse *naturale donum*, ait multis modis dici aliquid *naturale*, quorum primi tres etiam supernaturalibus gratiarum muneribus competunt; ideoque docet quæstionem agitari de *naturali* juxta quartam propriamque significationem. Est enim *naturale* primo modo sumptum, quod habetur a nativitate: secundo modo quod est naturæ consentaneum, quodque ipsam naturam non destruit, sed ornat: tertio modo quod tametsi donum sit gratuitum, tamen naturam juvat, ac perficit in operibus naturalibus. His autem tribus modis explicatis, *Quarto naturale vocatur* (inquit Bellarminus) *quod aut est pars naturæ, aut fluit a principiis naturæ: qua significatione corpus & animus, facultates quoque tum sentiendi, tum intelligendi, atque operationes quæ ab eisdem facultatibus exercentur, naturalia esse dicuntur. Atque hæc est significatio, de qua hoc loco proprie disputamus, & naturali, hoc modo considerato, valde proprie opponitur supernaturale*. Ac paucis interjectis, *Jam igitur Adversarii censent, rectitudinem illam, in qua creatus est Adam, fuisse illi naturalem hoc ultimo modo, nimirum quod fuerit quædam sanitas debita naturæ, aptaque nasci ex ipsa natura bene constituta, idest, non corrupta: & nunc hominibus, qui eam rectitudinem amiserunt in Adamo, deesse bonum aliquod naturale, quale deesset pecudi si cæca, vel claudicans, vel febricitans nasceretur. Et si nunc alicui homini originalis illa justitia divinitus redderetur, dicerent eam esse donum supernaturale per accidens, non per se, ut diximus de oculis redditis cæco nato*. Eadem omnino cum hæreticis, adversus quos disputat Eminentissimus Bellarminus, sensisse Michaelem Bajum testatur Bellarminus ipse, citatus cap. 1. §. 1. num. 3. & hoc a nobis demonstratum est eodem cap. §. 3. num. 3. & 7. In his ergo controversiis, in quibus adversus hæreticos, & adversus Bajanistas tenemur asserere rectitudinem, atque integritatem primi hominis non fuisse naturalem, vox ista *naturalis* debet accipi, quatenus *naturale est pars naturæ, aut fluit a principiis naturæ*.

Bellarm. tom. 4. pag. 7.

Addamus Bellarmino Guillelmum Estium inter Theologos Scholasticos præstantissimum: qui dist. 25. secundi senten. libri, postquam plura argumenta præmisit, quorum aliqua videntur demonstrare gratiam angelorum ac primi hominis fuisse naturalem, aliqua vero, inter quæ comprehenduntur etiam Bajani articuli 21. 23. 24. 27. 53. & 76. in quibus enuntiatur & continetur proscriptum dogma, de quo nunc disputamus, ut inquit auctor *Bajanism. Rediviv.* pag. 3. & 76., evincunt gratiam illam fuisse supernaturalem, §. 4. propositam quæstionem solvit ac distinctione ei, quam

Estius tom. 2. pag. 293. edit. Paris.

quam attulit Bellarminus, ſimillima: „ Si naturale id dicatur, quod Deus indidit, aut contulit cuique rei quando naturam ejus inſtituit; hoc modo non dubitatur ab iis, qui hominem in gratia conditum docent, quin gratia fuerit ei naturalis: quomodo etiam corporis immortalitatem ei naturalem fuiſſe diximus ad diſt. 19. Rurſum ſi naturale dicatur, quod naturæ conſentaneum eſt, quodque eam ornat ac perficit, etiam hoc modo certum eſt gratiam non ſolum primo homini fuiſſe, verum etiam nobis eſſe naturalem, ut & ceteras etiam virtutes, ipſamque adeo vitam æternam. Quod ſi naturale vocetur, quod cuique ineſt a nativitate, ſive ſit naturæ bonum & perfectivum, ſive e contrario malum & noxium; hoc quidem pacto juſtitia & gratia primo homini naturalis erat, nobis autem peccatum, & gratiæ privatio naturalis eſt, juxta illud Apoſtoli Epheſ. 2. *Eramus natura filii iræ*. Verum præter hæc, & propriiſſime id dicitur naturale, quod eſt aut ipſa natura, aut pars naturæ, aut quod a naturæ principiis profluit, quodve in natura ſufficientem cauſam habet. Juxta quem modum corpus & anima, ſenſus, intellectus, ceteræque facultates animæ cum ſuis operationibus naturales dicuntur: quomodo etiam artes, ſcientiæ, ceterique habitus, qui ſolis naturæ viribus acquiri poſſunt, recte vocantur naturales. Hoc autem modo gratia non poteſt dici naturalis fuiſſe primo homini. Conſtat enim quod neque natura ipſa, neque pars naturæ ejus fuerit, neque potentia naturalis, neque habitus ejuſmodi, quem ſolis naturæ viribus acquirere poſſibile ſit. Sciendum autem inter quatuor modos jam enumeratos, quibus aliquid naturale dici conſuevit, ſolum poſtremum proprie opponi ei, quod dici ſolet ſupernaturale. Nam ei, quod primo, aut tertio modo naturale dicitur, id opponitur quod rei inſtitutæ, aut genitæ poſtea advenit, ſive naturaliter adveniat, ſive ſecus, & ſive bonum ſit, ſive malum. Ei vero, quod ſecundo modo naturale dicitur, opponitur id, quod eſt contra naturam. Cum ergo quæritur, utrum gratia fuerit primo homini naturalis, an ſupernaturalis, ſi ſupernaturale intelligas id, quod communiter Theologi intelligunt, neceſſe eſt naturale accipi in ea quæſtione poſtremo modo jam explicato. Quocirca ad quæſtionem ſimplex & abſoluta erit reſponſio, non naturalem, ſed ſupernaturalem primo homini fuiſſe gratiam.„ Hoc eſt Theologice loqui, & recte id, quod eſt *naturale*, percipere.

Bajan. Rediv. pag. 139. III. In tertio paragrapho illud Anonymus in Fulgentio Bellelli cenſoria animadverſione perſtringit, quod ideo ſupernaturalem dixerit beatitudinem, quia omnes ſuperat naturæ vires; affirmatque id nunquam fuiſſe negatum a Bajo, & idcirco vitari non poſſe hoc effugio Pontificiam cenſuram. Rodit inſuper, vellicatque diſtinctionem inter finem, & media, quorum unum Imagini Dei *naturalem*, hæc *ſupernaturalia* lib. 3. cap. 12. *de ſtatu creat. rat.* Auguſtinianus Scriptor aſſeruit. Hunc ſibi non conſtare pronuntiat, eo quod ſimul viſionem intuitivam *naturalem*, ac *ſupernaturalem* conſtituerit, naturalem quantum *ad appetitum*, *& inclinationem*, *quia ſola eſt naturæ rationalis requies*, *& beatitudo*; ſupernaturalem, *quoniam non eſt naturæ viribus aſſequibilis*, *ſed per ſuperaddita naturæ adjutoria*. Appellat hæc inanem verborum fucum, quo nemo *perlectari* debet, quum iiſdem cavillationibus uſus fuerit Janſenius, quem F. Bellelli perfecte imitatus nec a Baji doctrina recedit, nec declinat Pontificiam cenſuram. Provocat demum virum in pace dormientem, ut indicet quo in loco Bajus gratiam, aut *naturam*, aut *proprietatem naturæ* appellaverit, ſiquidem hoc Janſenianum effugium merito contempſit Urbanus VIII. damnans librum Iprenſis Epiſcopi, quod contineret doctrinam in Bajo proſcriptam.

Repetitæ cantilenæ ſunt iſtæ. Enimvero exiſtimaſſe Bajum, quod homo *ſolius naturæ viribus* aſſequi valeat *intuitivam Dei viſionem*, gratiamque ad id aſſequendum neceſſariam a donis naturalibus non ſejunxiſſe, evidenter demonſtratum eſt in primo hujus velitationis capite §. 1. 2. & 3. Inſuper non eſſe commentum Janſenianum, nec ſubterfugium illitum inani fuco verborum, nec aſſertionem in Bajo, vel in Janſenio ab Urbano VIII., vel ab alio Romano Pontifice anathemate inuſtam, ſed vulgarem, immo judicio Molinæ communiorem ſententiam Scholaſticorum, quod *viſio Dei per eſſentiam* ſit homini, & angelo finis *naturalis* quoad appetitum, & *ſupernaturalis* quoad aſſecutionem, conſtat ex eodem capite §. 6. Præterea nullatenus repugnare, quod *intuitiva* viſio Dei ſit finis *naturalis* creaturarum rationabilium, quantum attinet ad inclinationem, & *ſupernaturalia* ſint media, quibus ad viſionem illam perveniunt, norunt, qui lectitarunt ejuſdem Molinæ, Bellarmini, Maſtrii, aliorumque locupletiſſima teſtimonia: norunt, qui ſciunt rationalem animam ſeparatam a corpore naturaliter hujus unionem appetere, quam tamen aſ-

ſequi non poteſt naturæ viribus: norunt denique adoleſcentuli in caſtris dialecticorum luctantes, quorum neminem fugit pronunciatum illud, *Contradictio eſt de eodem ſecundum idem*. Legat, obſecro, adverſarius vel unum Recupitum lib. VI. de Verit. quæſt. 1. aſſerentem, ac demonſtrantem has propoſitiones: *In homine eſt appetitus innatus ex affectu aſcendendi ad cognitionem perfectam primæ cauſæ*: *Stat in homine appetitus innatus viſionis Dei, etiam ſine potentia naturali ad eamdem*: *Appetitus naturalis nihil aliud eſt, quam habitudo naturæ ad aliquid, quo habito ſit quies, quo non habito ſit tendentia ad illud: Ex cognitione Dei naturali abſtractiva & imperfecta incitatur deſiderium cognoſcendi primam cauſam perfecte, & per eſſentiam: Nihil finitum poteſt quietare deſiderium intellectus: Cognitio Dei abſtractiva eſt inquietativa; & quo magis perfecta, magis inquietativa: Potentia, quæ reſpectu ſummi boni ut aſſequibilis dicitur obedientialis, reſpectu ejuſdem ut appetibilis dicitur appetitus innatus, prout eſt principium inclinativum ad deſiderium frequens ejuſdem*. Quid in argumentis, quæ appellat *Bellellina*, *vana*, *tædioſa*, *ſophiſmatibus plena*, offendere potuit Anonymus, quod in hiſce propoſitionibus non contineatur, aut ex iiſdem non inferatur, ſi excipias harum barbariem, tumidamque ſermonis ruſticitatem? *P. S. Cæſar Recupitus p. 454. & ſeqq.*

Bajan. Rediv. pag. 169. IV. Pergit accuſator demonſtrare quomodo Bajus, & *F. Bellelli* inter ſe conveniant circa *impoſſibilitatem ſtatus puræ naturæ*, hujuſque convenientiæ hæc argumenta producit. 1. *Uterque aſſerit debitam creaturæ rationali caritatem actualem neceſſariam ad obtinendam beatitudinem*. Ludibundum argumentum, quoniam Bajus caritatem illam naturæ viribus, Fulgentius Bellelli ſupernaturali gratiæ auxilio adſcribendam exiſtimat. 2. *Si gratia habitualis eſt medium ad obtinendam viſionem Dei, igitur & hæc debita erat primo homini; aut contra, ſi non erat debita, non eſt medium neceſſarium, potuitque ſine gratia habituali viſio Dei intuitiva obtineri, ideoque non accipient rationem meriti opera, ex quo fiant ab homine in ſtatu gratiæ conſtituto: quod eſt damnatum in Bajo*. At hæc quoque futilis cavillatio; nam quamvis dicatur *gratiam adoptionis* fuiſſe debitam *ex lege providentiæ*, ut videtur aſſerere P. Bellelli pag. 468. non inde tamen ſequitur illam gratiam non eſſe ſupernaturalem: & rurſus accuſator *debitum*, ac *naturale* confundit. Deinde per gratiam actualem, quæ conferenda erat homini tamquam medium ad beatitudinem conſequendam, poterat homo mandatis obtemperare, & *de congruo* promereri juſtificationem: hac vero divinitus collata, promereri *de condigno* beatitudinem: nam in ſententia plurimorum Theologorum de facto angeli, & homo conditi fuerunt *abſque gratia ſanctificante*, non tamen deſtituti mediis neceſſariis ad finem ſuum conſequendum; & in ſtatu naturæ lapſæ eadem media conferuntur permultis nondum juſtificatis. 3. *Quod Bajus aſſeruit in damnata propoſitione 42. juſtitiam, qua juſtificatur impius, non conſiſtere in gratia aliqua animæ infuſa; hoc idem aſſeruit Frater Bellelli demonſtrans libro 1. de ſtatu creat. rat. cap. 11. actualem caritatem juſtificare*. Ceterum ficulnea eſt tertia hæc objectatio, primum quia eamdem cum Fulgentio Bellelli ſententiam propugnant Theologi præſtantiſſimi, inter quos Gabriel Vaſquez in 1. 2. diſput. 203. cap. 3. Deinde Theologus noſter profitetur ſe loqui non de juſtitia, quæ eſt remiſſio peccatorum, ſive de juſtificatione *abſoluta*, ſed de juſtitia *initiali & inchoata*. Præterea fatetur inchoatam illam juſtitiam non eſſe *juſtificationem*, ſed a vera *juſtificatione* ſejungi: hanc vero nunquam ſeparari a remiſſione peccatorum, meritoque damnatum fuiſſe Bajum, qui propoſit. 43. veram juſtificationem a remiſſione peccatorum ſegregavit. 4. *Rejecit Fulgentius Bellelli, quod tradunt Theologi Orthodoxi, caritatem actualem juſtificare diſpoſitive, non formaliter, ſcribens formaliter, & natura ſua actualem converſionem creaturæ ad incommutabile bonum reddere animam juſtam: nihil autem audacius, nihil expreſſius aſſerere auſus eſt Bajus, ut conſtat ex propoſitionibus 13. 15. 42. & 66. quas F. Bellelli ſilentio præterire maluit, quam inani effugio ad ſenſus mere commentitios deflectere*. Verum his verbis immerito crimen a ſe confictum Cenſor exaggerat. Enimvero ut Auguſtinenſis Theologus audaciæ, & Bajani erroris poſſet jure meritoque redargui, oſtendendum foret, quod non tantum caritati actuali adſcriberet rationem quandam *inchoatæ juſtitiæ*, verum etiam quod ſine caritate *habituali* agnoſceret cum Bajo *veram juſtificationem*, *ac meritum vitæ æternæ*: hunc enim eſſe ſenſum damnatum illarum propoſitionum præmiſerat idem accuſator parte 1. pag. 33. At P. Bellelli tota illa differt. præter caritatem actualem admittit caritatem *habitualem*, *& ſanctificantem*, *quæ animam ſanctam*, *& juſtam reddit permanenter*: huic caritati, & gratiæ habituali tribuit, *ut hominem faciat filium Dei adoptivum*: negat ſine eadem gratia eſſe in creatura rationali *jus proximum* ad intuitivam

Vide Bellel. ib. pag. 48. 67.

De ſtatu creat. rationalis pag. 9. 25. 468.

vam Dei visionem, quæ omnia præcitatis Baji propositionibus adversantur. Vide supra §. 3. hujus capitis. 5. *Affirmans P. Bellelli justificationis nomen ab Augustino latiori significatione non semel acceptum, non recedit ab errore Bajani articuli* 43. *quo asseritur in Catechumenis ante baptismum esse veram justificationem, separatam tamen a remissione peccatorum: atque ad vomitum rediens novis momentis ex Augustino calumniose fictis, semper probare nititur caritatem actualem formaliter esse hominis justificationem. Futilius quoque miserrima illa distinctione justificationis perfectæ, & imperfectæ, propositionem damnatam nititur evitare, cum ea, quæ non differunt, nisi sicut perfectum differt ab imperfecto, ejusdem sint speciei, ideoque tam perfecta, quam imperfecta justificatio, vera est, atque speciei ejusdem. Frustra itaque F. Bellelli semetipsum de Bajanismo purgare tentat, maxime quod etiam Bajus in Opusc. de Justit. cap. 7. de Catechumeno, & pœnitente, etiamsi proposito & conversatione multos Dei filios superet, inquit, Nondum potest justus vocari. Nullatenus ergo F. Bellelli doctrina a Baji doctrina discrepat, nec potest a se notam Bajanismi amovere.* Verum & hæc argumentatio contra Fulgentium Bellelli solum verborum strepitu constat. Bajus enim *intelligebat* (inquit Gabriel Vasquez in 1. 2. disput. 192. cap. 1. num. 4.) *Catechumenos per gratiam fidei & caritatis vere esse justificatos, & habere meritum vitæ æternæ; tamen ad eam consequendam indigere remissione peccatorum per sacramentum. Sic docebat ille prop.* 19. & 33. Quo autem in loco invenies Fulgentium Bellelli appellare caritatem actualem, initialem atque imperfectam, *justificationem* talis generis, quæ habeat *meritum vitæ æternæ?* Præterea etiamsi Theologus noster docuisset hominem justificari *tam actu dilectionis Dei super omnia, quam habitu;* nonne idem docuerunt prælaudatus Vasquesius, & si huic fides habenda est, Ruardus Taper, Hosius, Casalius, aliique Theologi præstantissimi? Imperite ergo, aut malevole Anonymus in unum permiscet sententias Catholicas, atque Bajanas. Lege dissert. 4. Lamberti Le-Drou cap. 1. pag. 360. Insuper tantum abest, ut Bajus perfectam ab imperfecta justitia distinxerit, ut expresse docuerit oppositum prop. 60. & 61. de quibus egimus dissert. 1. §. 1. num. 9. Rursus in Catechumeno ante remissionem peccatorum asseruit Bajus *caritatem, quæ est legis plenitudo:* cum doctissimus Bellarminus lib. 2. de Pœnit. c. 13. affirmet *neminem recte vivere, neque legem implere, nisi justificatum.* Ad hæc caritatem *inchoatam* esse *inchoatam* justitiam, & caritatem *perfectam* perfectam justitiam, revera Augustinus scribit cap. postremo *de natura & gratia*; neque F. Bellelli *contumeliose* id fingit; sed contumeliose id illi imputatur quod fingat. Postremo tametsi perfectum & imperfectum sint *ejusdem speciei*, uni tamen debetur prærogativa, quæ non debetur alteri; nam calor intensus trahit secum *substantialem formam*, quam non trahit calor remissus: & caritati perfectæ ac prædominanti conjuncta est ea gratia, quæ sanctificat, & est consortium divinæ naturæ; quæ gratia non semper conjuncta est caritati initiali, atque imperfectæ. Non pigeat legere, quæ scripsimus lib. 35. cap. 6. in quo hæc omnia fusiori stylo enodavimus.

Tom. 2. p. 362.

Vasq. ibid. disp. 203. pag. 449. & seqq.

Bajus de Carit. cap. 7. tom. 1. pag. 98. Vide de modo Reparat. lib. 1. cap. 10. p. 329.

V. Prosequitur suam accusationem Anonymus, & quinta sectione agit de immunitate a morte, a concupiscentia, ab ignorantia, ceterisque hujus vitæ miseriis: in qua immunitate asserenda contendit Fulgentium Bellelli non recedere a Bajo, sed abstinet ab impugnanda sententia illa quantum *ad concupiscentiam* spectat, quoniam nonnulli Theologi docuerunt Deum non potuisse hominem condere obnoxium ipsi concupiscentiæ. Qua autem ratione hanc *F. Bellelli* cum Bajo cohærentiam demonstrat? Primum quoniam propositionibus 53. & 69. Baji *distortos sensus affingit, nec erubescit ad nauseam usque iterare, quæ Bajanistæ evomuere de famosa virgulæ transpositione. Ait quoque F. Bellelli propositionem* 53. *falsum esse in sensu Baji, at non esse falsam, ut sonat, cum Deus non potuerit hominem condere peccatorem, qualis nunc nascitur. Id vero nec in Baji mentem venit unquam, sed negavit is tantum, non posse hominem condi corpore fragili, & morti obnoxio, animoque hebeti, atque prono in voluptates, & sensuum oblectamenta; oppositum vero docuerunt in Expositione illa sua sæpius commemorata Theologi Lovanienses. Ulterius Fr. Bellelli nunquam in Opere de statu creat. ration. dignatur respondere in quo sensu propositio illa* 53. *Baji sit falsa. In tractatu autem altero de modo reparationis excogitavit sensum alium fictitium, nempe quod Deus non potuisset creare hominem, qualis nunc nascitur, veræ gratiæ indigentem; ita enim scribit lib.* 4. *cap.* 8. *& in propos. Quesnelli* 70. §. 2. *At nullum verbum in prop.* 53. *quæ hanc limitationem requirat; sed damnata illa est in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, ideoque in illo fictitio sensu, quem illi F. Bellelli nititur adtribuere.* Præterea quodnam discrimen est *inter Bajum, & hunc Baji discipulum*, cum uterque asserat creaturam rationalem non potuisse a Deo condi *absque gratiæ adjutorio*, non potuisse creari *absque ordinatione in visionem Dei intuitivam?* Uterque ergo meretur affici *eadem censura.* De immortalitate etiam Augustinianus Theologus pertractans *subtili & dolosa evasione* vitare enititur censuram propositionis 75. dicens *immortalitatem primo homini debitam solummodo fuisse titulo justissimæ providentiæ, damnatum vero Bajum, quod debitam dixerit tanquam naturæ proprietatem.* In hoc semper *Novatores* errant, quod *contumaciter* affirmant Deum fore injustum, *si mortalem crearet hominem, antequam peccaret.* Quod spectat ad propos. 69. Baji, quæ eadem est cum 20. Quesnelli, *ut fucum faciat incautis*, F. Bellelli *per varias mendacii ac fraudis ambages*, inquit, *Fide tenendum esse, quod Deus aliquoties innocentes affligit, cum animæ in purgatorio exsolvant temporalis pœnæ reatum, parvuli baptizati plerumque doloribus plectuntur, & permulti, qui carent gravis peccati macula, sæpe afflictionibus purificantur. Quis, nisi desipiat, hunc sensum tribuit Quesnellianæ propositioni?* At necessum erat hæc confingere, ut error proscriptus a Summo Pontifice *sartus tectus* persisteret. Quid plura? Errorem Baji & Quesnellii renovavit *F. Bellelli*, dum lib. 3. *de statu creat. rationalis* ante peccatum cap. 26. ait, *Alienum esse a justitia Dei, ut innocentes vel levi pœna puniantur.* His invicte probatum est, in scriptis F. Bellelli *revivisere doctrinam Baji de impossibilitate status puræ naturæ, quæ doctrina ad tria capita revocatur.* 1. *Quod Deus non potuit condere creaturam rationalem absque justitia originali, nec ei denegare media ad salutem necessaria.* 2. *Non potuit illam creare, quin destinarit ad visionem sui ipsius intuitivam.* 3. *Non potuit illam creare obnoxiam morti, concupiscentiæ, ignorantiæ, ceterisque hujus vitæ miseriis. Quos errores F. Bellelli fuse pertractat, propugnat, atque averrime defendit in aureolo illo Opusculo*, De statu creaturæ rationalis ante peccatum. Hactenus accusator.

Bajan. Rediv. pag. 206.

De statu creat. rational. p. 498. & seq. Vide Præfat. nu. 15.

Hæc, quæso, talia sunt, propter quæ Fulgentius Bellelli non Bajanismi tantum, verum etiam *invercundiæ, mendacii, fraudis, & contumaciæ* reus palam, editisque voluminibus erat traducendus? At hæc omnia sæpe iterumque, in hac etiam dissertatione, eradicata fuerunt, evulsa, contrita. Oro, si quid humanitatis in Scriptore tali atramento, ac venenato stylo memoriam optimi viri vellicante, residuum est, ut humaniter excipiat quod ipsius argutiis, non invictis, sed vitreis, non solidis, sed ventosa indignatione tumentibus, inflatisque reponam. Ac primum, si nonnulli Theologi, immo bene multi, & quidem gravissimi, prout demonstravi cap. 1. §. 7. docent non potuisse hominem a Deo condi subjectum motibus concupiscentiæ, qua nunc laceſſimur; propositio igitur 53. Baji non est damnata, nisi prout complectitur dona quælibet primæ conditionis, ac singillatim *gratiam sanctificantem*, & exaltationem in divinæ naturæ consortium, ut explicarunt præclari viri, Estius, Gonet, Norisius, de quibus cap. 1. §. 1. institutus est sermo. Insuper si adversarius abstinendum putat a ferenda censura in opinionem illam circa concupiscentiam, quam nunc experimur, quoniam revera opinionem ipsam tenent Orthodoxi quidam Theologi, debuerat pari ratione abstinere a conviciis, censurisque in sententiam, qua defenditur *impossibilitas statu puræ naturæ*, quoniam & hanc propugnant Orthodoxi Theologi bene multi, ut item demonstravi cap. 1. sect. 1. num. 13. & sect. 9. num. 12. Jamvero quantum spectat ad propositionem 53. Baji; quod Fulgentius Bellelli præmittit de interpunctione Pianæ Bullæ, quamquam a me commentum reputetur, probatur tamen Catholicorum nonnullis, & insuper Theologus noster non valde dubiam esse testatur; adhibetque insuper responsiones alias, ex Vasquio, Norisio, La Fosse, & ex aliis depromptas; quas omnes verbis auctorum suorum in priori hujus dissertationis capite præmisimus. Immerito itaque vir probatissimus, fraudis, contumaciæ, & inverecundiæ hac de causa reprehenditur. Propositionem vero illam quinquagesimam tertiam, *ut sonat*, & in aliquo sensu veram esse, eo quod homo non potuisset a Deo condi cum peccato, cum quo nunc omnes nascimur, recte sapienterque P. Bellelli affirmavit, idemque scripserant Cardinalis Norisius, & Pater Macedo, prout constat ex dictis cap. 1. §. 1. num. 12. Neque hoc Bellelli, Norisius, Macedo tradiderunt, quasi crediderint fuisse Michaelem Bajum in ea sententia, quod Deus potuerit condere hominem in peccato: sed ut ostenderent propositionem 53. *ut sonat*, esse veram, & damnatam in sensu ab assertoribus intento. Ait accusator, non dignari F. Bellelli in Opere *De statu creaturæ rationalis*, quod Opus ironice *aureolum* vocat, assignare sensum illum auctoris damnatum. Aureolum, fulgidissimumque mendacium! Libro enim tertio, cap. 28. de sensu illo damnato accurate pertractat; & propositionem 53. damnatam fuisse affirmat, quoniam Bajus putabat concupiscentiam esse *formaliter* peccatum, atque hinc inferebat, non potuisse hominem

Ibidem p. 504. & 505.

creari

creari obnoxium concupiſcentiæ, quia non potuit creari in peccato: atque hæc eadem eſt reſponſio Cardinalis Noriſii, & Patris Macedo, ut ſupra vidimus. Addit P. Bellelli, juxta mentem quorumdam Theologorum, eamdem propoſitionem fuiſſe proſcriptam, quia Deus potuit condere creaturam rationalem *ſine gratia ſanctificante*: atque hanc reſponſionem eſſe Goneti, Eſtii, & Fulgentii Foſſei, luce meridiana claret ex primo capite præcitato. Reſpondit eo quoque in loco P. Bellelli damnatam propoſitionem illam, quoniam Bajus putabat primæ conditionis dona ita fuiſſe debita, ut pertinerent ad naturalem conſtitutionem, ſeu naturalem quamdam proprietatem. Altera item reſponſio, quæ traditur *de modo reparat.* lib. IV. cap. 18. pag. 212. nempe quod Bajus negaverit hominem in ſtatu integritatis *fuiſſe veræ gratiæ indigentem*, non ſenſus diſtortus, ſed veriſſima ſententia eſt: ſiquidem Bajus aperte in primo homine negavit gratiam naturæ ſuperadditam, quod evidentiſſime demonſtravi cap. 1. §. 2. & 3. Corruit ergo univerſa calumniæ adverſus virum præclariſſimum machinatio. Quod autem pertinet ad propoſitionem 69. Baji, & propoſit. 70. Queſnellii, conſtat reſponſionem P. Bellelli probatam antea inſigni Theologo Toloſano. Vide cap. 1. §. 9. num. 8. Adde propoſitiones iſtas non ſpectare ad ſtatum *puræ naturæ*: ſed ad præſentem *naturæ lapſæ*, in quo immunitas a morte, ceteriſque miſeriis eſt beneficium indebitum: mors autem, & afflictiones ſunt quidem peccatoribus pœna peccati, ſed juſtis convertuntur a Deo in exercitium virtutis, in occaſionem meriti, & in gloriæ incrementum. Eadem inſuper P. Bellelli reſponſio expreſſe traditur a S. Thoma lib. IV. adverſus Gentiles cap. 52. 79. & 81. ubi *ſuppoſita Dei providentia* demonſtrat mortem, hujuſque vitæ defectus eſſe pœnam peccati: immo traditur quoque a S. P. Auguſtino innumeris in locis, ac præſertim lib. 6. Op. Imperf. num. 39. atque id etiam demonſtratum eſt cap. 1. §. 7. & 8. Non ergo Theologus noſter *doloſa evaſione* nititur Pontificiam cenſuram effugere; ſed Accuſator doloſa inſimulatione ventilat Theologi noſtri cineres. Utinam adhuc viveret! Aquilam cornix non provocaſſet. Hæc tamen pro illius vindiciis, & objectorum refutatione ſufficiunt: nam quæ opponuntur de tribus illis capitibus, ad quæ reducenda eſt quæſtio de *Impoſſibilitate ſtatus puræ naturæ*, confutata fuere cap. 1. §. 6. 7. 8. & 9. Jam ergo unum, quod ſupereſt, expendamus.

Bajan. Redivi. pag. 217.

VI. Sectione ultima, ac ſexta invehitur in Apologiam, quam in Opere *De modo Reparat.* inclytus Auguſtinianus Theologus exornavit, affirmans lib. 4. cap. 18. Bajum de facto docuiſſe, primum hominem fuiſſe conditum in *pura natura*, & nihil huic errori magis eſſe contrarium, *quam naturam puram tam de facto, quam de poſſibili de medio tollere*. Audaciæ eximium ſcriptorem rurſus damnans furibundus inſectator, ait illum confugere *ad paradoxum hactenus inauditum*: inquit eum *verbis ludere ac fallere*, uſurpare *ſenſus varios atque ambiguos, fidelem eſſe novatorum diſcipulum*: quæ eo tantum animo attigi, ut appareat cur Anonymum dixerim furibundum inſectatorem. *Quid eſt enim aliud furere* (inquit in Piſonem Marcus Tullius) *niſi non cognoſcere homines?* Etſi enim, quod abſit, Fulgentius Bellelli propria opinione deceptus in errorem prolapſus foret; nunquid propterea dicendus audax & temerarius, illuſor, fucum faciens, novatorum diſcipulus, fictitii ſenſus, effugiorum, fraudum, mendaciorumque captator, quibus vocabulis, ubicumque ab Anonymo, a viro ſcilicet prudente, temperato, erudito, hac mente, hac lingua, hac ſcientia prædito nominatur, continuo læditur & proſcinditur? Sed quare Apologia illa dicenda eſt *paradoxum inauditum?* Quoniam, ait accuſator, quidquid ſit de verbis illis, *Impoſſibilis eſt ſtatus puræ naturæ*, certum eſt damnatum eſſe Bajum, *quod aſſeruerit non potuiſſe rationalem creaturam condi ſine ordinatione ad intuitivam viſionem Dei, neque abſque caritate, & mediis ad æternam ſalutem obtinendam neceſſariis: & certum quoque eſt damnatum eſſe Bajum, quod docuerit non potuiſſe hominem condi obnoxium morti, cæteriſque hujus vitæ miſeriis: quæ F. Bellelli pariter docens eadem pœna afficiendus eſt, etſi ne Bajaniſmi mole opprimatur, ſimulat aliquem a Bajo receſſum. Immo calumnioſe imputat Bajo, quod docuerit non ſolum ſtatus puræ naturæ poſſibilitatem, ſed etiam realem exiſtentiam, cum Bajus in locis pene innumeris contrarium tradat. Aſſignet F. Bellelli textum Baji, referat Bajana verba. Falſo id imputat Bajo, falſo, ut imperitis fucum faciat, Bajo calumniam inflat. Neque enim aliquem movere debet quod Bajus vocem naturalis uſurpaverit loquens de primi hominis integritate; ſiquidem demonſtratum eſt Bajum naturale dixiſſe quod eſt debitum. Inſtat F. Bellelli nullibi damnatam eſſe propoſitionem illam, Impoſſibilis eſt ſtatus puræ naturæ: at Theologi ex dogmate definito per legitimam conſequentiam illam inferunt. Habemus igitur confitentem reum, qui acerrime propoſitionem illam defendit. Præterea F. Bellelli in varias abiit contradictiones; quippe rejicens impoſſibilitatem ſtatus puræ naturæ, puram naturam accipit communi ſenſu Catholicorum; dum vero Bajum ſimulat impugnare, naturam puram appellat, quæ ordinata eſt in intuitivam viſionem Dei, & caritate ceteriſque donis eſt prædita. Si ſincere Bajum refellere voluiſſet, debuiſſet oſtendere ſenſiſſe Bajum, quod Deus potuerit condere rationalem creaturam abſque donis ſupradictis. Sed hoc Bajus non docuit, immo expreſſe contrarium aſſeruit. Id etiam docuit F. Bellelli cum Bajo ſentiens. Inſuper in eadem Apologia infructuoſe repetit, quod alibi tradiderat, Bajum ſcilicet aſſeruiſſe gratiam debitam Adamo innocenti tanquam naturalem proprietatem; & in caſſum recidunt omnes doloſæ illius Apologiæ conatus, jam impugnati. Nec abluit Bajaniſmi ſordes, addens gratiam Adamo debitam ex lege juſtiſſimæ providentiæ, cum id etiam Janſenius docuerit, cui impie Eremita noſter conſentit. Fatendum utique auxilia neceſſaria ad ultimum finem aſſequendum fuiſſe debita primo homini, ſuppoſita ejus mere gratuita ordinatione ad viſionem Dei intuitivam. Verum non placet F. Bellelli hæc hypotheſis, ſed putat non potuiſſe creaturam rationalem condi non deſtinatam ad ipſam intuitivam Dei viſionem, & ſuppoſita ſola voluntate condendi creaturam ratione præditam, illi viſionem Dei, illi media ad hanc neceſſaria fuiſſe debita. Hæc tamen media gratiam appellat. Quo jure, qua injuria? Quiſque judicet. Hæc omnia in officina Janſenii fabricata ſunt: illi accepta referri debent; nec minus in ore diſcipuli abſurda debent exiſtimari.* Hæc ad paginam uſque 228. *Bajaniſmi redivivi*, Operis cedro, auroque digniſſimi.

Evidentiſſime ex dictis hæc poſtrema objecta, & repetitæ cantiones, in quibus nil invenies præter congeriem conviciorum, refutantur ac refelluntur. Oſtendi enim ſupra illam propoſitionem, *Impoſſibilis eſt ſtatus puræ naturæ*, minime per legitimam conſequentiam deduci ex damnatis erroribus Baji, ſed innumeros eſſe Theologos, qui illam abſque ulla Bajaniſmi nota propugnant, contendentes fulciri iiſdem argumentationibus, quibus S. P. Auguſtinus demonſtravit adverſus Pelagianos originale peccatum. Oſtendi *naturale* in ſenſu Baji non eſſe idem, ac *debitum* utcunque, ſed debitum, ut lumen oculorum, ut auditus, ut ſanitas, ut qualitas, & munera, quæ ſpectant ad naturalem conſtitutionem. Oſtendi etiam Bajum in *Apologia* art. 53. ſcripſiſſe, quod revera Deus potuerit condere hominem, qualis nunc naſcitur; & nihilominus turpiter erraſſe, quod vellet integritatem in illa hypotheſi conferendam fuiſſe primo homini *in origine*, ut viſus confertur catulis. Nec opportunum puto eadem ſemel, iterumque repetere, ne ſim in Apologeticis vindiciis ita loquax, & garrulus, ut eſt in urgendis conviciis Anonymus.

Duo tamen addenda puto, unum quod *Apologiam*, in qua P. Reverendiſſimus Bellelli, olim FF. Eremitarum Generalis Magiſter, & Doctor clariſſimus ait Bajum docuiſſe ſtatus *puræ naturæ poſſibilitatem*, atque *exiſtentiam*, vocat animadverſor *inauditum paradoxum*: alterum, quod P. Bellelli noluit admittere hypotheſim, quam Theologi complures ſtatuunt, dum affirmant debitam quidem gratiam primo homini, ſed ſuppoſita gratuita hujus *elevatione ad viſionem Dei intuitivam*. Quantum ad primum attinet: Status *puræ naturæ* ille eſt, in quo homo abſque culpa, & abſque gratia conditus poſſet naturæ viribus aſſequi finem, quem naturaliter appetit. At Bajus teſte Bellarmino docuit ita primum hominem potuiſſe ad beatitudinem pervenire, ut oculi ſani poſſunt lumen recipere: Bajus teſte Turriano affirmavit hominem integrum viribus naturæ, & abſque gratia potuiſſe promereri vitam æternam: Bajus teſte Vaſqueſio aſſeruit hominem primum donatum fuiſſe iis tantum muneribus, quæ ſpectant ad naturalem conſtitutionem: Bajus teſte Suareſio in primo homine non aliam agnovit gratiam, quam illius generis, cujus ſunt munera creationis: Bajus teſte Joanne Martinez pronuntiavit de natura integra, quod Pelagius commentus eſt de natura poſt lapſum. Quomodo ergo eſt *paradoxum inauditum* illa veritas, quæ non latuit Bellarminum, non latuit Vaſqueſium, non latuit Turrianum, non latuit Suarez, non latuit Joannem Martinez? Adde momenta reliqua quibus cap. 1. demonſtravi Bajum in natura integra nullum ſupernaturale donum agnoviſſe. Nec Fulgentius Bellelli ſibimet contradicit affirmans Bajum appellaviſſe naturam *puram*, quæ ad viſionem Dei ordinata eſt: enim vero putans Bajus Deum nulla ratione eſſe finem *ſupernaturalem* creaturæ rationalis, & viſionem Dei in natura integra nullo modo futuram fuiſſe *gratiam*, ut docet Vaſquez 1. 2. diſputat. 195. cap. 4., in ſenſu Baji nec elevatio ad viſionem Dei, nec media neceſſaria ad hujus conſecutionem, extrahunt rationalem creaturam a ſtatu *puræ naturæ*. Nec tantum Michaelem Bajum, verum etiam Janſenium reipſa admiſiſſe *puram naturam* in Adamo & in Angelis cenſet,

multisque argumentis probare conatur Sylvester Maurus Soc. Jesu, in Op. Theologico lib. 6. quæst. 44. Volum. 2. pag. 138. edit. Romanæ. Hæc, alioqui obvia mediocri cuique Theologo, si animadvertisset præceps insimulator, virum doctissimum, sibique constantem, contradictionis & antilogiæ nequaquam redarguisset.

Quantum spectat ad hypothesim *gratuitæ elevationis* ad finem supernaturalem, qua supposita debentur creaturæ rationali media necessaria ad ejusdem finis consecutionem; nos illam in sua probabilitate relinquimus. Sed animadvertendum est, Theologos eidem hypothesi innitentes supponere fuisse primum in Deo voluntatem producendi rationalem creaturam, postmodum illam elevandi ad supernam beatitudinem; cumque hæc sit consequens, & priori voluntate posterior, ajunt illi potuisse hominem condi absque hujusmodi elevatione. At Fulgentius Bellelli primum in Deo statuit voluntatem instituendi supernam civitatem Jerusalem, deinde creandi homines & Angelos, ut illius cives essent. Audiatur Theologus præstantissimus: *Poterat* (inquit lib. IV. De modo Reparat. cap. 19. pag. 215.) *poterat Deus antecedenti voluntate velle se creaturæ suæ per faciei suæ intuitum, beatam fruitionem, possessionemque communicare; sicut poterat nolle. Quod autem in Deo antecedens ea voluntas sic se communicandi possidendum præextiterit, nostroque concipiendi modo prima voluntas formandi sanctam societatem, seu supernam Jerusalem, totque, & non plures in ea mansiones, sedesque statuendi, numero scilicet locorum prædefinito, voluntatem alteram condendi rationalem creaturam antecesserit, in argumento est, quod spiritualem, rationalemque creaturam, Angelicam scilicet & humanam, imaginem suam immortalem, non sicuti pecora, ligna, aut saxa, sed sui capacem, tanquam vas grande vacuum, egenumque, atque ad summam increati Boni plenitudinem inhians, condiderit.* Atque hanc suam hypothesim vir egregius Sanctorum Augustini, Damasceni, & Thomæ Aquinatis auctoritate confirmat. Sicut ergo *supposita elevatione creaturæ rationalis ad finem supernaturalem*, consensu Theologorum omnium, debentur illi supernaturalia gratiæ auxilia, necessaria ad eumdem finem consequendum; nec tamen desinunt esse dona gratiarum, quoniam conferuntur ex liberrima illa *elevatione*, & ordinatione ad supernam beatitudinem: ita supposita in Deo illa antecedenti voluntate instituendi Jerusalem cælestem, Sanctorumque societatem, creaturæ rationali, & imagini Dei, conditæ ad illam supernorum civium societatem constituendam, debetur in Augustinensium sententia gratia omnino ad id necessaria; nec proinde desinit esse *gratia*, quia descendit ex liberrima illa voluntate Dei instituendi supernam Jerusalem, ad quam nulla creatura a Deo condita potest *solis naturæ viribus* pervenire. Hæc est Fulgentii Bellelli sententia, ab ipso argumentis firmissimis communita: quæ tamen argumenta adversarius omittit, sola doctrinæ capita a se deturpata æquiparans larvis confecti a se *Bajanismi*; dignus sane, quem in hujus dissertationis exitu hisce S. P. Augustini verbis alloquar: *Quia his relictis, quibus ea, quæ posuisti, adstruuntur atque muniuntur, sic illa putasti esse ponenda, ut tanquam in solitudine, defendente nullo, latrocinanter invaderes; legant hæc qui volunt scire quid egeris, vel potius ad ejusdem libri considerationem recurrant, unde ista reposui, & videant ea manere firmissima, quæ velut infirma labefactare tentasti.* *Lib. V. Op. Imperf. contra Julianum num. 64. tom. X. pag. 1289.*



DISSER-

DISSERTATIO III.

IN QUA AB ERRORIBUS

QUI CONTINENTUR, ET PROSCRIPTI SUNT

IN BAJI PROPOSITIONIBUS

XXXIV. XXXVI. XXV. XXVI. & XXVIII.

Alienæ demonſtrantur Auguſtinenſium Theologorum lucubrationes; ac ſententia *de referendis in Deum operibus deliberatis* fuſiori ſtylo exponitur, & vindicatur.

Quæſo, ut patienter audias; non enim de adverſario victoriam, ſed contra mendacium quærimus veritatem.

S. Hieronymus lib. 1. Dialog. adverſus Pelag.

DISSERTATIO III.

IN QUA AB ERRORIBUS

QUI CONTINENTUR, ET PROSCRIPTI SUNT

IN BAII PROPOSITIONIBUS

XXXIV. XXXVI. XXV. XXVI. & XXVIII.

Aliena demonstrantur Augustinianorum Theologorum luctationes; ac fon-
tanta de gratuitis in Adamo gratiis, deitatis filiique Dei
explicantur, & vindicantur.

PRÆFATIO.

QUamlibenter ab hac tertia Dissertatione abstinerem, memor Apostolici præcepti, *sine offensione nos esse debere*: quod Venerio, aliisque Galliarum Episcopis a Beatissimo Cælestino inculcatum num religiose Anonymus custodierit, nemo evidentius demonstrat, quam ipse dum scribit. Vereor enim ego, ne tot, tantisque dicteriis lacessito verbum aliquod asperrimum ac molestissimum excidat: nec dubito quin mihi interdum eadem sint repetenda, quibusdam forte ingeminantibus illud Hieronymi adv. Rufinum, *Quid necesse fuit eadem rursus iterare, & frequenter ingerere?* Verum ad aliqua dolentis & exacerbati animi indicia proferenda me compellunt alte adacta vulnera, vulneribusque adfusum venenum, cui ita necessum est adhibere medicinam, quemadmodum humanum est condolere, & Christianum honestumque dimittere; atque ut eædem quæstiones rursus agantur, plurimum postulant hominis Augustinianum systema acerbe insectantis, & penitus nescientis pervicacia & ignoratio; quarum una aliquantulum est reprimenda, altera evidentissime refutanda.

I. ad Corinth. 10. 32.

Epist. ad Pammach. tom. 4. pag. 349.

II. Insistens itaque Anonymus accusationibus suis adnititur demonstrare quod nobis Bajani probentur errores, qui spectant ad duplicem Dei amorem, naturalem, & supernaturalem, ad opera cuncta infidelium, ad vires liberi arbitrii gratia destituti, & ad actiones humanas in Deum referendas, idest, dogmata, quæ proscriptis articulis 34. 36. 25. 26. & 28. comprehenduntur. At quantum ad duplicem amorem attinet, quum ex priori Velitatione constet reprobatam fuisse Baji sententiam, eo quod nullum agnoverit Dei amorem innoxium & inculpatum, qui meritum non habeat æternæ vitæ, nec sit effectus caritatis habitualis: ex altera autem dissertatione manifestum sit Deum in sententia Michaelis Baji esse creaturæ rationalis finem naturalem, quem innocens homo consequi potuisset absque gratia naturæ superaddita, modo primæ conditionis servasset integritatem; consequens est Theologos illos directe Bajo adversari, qui in prima hominis institutione agnoscunt naturales proprietates, atque ab his distincta gratiarum munera; neque ad amorem incontaminatum & castum requirunt gratiam sanctificantem, & commendant insuper dilectionem Deo utroque titulo exhibitam, sive diligatur tanquam auctor naturæ, sive ametur tanquam sanctificator animarum, & supernaturalis gratiæ largitor: fatentur quoque dari amorem honestum, qui non sit actus caritatis, & nihilominus a cupiditate intime non corrumpatur, nullaque censura aliorum sententiam perstringunt, magnopere a styli acrimonia, qua Bajus utitur, abhorrentes.

III. Pertractaturus de hoc duplici amore, & de sensu Baji proximo §. 1. reprehendi nullatenus debeo, si inter cetera illustrium Theologorum testimonia eo loci adducenda, quædam proferam, ex quibus appareat reperiri inter Orthodoxos scriptores, qui sentiant non posse in præsenti infirmitatis statu Deum super omnia diligi, etiam ut est auctor naturæ, necnon alios idem de quocunque hominum statu affirmantes; extare insuper qui doceant non posse hominem lapsum ad amorem Dei auctoris naturæ sive perfectum, sive imperfectum assurgere, gratia non auxiliante superna: ita enim præclusus est aditus omnis criminatori, asserenti eos censendos esse Bajanos, qui tradunt hominem, *in quocunque statu consideretur, non posse per solas naturæ vires Deum ullo modo diligere*. Ceterum evidentissimum esse puto articulos Baji 34. & 36. agentes de naturali, & de supernaturali Dei amore, de præsenti potius, quam de alio hominum statu enuntiatos fuisse: id enim apertissime asseritur a Joanne Ripalda, de quo proxime sequenti §. nu. 3. idem evincitur ex ipso Bajo quadragesimam quartam propositionem explanante de amore illo Dei, qui consurgat *ex solo libero corrupto hominis arbitrio*: idem ex Lensæi, sive Lovanienſium *Explicatione*, in qua utraque propositio 34. & 36. rejicitur, prout enuntiatur de amore naturali, *qui de naturæ non funditus depravatæ viribus exoritur*: idem postremo ex verbis insertis articulo 36. *Cum injuria crucis Christi*, quum proculdubio Unigenitus Dei Filius pro universo humano genere redimendo crucis supplicium subierit. Itaque si fatente insimulatore Catholici nonnulli asserunt, *Deum nullo modo posse*

Baj. Rediv. pag. 96.

Bajan. pag. 99. edit. Colon. an. 1696.

Ibid. pag. 168.

Baj. Rediv. pag. 95

posse per solas naturæ vires diligi in hoc statu; infertur iisdem Catholicis, quorum princeps est Eminentissimus Bellarminus lib. 6. de Grat. cap. 7., dogmatis Bajani calumnia, dum affirmat Anonymus propositiones 34. & 36. eatenus fuisse confixas, quatenus iisdem enuntiatur Deum non posse diligi ullo modo *per solas naturæ vires*. Quapropter proscriptæ fuerunt in eo sensu, quem explicavi lib. 18. cap. 4. præeuntibus viris doctissimis inferius commemorandis.

Tom. 3. de Theol. disc. pag. 415.

IV. Quod spectat ad opera infidelium; evanescat oportet iniqua Anonymi criminatio, si quæ scripsimus de hujusmodi operibus lib. 18. cap. 2. & 3. & quæ repetita sunt differt. 1. cap. 2. cum iis conferantur, quæ ex Norisio, Macedo, aliisque compluribus secundo paragrapho producentur: in hoc siquidem convenimus, quod infideles efficiant aliquando opera undique bona sine gratia sanctificante, & sine fide perfecta, non tamen absque actualis gratiæ adjutorio; item quod non erumpat a cupiditate vitiosa quidquid sine gratia operantur; & ulterius nulla ratione culpandi sint ob indeliberatas actiones: quamobrem aut simul tanquam Bajanistæ damnandi sumus, aut simul a Bajanismi nota absolvendi. In Norisium autem quis iterum insurgat, nisi forte qui tali animo sit comparatus, quali auctor Bibliothecæ Jansenisticæ, a quo Norisiana Opera Jansenianis adnumerantur, adjecta nota, quod Historia Pelagiana ter ad Sanctum Officium fuerit delata, *Mais qu' elle n' a jammais été condamnée*? ita nimirum adversarii, quorum unus Bajanismi Redivivi architectus propter adhibitam Norisianam responsionem damnat me *intolerandæ nec omnino ferendæ audaciæ*, adeo modesti sunt, adeo temperati, adeo probi, ut Norisium ipsum in me loquentem dignentur tacite audacissimum dicere, & aperte appellare Jansenianum.

Bibl. Jansen. nu. 83. pag. 18. Bajan. Red. pag. 271.

V. Nullus item in lectione Theologicorum Operum paullulum exercitatus ignorare potest depromptum esse ab eodem Norisio, quidquid de Bajanis articulis 28. & 29. scripsi lib. 18. cap. 5. pag. 421. idque confirmari auctoritate aliorum Scriptorum, prout constat etiam ex differt. 1. cap. 1. §. 2. atque ex proximo §. 3. Bajum quippe in ea fuisse sententia, quod liberum arbitrium agere nil boni possit absque gratia sanctificante exploratissimum est, ac præter Vasquesium, Turrianum, Macedum, Norisium, hoc idem tradidit Ludovicus Bail in *Opere de Beneficio Crucis*; qui etsi discedit ab Augustinianæ Scholæ principiis, agens tamen de Bajana propositione, *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet*, inquit: *Potest intelligi & de adjutorio gratiæ cujusdam prævenientis, & de adjutorio gratiæ efficacis, & justificationem propriam inferentis; uterque sensus ab auctoribus intendi potuit; secundum autem primum sensum propositio est probabilis, & defenditur a Doctoribus quibusdam: at juxta sensum secundum est falsa, & in hoc sensu damnatur*: & alio in loco, *Vult* Bajus *omnes pios motus produci & causari a gratia sanctificante*. Verum quid Norisium, quid Macedum, quid Vasquium, quid Bail, quid auctores alios commemoramus? quum idem asserant & ii, quibus familiarissime utuntur inferiores Clerici, ac tonsura initiandi: inter quos Martinus Navarrus in Manuali cap. 27. num. 290. ait: *Opinio, quæ videtur esse S. Augustini, & aliorum antiquorum (quos sequitur Gregorius Arimin. 2. lib. sent. dist. 21. & in quam inclinat S. Thomas 1.2. quæst. 109. art. 6. & S. Bonav. distin. 28. quamque munit Major 24. argumentis) tenet neminem posse solo libero arbitrio, & concursu Dei generali, sine auxilio ejus speciali, etiam moraliter bene operari*. Vide ergo miram exquisitamque Anonymi eruditionem, vide singularem neoterici hujus temperamentum, dum tam planam, tam obviam tritamque assertionem, quod Bajani articuli in sensu gratiæ sanctificantis fuerint damnati, offendens in scriptis Augustinensium, ob novitatem plurimum admiratur, atque ob doctrinæ pravitatem vehementissime irascitur.

Bail edit. Paris. pag. 11. & 284. Nav. edit. Ven. an. 1581. pag. 532. 2.

VI. Quoniam ad opera moraliter bona pertransiit oratio; perspicuum itidem, & ex dictis consequens est, ad illa opera Bajum necessariam credidisse sanctificantem gratiam, fidemque perfectam; neque huic dogmatistæ adhærere Theologos, qui requirunt gratiam aliquam actualem, ut bona sint tam ex parte eorumdem operum, quam ex parte operantis. Nihilo tamen minus de hoc argumento, in quo latissime spatiatur *Bajanismi Redivivi* pars ultima, iterum pertractabo, confirmans meam Norisiique in Augustiniano systemate perpetuam individuamque concordiam, & doctrinam domesticam muniens novis, ac firmissimis propugnaculis. Verumtamen cur ad hæc agenda compellimur? Annon Lemosius, annon Macedus, annon omnes nostrates, annon exterorum plurimi, annon qui modo tradunt Theologicas institutiones, intrepide sententiam propugnant nostram? Non opus est plura de nostratibus addere. Thomas de Lemos tom. 3. Panopliæ p. 2. postquam affirmaverat infideles, & impios non posse cum solo concursu Dei generali facere bona omnia moralia, sed tantum quædam faciliora, tractat. 2. cap. 9. numer. 119. exponit quo sensu faciliora hæc opera dixerit bona subjiciens: *Dicendum illud morale opus bonum, quod efficere potest*

homo

homo lapſus ſolis viribus ſuis, & cum generali Dei concurſu ordinis naturalis, non eſſe ſimpliciter & abſolute vere bonum, etiam reſpectu finis naturalis: addit nu. 120. quod tale opus bonum morale ex objecto & in genere, *ex parte ipſius operis tendit in Deum auctorem & finem naturæ, non autem ex parte operantis*: atque id Lemoſius diu multumque in his controverſiis exercitatus demonſtrat num. 122. & 123. ex Auguſtino, & ex Proſpero: num. 124. ait oppoſitam ſententiam videri errorem Semipelagianorum, *qui hujuſmodi opera commendabant, & in his actum quemdam bonæ voluntatis adeſſe dicebant, cui ſtatim Deus ſuæ gratiæ auxilio ſe ingereret*; & poſt argumenta permulta oſtendit num. 129. hominem poſt primi parentis peccatum eſſe averſum a Deo, *non ſolum ut ſupernaturali auctore gratiæ, ſed etiam ut auctor & finis totius naturæ eſt*. Atque hinc Theologus clariſſimus infert, quod ſi homo ſolis naturæ viribus poſſet operari bonum morale *propter Deum naturæ authorem, ſicut propter ultimum finem*, poſſet pariter per ſolas naturæ vires *ſe in Deum finem ultimum convertere, & auferre a ſe ſolis viribus ſuis illam averſionem, qua per peccatum a Deo authore & fine naturæ averſus erat, quod omnino impoſſibile eſt; ſi enim viribus ſuis tantum poteſt auferre averſionem, quam ex peccato habet a Deo authore & fine naturali, poſſet utique per ſe ſolum a ſe auferre illud, quod potiſſimum in peccato eſt: non enim eſt dubium, quin potiſſimum quod eſt in peccato ſit averſio Dei*. Placuit hæc exſcribere, quoniam addunt auctoritati rationem, præmonſtrantque dicenda §. 6. proximæ diſſertationis. Nunc unum duntaxat animadverto, ab Auguſtiniana ſententia, quæ ſine gratia Salvatoris agnoſcit quidem opera bona ex officio & ſecundum ſubſtantiam, non autem *ex parte operantis*, nulla ratione diſcedere celeberrimum Thomiſtarum. De Macedo non ſemel diximus, rurſumque agam inferius §. 2. 3. & 4. ſed abunde viri hujus docti mentem exprimunt, quæ leguntur tom. 2. Collat. in 2. ſent. collat. 10. diff. 3. ſect. 2. *Omnia opera ſine aliqua fide & gratia facta, ex defectu honeſti & debiti finis vitioſa eſſe Auguſtinus judicavit; nec enim negat materialiter eſſe multa bona opera & honeſta, quæ ſine fide & gratia fiant: ſed negat ea ex recto fine, & honeſtis circumſtantiis abſque lumine fidei, & pulſu gratiæ aliquo fore*. Proxima autem pagina repetit quod non ſemel in *Cortina*, & *Scrinio* docuerat, in eo ſcilicet errore fuiſſe Bajum, ut nullum bonum opus admitteret *ſine fide perfecta, & gratia ſanctificante*.

Lemos tom. 3. pag. 35. edit. Leodii, &c.

Mac. tom. 2. Collat. pag. 589.

VII. Auguſtinianam illam ſententiam præcedenti *diff.* 2. non tantum Macedus tradidit & confirmavit, verum etiam pluribus argumentis evincere ſtuduit Scotum quoque eidem penitus adhæſiſſe. Quod ſi alia ceteris Scoti diſcipulis hæret opinio, quam hærere omnibus & doctioribus nego; fatentur tamen, qui cenſent aliquod honeſtum opus concipi & gigni poſſe abſque gratia actuali, hanc eſſe opinionem aliquorum, ſed non omnium Theologorum, & damnatos fuiſſe Bajanos articulos, quoniam Bajus exiſtimavit nullum opus honeſtum in genere morum prodire poſſe a voluntate, *abſque habitu fidei, & abſque caritate habituali*; ut conſtat ex ſelectis Theſibus Romani Collegii S. Bonaventuræ anno 1743. Sancto Ignatio Lojolæ nuncupatis pag. 17. num. 58. 59. & 60. Ab illata ergo Bajaniſmi calumnia vindicat nos Majorum noſtrorum auctoritas, judicium exterorum, utraque Schola Thomiſtarum & Scotiſtarum, & ni fallimur, Auguſtini, & veritatis invictiſſimum, firmiſſimum, atque validiſſimum patrocinium.

VIII. Plures denique ſunt, qui omnes Baji, Janſeniique errores impugnantes, noſtram de operibus moraliter bonis ſententiam non ſolum immunem a quacunque cenſura, ſed etiam veriſſimam firmiſſimamque, & proculdubio ab Auguſtino traditam eſſe pronuntiant. Hujus generis ſunt Doctores citati a Gabriele Vaſquez 1. 2. diſp. 190., Lovanienſes & viri alii doctiſſimi primo ſequenti capite laudandi, Auguſtiniani univerſi, & complures alii præſtantiſſimi viri; inter quos connumerantur Presbyteri, qui ſub inſtituto Sancti Vincentii a Paulo ſacris Miſſionibus ſunt addicti, & calcantes beatiſſimi Inſtitutoris veſtigia, ſectatoribus Janſenii indixerunt perpetuum & implacabile bellum: hoc enim anno 1746. quo impendo aliquantulum operis Apologiæ conſcribendæ, in hac ampliſſima Urbe, in eruditorum conventu, cathedram moderantibus, & plaudentibus viris doctiſſimis, theſes Theologicas cum Superiorum facultate typis editas, nemine muſſitante, obloquente nemine, propugnarunt. Harum vero theſium ſexageſima his verbis exprimitur: *Ubi nulla gratia eſt, actus ex officio bonos & plurimos reperire poteris. Si proximum, honeſtumque finem, quo fiunt, accurate diſcutias, vix aliquos invenies nulla mala circumſtantia vitiatos: ſin quæſieris actus undequaque bonos, tum ex officio, tum ex bono operantis directione ad finem etiam ultimum, qui Deus eſt, talem & tantæ perfectionis actum ſine gratia nullum omnino reperies; mens humana peccato ſauciata infirmior eſt, quam ut actum ſuum non auxiliante Deo tam ſublime ferat. Philoſophorum & Gentilium virtutes, quas Chriſti gratia non peperit, nec vitia bene dixeris, nec virtutes ſimpliciter veras: non vitia, habent enim objecta, quæ juſtitia non reprobat; non virtutes ſimpliciter veras, nulla eſt enim ſimpliciter vera virtus, quæ Deo abſque fide placere poſſit*. Cernis, opinor, Eruditе

Th. PP. Congreg. Miſſionis anno 1746. pag. 23.

te Lector, nil reliquum esse, quod circa Baji articulos num. 2. præcitatos possit nobis criminator opponere, quod omnino refutatum non sit in priori Dissertatione, & fortassis hac una Præfatiuncula satis superque dispunctum. Æquo tamen animo patere verborum meorum prolixitatem: multiplex enim accusatio multiplicem postulat responsionem, nec defensoris officio, sed accusatoris molestiæ tribuendum est, si diu in litigiosa disceptatione versemur.

CAPUT PRIMUM.

De ſenſu ceterorum articulorum Baji, de quibus Auguſtinianam Scholam Anonymus acerbiſſime criminatur.

NItitur itaque adverſarius demonſtrare, quod in Auguſtinenſium Theologorum ſcriptis, maxime vero in noſtris, & Fulgentii Bellelli lucubrationibus, iidem omnino comprehendantur errores, qui continentur in Baji propoſitionibus 34. 36. 25. 26. & 28. omnemque inſuper movet lapidem, ut evincat ex ſententia, quam nos communiter propugnamus, *de referendis ſingulis deliberatis actionibus in Dei gloriam*, legitime inferri quod omnia opera, quæ non profluunt ex caritate, peccata ſint, atque a noxia cupiditate erumpant, & corrumpantur. At quantum vehemens accuſator decipiatur & erret, & quam falſum & præpoſterum ferat judicium, quamvis ex priori diſputatione ſit manifeſtum, luculentius tamen oſtendet hæc diſſertatio, quæ methodum rationemque duarum præcedentium ſervabit.

§. I.

Quo ſenſu proſcripti fuerint Bajani articuli XXXIV. & XXXVI.

PRopoſitio Baji 34. *Diſtinctio illa duplicis amoris, videlicet naturalis, quo Deus amatur, ut auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator, vana eſt & commentitia, & ad illudendum ſacris litteris, ac plurimis veterum teſtimoniis, excogitata*: atque propoſitio 36. *Amor naturalis, qui ex naturæ viribus exoritur, ex ſola philoſophia per elationem præſumptionis humanæ cum injuria crucis Chriſti defenditur a nonnullis Doctoribus*, non ideo damnatæ fuerunt quaſi reprobata ſit ſententia eorum, qui negant Deum, ut eſt auctor naturæ, poſſe diligi ſuper omnia ſine gratia ſupernaturali, & per ſolas naturæ vires; ſed propter acerbitatem cenſuræ, & quoniam Bajus noluit admittere diſtinctionem illam duplicis amoris ex parte objecti, aut quia aſſeruit amorem omnem naturalem, qui non eſt amor *caritatis*, eſſe intrinſecus peccatum, & corrumpi a vitioſa cupiditate.

I. Bellomontanus Theologus Gabriel Vaſquez in 1. 2. diſput. 194. poſteaquam cap. 4. docuerat, *non poſſe Deum a nobis diligi amore amicitiæ ullo modo ſine auxilio gratiæ moventis, ſive in ſtatu naturæ corruptæ, ſive integræ*; & *univerſe* tradiderat, *nullum amorem erga Deum poſſe eſſe ex ſolis viribus naturalibus*; proxima autem diſp. 195. cap. 2. acerrime impugnaverat diſtinctionem duplicis dilectionis Dei ſuper omnia, *ut finis naturalis*, atque *ut finis ſupernaturalis*, eo modo, quo aliqui duplicem hanc dilectionem ita diſtinguunt, *ut illa, non iſta fiat ex ſolis viribus liberi arbitrii*, cap. 4. num. 28. objicit ſibi Bajanam illam propoſitionem 34. & ſequentia reponit: *Reſpondeo, ibi nihil agi de materia propoſitionis, quod ſpectat ad duplicem amorem, ſed quod attinet ad nimis auſteri, & ſeveri judicii libertatem, qua perſtringebat auctor ille Doctores, qui prædicta diſtinctione utebantur, ut de aliis etiam loco allegato dictum eſt*, nempe diſt. 190. cap. 18. *& a propoſitione prædicta, quæ continet duram, & nimis rigidam notam oppoſitæ partis, longe abeſſe eum, qui ſine aliqua nota contrariæ opinionis aſſeverat, non eſſe duplicem amorem amicitiæ, alterum naturalem erga Deum auctorem naturæ, alterum ſupernaturalem erga ipſum beatificatorem, ut ibidem de aliis etiam probavimus. Quod quidem niſi verum eſſet, dicere deberemus, in ea propoſitione etiam damnari eos, qui aſſerunt non poſſe Deum amari amore amicitiæ ſine gratia: hi enim tollunt amorem naturalem, qui non ſit gratuitus, & omnem dicunt eſſe gratuitum, cum tamen jam multo probabilior ſententia in Scholis ſit, non poſſe Deum amari ullo amore amicitiæ ſine auxilio gratiæ.* Addit Vaſquez nu. 30. Bajum ita requiſiſſe gratiam in ſtatu naturæ lapſæ ad diligendum Deum, & ad reliqua bona opera, ut exiſtimaret *Deum non eſſe finem ſupernaturalem hominis ſuapte natura; ſed in ſtatu naturæ integræ fore, ut bonis operibus factis ex propria virtute ſine gratia deberetur beatitudo ut merces, & nullo modo fore gratiam, nempe in radice meritorum, & ita ille ferre non poterat, Deum appellari finem ſupernaturalem noſtrum.* Ex quo Vaſquez infert non ſolum a cenſura, ſed etiam a ſententia Baji illos abeſſe, qui concedunt *omnem amorem amicitiæ erga Deum eſſe ſupernaturalem, & Deum ut Creatorem eſſe finem amoris etiam ſupernaturalis*. Præterea inquit Vaſquez damnatam in Bajo propoſitionem 35. cum qua connexa eſt propoſitio 36. *Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt: & amor naturalis, qui e viribus naturæ oritur, &c.* ex qua infert Vaſqueſius damnatum fuiſſe Bajum, *quia nolebat bonum aliquem amorem virtutis admittere abſque caritate juſtificante*. Quæ omnia cohærent iis, quæ dicta ſunt duabus præcedentibus diſſertationibus, & lib. 18. cap. 4. pag. 415.

II. Aloyſius Turrianus Complutenſis de eadem propoſitione 34. hæc ſcribit in Tractatu contra errores Michaelis Baji cap. 5. nu. 9. *P. Vaſquez diſp. 195. cap. 4. cenſet non damnari doctrinam, ſed cenſuram, quam author tribuit contrariæ opinioni. Ego vero exiſtimo, etiam damnari doctrinam illius authoris, quia exiſtimabat omnem amorem objecti honeſti ſanctificare, in quo errat aperte, ut conſtat ex dictis.* Ita Bajus in erroribus ſuis, prout a nobis prima Diſſertatione expoſiti & refutati fuerunt, ſibi perpetuo cohæret; ſiquidem nullum amorem honeſtum admittit, nullumque opus bonum abſque gratia *ſanctificante*. Idem de errore Baji cenſet Franciſcus Suarez lib. 1. de Grat. cap. 4. ubi docet Baji ſententia requiri ad amorem honeſtum, & ad quemcumque boni operis actum *gratiam ſanctificantem*, cum Bajus exiſtimaverit omnia peccatoris opera eſſe peccata, proptereaquod non procedant a caritatis *habitu*, & inficiantur juxta pravum ipſius dogma a noxia cupiditate, ut conſtat ex propoſitione 35. immediate proxima: *Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt*. Verba Suarefii Differt. 1. producta ſunt.

III. Joannes Martinez de Ripalda lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ diſput. 13. num. 39. putat quidem decipi Vaſquium ſcribentem propoſitionem, de qua eſt ſermo, proſcriptam fuiſſe ratione ſolius cenſuræ; ſed proximo nu. 40. inquit damnatum Bajum, quoniam rejicit amorem laudabilem, & moraliter bonum, qui caritatis non ſit, & Deum non proſequatur, & quia vitioſæ cupiditati adnumerat omnem amorem objecti creati etiam honeſti, quem Theologi virtutibus moralibus adſcribunt. Verum in hoc quoque ſenſu propoſitiones 34. & 36. proſcriptas fatetur prælaudatus Vaſqueſius citata pag. 387. ac proinde non hunc attente legit Ripalda. Proſequitur is num. 41. ac teſtatur doctrinam ejus propoſitionis 36. non eſſe eam, *quam ſolemnius & frequentius tuentur Theologi de neceſſitate gratiæ ad amorem etiam naturalem Dei*. Quamvis vero Theologus iſte propugnet dari in libero arbitrio ſine gratia *poteſtatem antecedentem*, qua ſpecta-

ta poſ-

Turrianus edit. Lug. pag. 630.

Suarez de Grat. tom. 1. edit. Mogunt. pag. 237.

Ripalda tom. 3. pag. 239.

Tom. 2. edit. Lugdun. an. 1631. pag. 377. Pag. 383. pag. 387.

ta poſſibilis ſit dilectio Dei *entitative naturalis*, teſtatur tamen Theologos plurimos propugnare neceſſariam gratiam auxilii efficacis, ſive congrui, *ut reipſa talis dilectio poſſibilis exiſtat*, ut inquit ibidem nu. 42. Idem Scriptor de Caritate diſput. 34. ſect. 3. tametſi pluribus argumentis demonſtrare nititur amorem Dei *naturalem eſſe poſſibilem ſpectata ſola facultate naturæ*; ait tamen dogma Michaelis Baji in hoc ſitum eſſe, quod noluit haberi *ullum Dei amorem in natura lapſa ſola facultate antecedenti naturæ, ſed ad poteſtatem ſufficientem arbitrii eſſe neceſſarium habitum infuſum caritatis, aut aliud principium ſubſtituens virtutem ipſius, auxiliumque gratiæ entitate ſupernaturale, & indebitum creationi naturæ, ideoque omnem Dei amorem naturæ lapſæ poſſibilem eſſe entitate ſupernaturalem, ludibrioque & irriſione dignam, omninoque chimericam diſtinctionem Scholaſticis frequentem amoris Dei, in naturalem, quo Deus diligitur ut auctor naturæ, & in gratuitum & ſupernaturalem, quo diligitur ut beatificator, ſeu largitor gratiæ.* Ex quibus verbis tria obiter notanda ſunt; primum propoſitiones Baji negantes amorem *naturalem*, juxta Joannem Martinez de Ripalda, ſpectare ad ſtatum naturæ lapſæ, ut in præfatione prænonui: alterum de facto Bajum in ſtatu naturæ integræ admiſiſſe amorem *naturalem*, ſive ortum ex viribus ſolius naturæ; cum in ſtatu naturæ integræ juxta ipſum Ripaldam fuerit Pelagianus, nec admiſerit gratiam ſupernaturalem: poſtremum, in ſenſu Baji in hoc ſtatu naturæ lapſæ ad amorem, qui non ſit vitioſa cupiditas, non ſolum requiri gratiam actualem, quam, ut paullo poſt dicam, neceſſariam putant multi Theologi, verum etiam *gratiam ſanctificantem*, & *caritatem habitualem*; eo quod inter peccata connumeraverit omnia peccatorum opera, atque duo tantum agnoverit principia actionum humanarum, *caritatem habitualem*, & *cupiditatem item habitualem*, ut bene ſapienterque obſervarunt centum Galliarum Epiſcopi.

Pag. 437.

Vide diſſert. 2. ſect. 3. num. 10. & diſſ. 3. ſect. 2.

IV. Theologi noſtri Lovanienſes, qui ſemper & conſtantiſſime propugnarunt non poſſe Deum, tamquam auctorem naturæ, diligi amore benevolo ſuper omnia, viribus ſolius naturæ, ad objectas Bajanas propoſitiones primo adhibuerunt prælaudatam Gabrielis Vaſquii reſponſionem; atque affirmarunt, ex quo Deus amari poſſit ut auctor naturæ, & amari item poſſit ut auctor gratiæ, (cum revera non ſolius naturæ, verum etiam gratiæ, omniumque bonorum ſit fons & origo), minime inferri, quod unus ab altero amore ita diſtinguatur, ut amor Dei auctoris naturæ non pertineat ad juſtitiam, neque perducere valeat ad vitam æternam, ideoque non opus ſit ad hujuſmodi dilectionem ſupernaturalis gratiæ adjutorio. Quod noſtrates probant ex quo ſervantibus illud præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. quod utique in lege naturali, & ſcripta, primum eſt ac præcipuum, Marci x. 19. repromiſſa dicatur merces æternæ vitæ; atque Auguſtinus epiſtola 107. ad Vitalem, in IV. adverſus Julianum libro, de Gratia & libero arbitrio, aliiſque in locis quamplurimis, itemque alii Patres, & Arauſicana Synodus canone 25. tradiderint diligere Deum eſſe donum gratiæ; nec ullibi ad illam diſtinctionem confugerint, Dei ut naturæ, atque ut ſupernaturalium donorum auctoris. Docuerunt itaque ac docent Auguſtinenſes, dari quidem amorem Dei *ſupernaturalem* ex parte objecti, qui tamen ſit ſupernaturalis ex parte principii. Cum enim, inquiunt, Scripturæ divinæ, Patres, Concilia, ipſaque ratio demonſtrent amorem Dei, qui creaturæ rationalis opus eſt præſtantiſſimum, eſſe donum Patris, & gratiæ munus, nec diſtinguant inter Deum creatorem, & glorificatorem; quamquam Deus & creator ſit, & glorificator, conſequens tamen non eſt, poſſe Deum ut creatorem diligi naturalibus viribus, non poſſe tamen naturalibus viribus diligi tamquam glorificatorem: ſed potius ſequitur neceſſariam eſſe gratiam ſupernaturalem, ut Deus diligatur utroque modo; eo ferme pacto, quo cum Scriptura Patreſque tradant neceſſarium eſſe lumen ſupernaturale ad Deum videndum, & univerſim, atque indiſtincte loquantur, non conſequitur poſſe Deum *intuitive*, ut loquitur Schola, videri ſine lumine gloriæ ut creator, & naturæ auctor eſt, & non poſſe hac ratione videri tamquam glorificator, ſive auctor ſupernaturalium donorum: ſed plane ſequitur nullam viſionem *intuitivam* haberi poſſe abſque ſupernaturali gloriæ lumine. Atque ita communem noſtratium ſententiam immunem a damnatione articulorum Baji explicat Aurelius Piette Regens Lovanienſis p. 3. Operum ſuorum Theologicorum pag. 193.

Piette edit. Lovan. pag. 193. partis tertiæ.

V. Revera quomodo poteſt in ſuſpicionem Bajaniſmi ſententia illa venire, quæ ad diligendum Deum ut creatorem, ſive auctorem naturæ, exigit gratiæ neceſſitatem, quando eamdem ſententiam propugnarunt viri doctiſſimi, ac præſtantiſſimi? De ea quippe ſententia ſcribit Sylveſter Maurus S. Jeſu Theologus lib. VI. quæſt. 46. num. 11. *Prima ſententia docet omnem amorem benevolentiæ, quo Deus amatur propter ſeipſum etiam ut finis naturalis, eſſe ex ſua ſubſtantia ſupernaturalem, ita ut per ſe poſtulet auxilia ſupernaturalia. Hujus ſententiæ mentionem facit S. Thomas quodlib. 1. art. 8. præſertim in reſponſ. ad 3. ac videtur fuiſſe Alenſis 2. part. qu. 30. membro 1. Alberti 2. p. tract. 4. qu. 14. membro 4. art. 2. Citatur etiam Altiſſiodorenſis, & Bannes 2. 2. qu. 23. art. 1. quos tamen hoc non docuiſſe probat Suarius lib. 1. de Grat. cap. 3. nu. 2. Secutus eſt hanc ſententiam Vaſquez 1. 2. diſp. 195. cap. 2. & Cornelius Janſenius lib. 1. de pura nat. cap. 4. & ſequentibus uſque ad finem libri.* Judicio itaque Sylveſtri Mauri non tantum Janſenius ſententiam, de qua ſermo eſt, defendit; ſed inſuper pro ea ſteterunt antiquiores quidam, inter quos Alenſis, & Albertus Magnus, necnon Gabriel Vaſquez: judicio autem aliorum etiam Altiſſiodorenſis, & Bannes.

Sylv. Maurus tom. 2. pag. 165. edit. Romanæ.

VI. His vero a Mauro laudatis alii multi addendi ſunt, ac præſertim Eminentiſſimus Bellarminus, qui de Grat. & lib. arbitrio lib. VI. cap. 7. demonſtrat, *non poſſe Deum ſine ope ipſius diligi neque ut auctorem naturæ, neque ut largitorem gratiæ & gloriæ, neque perfecte, neque imperfecte, ullo modo, atque hanc ſententiam eſſe Sancti Auguſtini, imo etiam Scripturarum & Conciliorum, quicquid aliqui minus conſiderate in hac parte ſcripſerint.* Atque id vir eximius multiplici ratione demonſtrat, ea præſertim, quia *nullum opus pietatis fieri poteſt ſolius naturæ viribus, neque contrarium affirmari poſſit ſine hæreſis periculo*; dilectio autem Dei, quamvis ut auctoris naturæ, *opus ſit pietatis*: quæ ratio ad omnem hominis ſtatum videtur extendi, quoniam in omni ſtatu dilectio Dei foret opus pietatis. Quamquam vero cap. proximo pag. 357. aſſerat Bellarminus dilectionem Dei eſſe naturalem, *quantum attinet ad inclinationem naturæ, quæ eſt in homine per modum actus primi*, & non poſſe hominem in actum ſecundum prodire ſine auxilio gratiæ *propter naturæ corruptionem*; addit tamen neceſſum non eſſe, ut ad ea, in quæ animus naturali pondere fertur, pervenire valeat naturæ viribus, ſubjiciens rationem, quæ unicuique hominum ſtatui aptari poteſt: *Neque neceſſe eſt, ut ubicunque eſt inclinatio naturalis, ſint etiam vires ſufficientes per ſe ad actum illum perficiendum, ad quem natura propendet. Nam humana anima a corpore ſeparata naturaliter propendet ad corpus, nec tamen ſuis viribus poteſt iterum cum corpore copulari: & juxta multorum ſententiam naturaliter inclinatur mens hominis ad Deum videndum, nec tamen poteſt ſuis viribus Deum videre.* Quibus verbis etiam confirmantur, quæ ſcripſi præcedenti differt. §. 6. capitis primi.

Tom. 4. pag. novæ edit. Venetæ 356.

VII. Commemorata ſententia Bellarmini, non abs re erit animadvertere, non deeſſe Theologos præſtantiſſimos, qui etſi doceant poſſe hominem *in puris naturalibus* conſtitutum diligere Deum, & bonum ali. quod naturalis legis perficere; fatentur tamen minime id poſſe ſemper, & quotieſcunque opus ſit, propter concupiſcentiam, atque inditam infirmitatem. *Non quiverat homo* (inquit Dominicus Soto lib. 1. de nat. & grat. cap. 4.) *ex puris naturalibus totum naturæ bonum perficere*, ideſt, *ubicunque opus eſſet bene moraliter agere. Atque hujus ſe ratio protinus profert. Nam cum homo, ut dictum eſt, etiam in puris naturalibus in continuo eſſet duello ſenſualitatis adverſus rationem, neceſſe eſſet rationem, non quidem ſemper, ſed tamen ſæpe ſuccumbere hoſti, niſi divinitus ſuppetias haberet. Nec ſolum propter ſenſualitatis pugnam, verum & propter imbecillitatem corporis, quod licet obediat obſequio diſpotico, tamen fatigatur, & laſſum non poteſt ad nutum parere rationi.* Clariſſimus item Eſtius in 2. diſt. 27. §. 38. tametſi doceat hominem conditum in puris naturalibus *potuiſſe ex ejuſdem naturæ viribus Deum ſuper omnia diligere, ſcilicet ut ipſius naturæ, & naturalis beatitudinis auctorem*; affirmat tamen id fieri potuiſſe, quoniam *natura hominis ſic conſtituti non fuiſſet vitiata peccato, nec in ſe habuiſſet pugnam carnis & ſpiritus*; laudatque Medinam, qui in 1. 2. qu. 109. art. 4. affirmat hominem conditum in puris naturalibus *non poſſe operari totum bonum naturæ, proportionatum naturæ rationali, ex viribus naturæ*, ideoque nec diligere Deum ſuper omnia, quæ eadem eſt, ac Soti ſententia: quam prælaudatus Eſtius ait eſſe veram rectiſſimamque in hypotheſi ipſius Medinæ, *quod in ſtatu pure naturali futura fuiſſet pugna, & rebellio carnis ad ſpiritum*; quare horum Theologorum, Soti, Medinæ, Eſtii, aliorumque complurium firmiſſima ſententia eſt, in ſtatu humanæ naturæ poſt lapſum non poſſe diligi Deum ſuper omnia, nec etiam ut auctorem naturæ, abſque gratia ſupernaturali: quæ utique ſententia defenditur a S. Thoma 1. 2. qu. 109. art. 3. aliiſque in locis; ſententia autem contraria ab Eſtio in eodem §. 38. pertinere dicitur ad hæreſim Pelagianam, *etiam ea parte, qua Deum ut auctorem naturæ dicit poſſe ſine gratia a nobis ſuper omnia diligi.* Atque hæc eadem eſt ſententia

Dominicus Soto pag. 7. edit. Lugduu. Eſtius tom. 2. edit. Duaci pag. 361. & 363. Barth. Medina pag. edit. Venetæ 583.

tia Bellarmini, ut supra vidimus. Ex quibus consequitur hominem in puris naturalibus, cum illa saltem concupiscentia, quam nunc experimur, & quam futuram fore in pura natura adversarii nostri, ac præsertim auctor *Bajanismi Redivivi*, contendunt, minime posse totam naturalem legem servare. Ut modo ad Bellarminum dissertatio hæc revertatur; is laudato in loco demonstrat Deum non posse diligi absque gratia, ut auctorem naturæ, quia *amor Dei super omnia, etiamsi Deum solum respiciat, ut auctorem naturæ, non patitur secum ullum affectum inordinatum, immo includit odium rerum omnium delectabilium contra legem Dei: ergo si potest hic amor naturæ viribus obtineri, poterit homo naturæ viribus implere omnia mandata, imo & a præteritis sine gratia Dei justificari*: qui sunt manifesti errores Pelagianorum. Quapropter nec etiam *in puris naturalibus* posset Deus diligi super omnia, *etiam ut est auctor naturæ*, viribus solius arbitrii; si verum sit, quod Medina, Sotus, aliique viri doctissimi tradiderunt, in nullo statu posse hominem sine dono supernaturali totam legem naturalem implere, vitare omnia peccata, atque ut Bartholomæi Medinæ verbis utar, *operari totum bonum naturæ, proportionatum naturæ rationali*.

VIII. Addam nonnulla, quæ fortassis ad omnium Theologorum notitiam minime pervenerunt. Extat apud nos Scriptum a Patribus Prædicatoribus in celeberrimis Congregationibus de Auxiliis exhibitum SS. D. N. Clementi VIII. in quo hæc propositio, *Potest homo solis viribus naturalibus arbitrii nostri, & concursu generali Dei elicere actum absolutum mere naturalem dilectionis Dei super omnia, qui tamen ad justificationem non sufficiat*, accusatur tamquam dogma Cassiani, qui a S. Prospero cap. 30. adversus Collatorem his verbis refutatur: *Et tanta est secundum ipsum liberi arbitrii vel incolumitas, vel facultas, ut caritatem, quæ in omnium est arce virtutum, non ex Dei munere, sed ex sola habeat facultate*. Habeo item ad manus Gregorii Coronelli Opus Mſ. *de viribus liberi arbitrii*, exhibitum SS. D. N. Paulo V. in quo Opere invictissimis argumentis demonstratur hæc propositio num. 3. *Non potest homo lapsus solis ingenitis naturæ suæ viribus, sine speciali gratiæ divinæ adjutorio, diligere Deum super omnia, neque ut auctorem naturæ, neque ut largitorem gratiæ & gloriæ, neque perfecta, neque imperfecta dilectione*. In alio itidem FF. Prædicatorum Scripto adv. Molinam exhibito in iisdem Congregationibus de Auxiliis Romano Pontifici asseritur eadem propositio, & confirmatur etiam testimonio Cardinalis Bellarmini, de quo dictum supra. Idem memorati Religiosissimi viri demonstrarunt in ea dissertatione, in qua disputatum fuit, *Quis magis tribuat libero arbitrio, S. P. Augustinus, an P. Molina?* Pariter Joannes de Rada exhibuit Sanctissimo D. N. Paulo V. quasdam propositiones, quas ille tamquam de fide definiendas esse censebat; inter quas continetur tertia, de qua paullo supra, iisdem verbis expressa.

Codex I. Archivi Secreti Biblioth. Angelicæ pag. 68.

In eodem Cod. pag. 200.

In ipsamet Codice pag. 328.

Ibid. pag. 353.

Cod. III. pag. 88.

IX. Huic Angelici Doctoris, Majorumque suorum sententiæ adhæserunt cum Joanne Baptista Gonet posteriores etiam Thomistæ: quorum sententia est, *Hominem in statu naturæ lapsæ non posse viribus liberi arbitrii, & cum solo concursu generali, Deum ut auctorem naturæ dilectione efficaci super omnia diligere*. Appellant autem dilectionem efficacem illam, quæ *ex vi sua potens est media ad placendum Deo necessaria inducere, & omnia, quæ ejus amicitiæ repugnant, excludere*. Quod etiam docent de homine *in pura natura* constituto, cum hoc tamen discrimine, quod in statu *naturæ lapsæ* necessarium putant auxilium speciale *ordinis supernaturalis*; at in statu *puræ naturæ* necessarium duntaxat asserunt speciale auxilium *naturalis ordinis*. Atque hæc ipsius Goneti verbis sunt exposita.

Gonet de Grat. disput. 1. art. 4. sive Tom. IV. edit. Paris. pag. 55. & 58.

X. Franciscus Suarez lib. 1. de Grat. cap. 36. affirmat veram esse sententiam, *quod homo creatus in puris naturalibus non magis posset per solas vires arbitrii diligere super omnia Deum, ut finem naturæ, quam nunc possit homo lapsus*: ac Suarius ideo hanc sententiam verissimam censet, quoniam *vires naturales liberi arbitrii non futuræ fuissent majores in statu purorum naturalium, quam sint in natura lapsa, vel quod perinde est, in statu naturæ lapsæ non sunt minores, quam fuissent in pura natura non integra*. Quamvis autem superius, nempe cap. 31. idem Suarefius statuerit, *dilectionem Dei super omnia, ut auctoris naturæ, non excedere vires naturales liberi arbitrii*; ex ejus tamen doctrina nuperrime explicata consequitur dilectionem illam, si excedat vires naturales arbitrii in statu naturæ humanæ post lapsum, excedere quoque easdem vires *in statu naturæ puræ*: quum juxta Suarefium (verum ne id sit, an falsum, videat ipse) in utroque statu vires liberi arbitrii nec *majores sint*, nec *minores*.

Suarez tom. 1. de Grat. p. 355.

Idem Suarez ibid. pag. 336.

XI. Tandem Augustiniani, ii quoque, qui Ægidii Romani sententiam totis lacertis propugnant, docent creaturam rationalem, in quocunque statu spectetur, habere quidem inclinationem naturalem ad Deum, sed non posse in actum dilectionis naturalis, quo Deus diligatur supra se, sine gratiæ adjutorio prorumpere. Atque id Ægidius Romanus docet in 2. sentent. qu. 7. art. 2. §. *Motus ergo naturalis*, aliisque in locis, quæ producit, illustratque celebris Augustinianæ familiæ scriptor Fridericus Gavardi in dissert. de Angelis quæst. 7. art. 3. Quapropter idem auctor citato in loco, necnon de Gratia qu. 2. art. 5. affirmat, *in quolibet statu ad actualem dilectionem Dei super omnia, quatenus est auctor naturæ, requiri gratiam entitative supernaturalem*; similia tradunt Benignus Sichrovvscky q. 1. de Gratia art. 5. num. 71. aliique Ægidiani. At de Baji prop. 34. & 36. dictum satis.

Gavardi tom. 3. pag. 244. to. 4. pag. 314. Vide et. iam Barthol. Riccium in propos. damnatas disput. 20. pag. 222. Sichrovvscky tom. 3. parte x. pag. 27.

§. II.

De Bajanis articulis XXV. & XXVI.

BAji propositiones XXV. & XXVI. *Omnia opera infidelium sunt peccata. Et Philosophorum virtutes sunt vitia*, jure meritoque damnatæ sunt, tum respective ad propositionem 35. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*; tum quia revera plura dantur opera infidelium, necnon impiorum fide perfecta, & gratia Spiritus Sancti inhabitantis carentium, sive indeliberata, sive deliberata, cum speciali gratiæ auxilio peracta, quæ nullatenus sunt scelerosa; plures item virtutes morales, quæ licet bonæ non sint spectata circumstantia ultimi finis, non tamen sunt vitia, neque inficiuntur, aut labefactantur a noxia cupiditate.

I. Hunc esse prædictarum propositionum damnatum sensum demonstravi in priori dissertatione: sunt hoc tamen in loco quædam addenda. Eminentissimus Cardinalis Norisius, pertractans in *Vindiciis Augustinianis* cap. 3. §. 4. de virtutibus infidelium opponit sibi Bajanam propositionem 25. atque ait: *Scio* adversarios *opponere damnatam hanc Baji propositionem*, Omnia opera infidelium sunt peccata, *&c. Sed hac sensura S. P. sententia neutiquam percellitur. Etenim hic palam concedit in infidelibus aliqua opera bona in primæ saltem sui productione, ex gratia tamen donata. Præterea etiam sine gratia homo appetitu innato ex Augustini sententia amat summum bonum; nullus enim est, qui non velit esse beatus*. Proximo §. 5. hæc de eadem propositione Norisius: *In primis illa propositio a plerisque recitatur, præcipue vero a Suario, hoc pacto: Et ad Pelagianismum rejicienda est illa sententia, Omnia opera infidelium sunt peccata, & philosophorum virtutes sunt vitia*. Id Cardinalis Norisius confirmat ex Turriano, qui in Tractatu de erroribus Baji cap. 5. §. 1. num. 4. scribit: *Sic habent aliquæ Bullæ typis mandatæ Romæ, & aliquot manuscriptæ, quas ego vidi*. Ad eumdem modum recenset Bajanas propositiones in Apparatu tom. 2. V. *Michael Bajus*, eruditissimus Possevinus. Hinc Norisius infert illam Baji propositionem damnatam esse ob censuram, *qua Pelagianismi incusabat negantes omnia opera infidelium esse peccata, & illam censuram primitus in Bullis fuisse patet ex iis, quæ antiquitus Romæ editæ sunt, quas etiam Turrianus insignis e Societate scriptor testatur se legisse; quis audeat dicere typographos Romanos propria auctoritate ea verba addidisse?* Hanc censuram confirmat Cl. Norisius ex propositione 22. *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos 2.* Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, *intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus*: quæ propositio secundum historicam narrationem vera est; nam Pelagius ita illa Apostolica verba explicavit in Epistola ad Demetriadem: eadem explicatione usi sunt passim Pelagiani, prout constat ex Patribus Byzacenis in libro de Incarnat. & Gratia cap. 5. necnon ex Augustino libro IV. contra Julianum cap. 3. Damnata est ergo ea propositio 22. ob acerbitatem censuræ. *Itaque* ait Norisius, *etiam propositio illa 26. ob censuram proscripta fuit, quæ eamdem doctrinam cum 22. continet; oppositum enim thesis 26. probari solet ab omnibus ex textu memorato Apostoli*. Respondet 2. Norisius *propositiones illas damnari* respective, *& in sensu ab assertoribus intento, ut in fine Bullæ asseritur. Illa propositio 26. damnata est respective ad 35. quæ est*: Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est. *Ex qua necessario infertur omnia opera infidelium esse peccata, & philosophorum virtutes esse vitia, cum illi sint peccatores. Quare merito damnatur, uti derivata ex hæretica doctrina rejecta in Tridentina Synodo sess. 6. can. 7.* Addit Cardinalis amplissimus responsionem tertiam, *infideles aliquos actus bonos elicere, ad quos a Deo permoventur, qui profecto peccata esse non possunt*: quod Norisius demonstrat auctoritate S. P. Augustini. *Bajus vero*, inquit, *nullos actus bonos ex Dei gratia ab infidelibus fieri volebat*,

To. 1. pag. 994. Pag. 1052.

Possevinus to. 2. Apparatus pag. 439. edit. Venetæ. In Biblioth. Angelica Codice 34. Archivi secreti in fine, habetur Bulla Mſ. Gregorii XIII. quæ item continet ea verba, Ad Pelagianismum &c.

lebat, eo quod gratiam tantum admittebat Spiritus Sancti inhabitantis in anima, qui cum in infideli non inhabitet, hinc arbitrabatur nullum in eodem divinæ gratiæ auxilium reperiri. Hoc poſtremum confirmat Noriſius teſtimonio Gabrielis Vaſquez in 1. 2. diſp. 190. cap. 18. num. 183. de quo alibi dictum eſt. Eadem Noriſius repetit in *Parallelo*, productis etiam verbis P. Macedi paullo poſt laudandi.

Eodem tom. 1. pag. 1343.

II. Has Noriſii reſponſiones probant, & afferunt innumeri illi, clariſſimique Theologi, qui nulla opera moralia *undique bona* dari contendunt *abſque ſpeciali adjuterio gratiæ*, & niſi in Deum actualiter, ſeu virtualiter referantur. Quorum Theologorum quoſdam connumerare opus eſt, ut cuique manifeſtum fiat, quales viros audax criminator nobiſcum tamquam Bajaniſtas traducat. Jam Noriſius laudato Vindiciarum capite demonſtravit Gregorium noſtrum Ariminenſem, licet in 2. ſentent. diſt. 26. qu. 1. artic. 1. dicat *omnia opera infidelium eſſe peccata*, neutiquam tamen convenire cum Michaele Bajo, propterea quod idem Ariminenſis doceat plura bona ab infidelibus fieri, at non *ſine ſpeciali adjutorio Dei*, nec requirat ad eadem bona opera *gratiam Spiritus Sancti inhabitantis*. Idem judicium ferendum eſt de Baſilio Poncio inter Salmanticenſes celeberrimo, de quo eo loci Cardinalis ampliſſimus. His adde Gaſparum Caſalium lib. 1. *de Quadripartita juſtitia* cap. 32. Carolum Moreau Gallum, celebremque Tertulliani Scholiaſtem, in Opere, quod autographum cuſtoditur in Angelica Bibliotheca, & cui titulus, *Spiritus & Medulla doctrinæ Sancti Auguſtini*, p. 3. hom. 8. Cardinalem Hieronymum Seripandum, qui in Oratione habita in Funere Caroli V. paullo poſt initium inquit: *Diſputatum eſt enim a noſtris ſanctis, & ſapientibus viris, ac ſubtiliſſimis, & ad tenue limatis rationibus concluſum, nequaquam fieri potuiſſe, ut qui veræ religionis ratione Deo ſubjecti non fuere, veris virtutibus animorum peturbationes, cupiditates & morbos aut radicitus extraherent, aut moderarentur. Præclare igitur ab eis dictum, & certa ratione definitum eſt, virtutes, quibus præditi ſibi videbantur eſſe qui falſa erant religione imbuti, non virtutes, ſed vitia appellanda eſſe, quod idem quoque nobis affirmandum eſt de omni gente, & natione a Chriſti Jeſu religione & fide aliena:* Philippum Van-Wavre in theſibus inſcriptis: *Divinæ gratiæ prædicator Apoſtolus Paulus*, ad cap. 13. ad Rom. Joannem Libens in Quæſtionibus ſelectis cap. 3. *de Relatione operum*, & in *Concordia Auguſtino-Ignatiana* §. 2. Aurelium Piette in Theſibus Lovanienſibus an. 1719. necnon tom. 2. Theologicarum quæſtionum qu. 1. de Actibus humanis: Nicolaum Rolin in Theſibus Lovanii propugnatis an. 1729. th. 9. Petrum Clenaerts in Opuſculo inſcripto, *Auguſtinus per ſeipſum docens cap.* XI. Quos tantum ex noſtratibus Auguſtinianæ doctrinæ ſpecialiter addictis commemoraſſe ſufficiat.

Pag. 1054.

Oratio Seripandi typis edita fuit Neapoli, numeris paginarum non appoſitis.

III. Enimvero hi quoque e noſtra familia Theologi, qui Ægidio Romano nomen dederunt, firmiſſime propugnant *poſſe ab infidelibus effici opera moraliter bona per ordinem ad rationem inferiorem, at non ſimpliciter bona ſecundum omnem rationem; quia non ſunt bona per ordinem ad ultimum finem; & ideo ſunt bona, ſed non bene facta, quia non ſunt ordinata ad ultimum finem, qui eſt vita æterna, quam de fide certum eſt non poſſe acquiri viribus naturæ, ut definitum eſt contra Pelagium.* Expoſui autem ſententiam Ægidianorum verbis Friderici Gavardi qu. 2. de Grat. actuali art. 4. ubi plura etiam tradit de proſcriptis Bajanis propoſitionibus. Premit eadem veſtigia Benignus Sichrovvscky de Gratia qu. 1. Petrus Manſo in *Synopſi* doctrinæ Auguſtinianæ de Virtutibus infidelium, & in Opuſculo, quod inſcribitur, *Reflexio vindex pro Eminentiſſimo Cardinali Henrico Noris.*

Gavardi tom. 4. pag. 310. Sichr. tom. 3. tract. 10. pag. 22.

IV. His permultis alii acceſſere; inter quos Franciſcus Macedo in *Cortina* tanquam Auguſtinianæ doctrinæ *oraculum* præmittit num. 36. *Nullus actus moralis bonus ſine aliquo lumine fidei, & inſpiratione gratiæ fit.* 37. *Non omnia opera infidelium ſunt peccata, ſed illa tantum ſunt, quæ ſine ulla fidei luce, & ſine aliquo igniculo gratiæ deliberate ab infidelibus fiunt.* 38. *Ad Actum honeſtum moraliter bonum, aliquod lumen fidei, & impulſus inchoatus gratiæ Chriſti neceſſarius eſt.* Plura ſunt alia theoremata, quæ a Macedo nuncupantur *Oracula*, & quæ in hunc eumdem ſcopum collineant. Prolixa deinde diſſertatione demonſtrat idem Auctor 1. *Auguſtinum rejeciſſe illos actus bonos naturaliter & honeſtos, medios inter pravos, & rectos ordinis ſupernaturalis: atque ideo nullum actum niſi aut veræ virtutis, aut vitii, agnoviſſe.* II. *Omnem omnino actum bonum opus gratiæ, & ex meritis Chriſti eſſe.* III. *Hujuſmodi adjutorium gratiæ non naturalis eſſe ordinis, ſed ſupernaturalis.* Quid ergo reſpondet Macedo ad proſcriptas Baji propoſitiones? Reſpondet 1. *illas propoſitiones damnatas fuiſſe copulative in rigore & ſenſu ab auctoribus intento, qui non ſolum ſuam ſententiam ſtatuebant, ſed etiam contrariam ſuggillabant.* Reſp. 2. *illas propoſitiones ſecundum ſe, & in rigore eſſe falſas & contra mentem Auguſtini, uti Bajus eas proferebat: nam, ut etiam notat Vaſquez, in eo errore erat Bajus, ut nullum bonum opus admitteret ſine fide perfecta, & gratia ſanctificante: qui error alienus eſt a ſententia Auguſtini, qui tantum requirit fidem & gratiam inchoatam, & ante juſtificationem bona opera admittit. Qua de re videndus Vaſquez diſput. 218. cap. 3. & Suarez lib. 1. de Gratia cap. 20. & Smiſing. tract. 3. deciſ. 6. qu. 7. n. 376.* Reſp. 3. *Eas propoſitiones prolatas a Bajo in rigore & univerſaliter falſas omnino eſſe, & prorſus alienas a mente Auguſtini; nam illa prima propoſitio,* Omnia opera infidelium ſunt peccata, *ita univerſim accepta reprobanda eſt, cum multa opera fiant ab infidelibus indeliberata, & ſine advertentia; non pauca ex ignorantia invincibili; quædam poſſint eſſe ex lumine fidei, quæ certe peccata non ſunt: igitur falſum eſt, quod omnia infidelium opera ſint peccata. Apparet autem Auguſtinum de operibus tantum infidelium deliberatis, & ante omnem fidem & gratiam fuiſſe locutum, cum dicat ex defectu debiti finis prava fore.* Quarto item reſpondetur, *Pontificem dicere, nonnullas earum poſſe aliquo modo ſuſtineri: quod ſi quæ poſſunt, hæ certe ſunt, & hoc Auguſtini ſenſu intellectæ.* Hactenus Macedo. Vide eumdem auctorem in *Scrinio* pag. 251. & tom. 2. Collat. pag. 590.

P. Macedo in Cortina pag. 12 & 13. pag. 218. & ſequentibus.

Pag. 246.

V. Scriptores alii permulti fuere, qui negarunt *abſque ſpeciali gratiæ adjutorio* poſſe fieri opus morale *undequaque* bonum. Etenim Gabriel Vaſquez laudat 1. 2. diſp. 190. cap. 2. Albertum Magnum in 2. diſt. 28. Antiſſiodorenſem lib. 2. Summæ tract. 11. quæſt. 4. Marſilium in 1. quæſt. 20. art. 3. Alphonſum Virveſium Philippica v. contra dogmata Lutheranorum, Gerſonem Tractatu de vita ſpirituali Alphabeto 61. lit. G. Gregorium Ariminenſem, de quo ſupra, in 2. diſput. 28. q. 1. Abulenſem in cap. 19. Matthæi, Alphonſum a Caſtro contra hæreſes, verbo *Gratia*, hæreſi 1. concl. 3. Cliſtovæum in Damaſcenum cap. 3. libri 2. de Fide, Leonardum Arretinum in Dialogo de moribus, Roffenſem art. 36. contra Lutherum, Gaſparum Caſalium, de quo ſupra, de Juſtitia Tripartita 1. p. lib. 1. cap. 35. Antonium Panthuſam lib. de Prædeſtinat. & Gratia cap. 6. Capreolum in 2. diſt. 29. q. 1. art. 1. Franciſcum Romæum in libro de libertate & neceſſitate Op. Veritate 14. 15. & 22. Petrum a Soto libro de Inſtitut. Sacerdotum lect. 16. Hos quidem omnes laudat Vaſqueſius; qui proximo cap. 3. demonſtrat eamdem eſſe S. Thomæ ſententiam: cap. 4. eamdem confirmat auctoritate Conciliorum, Romanorumque Pontificum: quinto capite oſtendit adhæſiſſe eidem ſententiæ Patres, qui Auguſtini ætatem præceſſerunt: commonſtrat in 6. Auguſtinum conſtantiſſime docuiſſe gratiæ neceſſitatem ad ſingula opera bona moralia: cap. 10. idem evincit rationibus. Agit Vaſqueſius cap. 18. de propoſitionibus Baji, ea producens, quæ in prima diſſertatione allata fuerunt.

Vaſquez tom. 2. in 1. 2. diſput. 190. pag. 323.

VI. Verum eſt, quod cap. 12. idem Vaſquez ſententiam illam amplectitur, quæ docet *poſſe quidem hominem ſingula opera moralis virtutis efficere ſine auxilio gratiæ per Chriſtum, quod ſuapte natura ſit ordinis ſupernaturalis, quale ad opera virtutum infuſarum neceſſarium eſt: non tamen poſſe ullum opus morale ſecundum virtutem ex omni parte bonum operari ſine aliquo auxilio gratiæ per Chriſtum, quod ſuapte natura ordinis naturalis ſit, & per cauſas naturales æterna Dei miſericordia nobis præparetur.* Quam ſententiam defendit quoque ex Auguſtinenſibus Petrus Manſo, de quo præcitato num. 3. At quidquid ſit de hac ſententia, manifeſtiſſimum eſt, non poſſe aliqua Bajani erroris cenſura notari illorum Theologorum opinionem, qui cenſent neceſſarium ad opera moralia *ſupernaturalis gratiæ auxilium.* Enimvero gratia, quæ nobis *per Chriſtum miſericorditer* præparatur, ſupernaturalis dicenda eſt, aut ſaltem indebita. Deinde Vaſquez cap. 10. ejuſdem diſſert. 190. demonſtrat neceſſitatem gratiæ *per Chriſtum* ad ſingula opera virtutum moralium ex orationibus Eccleſiæ, & ex quo Chriſti gratia neceſſaria ſit ad ſingulas tentationes vincendas: atque capit. 11. idem evincere nititur, ex Apoſtoli verbis, *Quid habes, quod non accepiſti?* ex canone 6. Concilii 2. Auraſicani, necnon ex innumeris Auguſtini teſtimoniis adverſus hæreticos Pelagianos. Quis autem ignorat hinc demonſtrari neceſſitatem gratiæ *ſupernaturalis?* Præterea etiamſi admittamus diſtinctionem gratiæ per Chriſtum inter *naturalem*, & *ſupernaturalem*, de qua diſtinctione plura Baſilius Poncius parte 1. Relect. de Gratia cap. v. pag. 53. & 69. gratia naturalis non alia ratione poteſt *naturalis* appellari, niſi ratione objecti, quod naturæ proportionatum eſt; ſiquidem auctores, qui hujuſmodi gratiam propugnant, illam ex meritis Chriſti, & ex divina miſericordia concedi fatentur; & præterea Vaſqueſius affirmat cap. 2. complures ex Theologis a ſe laudatis ad

Vaſq. pag. 343.

Vaſq. ibidem pag. 339.

Vaſquez pag. 323. & pag. 362.

opera bona moralia requirere auxilium *ſupernaturalis ordinis*, eoſque Theologos diſput. 192. cap. 1. plurimum a Bajo diſcrepare pronuntiat, eo quod iſte affirmaverit *nullum bonum opus fieri, niſi ex caritate in homine jam juſtificato, in quo Spiritus Sanctus ſicut in juſto jam habitat*.

VII. Prædictis auctoribus alios permultos addere poſſumus: inter hos vero Joannem Franciſcum Senault, qui in libro Gallice edito *L' Homme Criminel*, tractatu tertio, de virtutibus infidelium egregie diſſerit ad mentem Auguſtini, demonſtratque virtutes hujuſmodi idolum quoddam eſſe, cujus ſpecies quidem jucunda eſt, ipſæ autem virtutes inanes, cum harum anima ſit humanarum laudum cupiditas, ut Auguſtinus docet lib. v. de Civit. Dei cap. 12. necnon Seneca epiſt. 115. Salluſtius in Catilinam, & Virgilius de Bruto canens:

Vicit amor patriæ, laudumque immenſa cupido.

His adnumerandus eſt Gallus alter Theologus Vincentius Contenſonus diſſert. 2. de Gratia cap. 1. ſpeculat. 2. in qua ſententiam Auguſtinianam de neceſſitate gratiæ *ad quodlibet moralis ordinis bonum* propugnat, atque omni genere argumentorum confirmat. De propoſitionibus autem Baji in ea diſſertatione Theologus iſte tradit, quæ a Noriſio, a noſtratibus reliquis, & a nobis ipſis dicta fuerunt; ita, ut jure miremur in nos tantum, & non in conterraneos ſuos Anonymum ſcriptorem dicteria, criminationeſque jactaſſe. Gaſparum Juenin, ne verſutus adverſarius reponat illius *Inſtitutiones* fuiſſe proſcriptas, alto ſilentio præteream. At nullius eorum, quos commemoravi ſuperius, damnata ſunt Opera; ſicuti nec Natalis Alexandri Moralis & Dogmatica Theologia, in qua noſtra ſententia traditur lib. 1. quæſt. 2. art. 2. §. 11. Summa Chriſtiana Boni Merbeſii, eadem, quæ nos, de virtutibus infidelium, & de moralium operum conditionibus tradens p. 1. quæſt. 8. aliaque inſignium Gallorum ſcripta, quorum nonnulla §. v. producam.

VIII. Arbitror etiam penes librorum meorum obtrectatorem magni ponderis eſſe auctoritatem Ludovici Abelly Epiſcopi *Ruthenenſis*: qui in Medulla Theologica, Tract. de Grat. ſect. 6. probabilius eſſe demonſtrat, hominem *ad perficiendum quodcunque opus, quod ſit ex omni parte moraliter bonum, tam ratione objecti, quam finis, & circumſtantiarum, aliquo divinæ gratiæ auxilio indigere*. Demonſtrans autem *Ruthenenſis* Antiſtes proxima ſect. 8. poſſe infideles aliqua opera moraliter bona exercere, id, quod probat damnatis propoſitionibus Baji, de quibus nunc pertractatur, inquit ad object. 3. hoc cum aſſertione præcedenti nequaquam pugnare, quoniam ante fidem conferuntur aliquando infidelibus *ſupernæ gratiæ auxilia*, ut de Rege Aſſuero, & de Polemone ſcribit ſapientiſſimus Auguſtinus.

IX. Ut nonnulla producam non omnibus fortaſſis obvia; in pluteis Angelicæ Bibliothecæ ſervatur *Scriptum* a PP. Prædicatoribus exhibitum Romano Pontifici, in quo agitur de operibus moraliter bonis, & diſtinctione facta de Gratia habituali, & actuali, ita quæſtio reſolvitur: „ Si loquamur *de gratia gratum faciente*, nemini dubium, quin ſine illa poſſit humana voluntas bene moraliter operari. Exemplum habemus de obſtetricibus Ægyptiacis Exodi 1. quarum domus ſtabilitæ fuerunt, & poſteritas a Deo proſperata, quia poſteritati Hebræorum contra impii regis edictum miſericorditer pepercerunt. Unde S. Gregorius ait: *Præmium temporale meruerunt; ſi non fuiſſent in peccato, promeruiſſent æternum*. Alterum exemplum eſt de Romanis: quibus teſtatur D. Auguſtinus lib. 1. de Civit. Dei cap. 15. Deum dediſſe tam amplum imperium, ut in hac vita bonas eorum virtutes remuneraretur; at Deus nec malorum, nec vitiorum eſt remunerator. Ergo ruit modernorum hæreticorum opinio, quod omnia tam infidelium, quam fidelium impiorum opera peccata ſint, dogmatizantium. Sin intelligatur quæſtio *de auxilio ſpeciali*, quo Deus non ex debito, ſed ex innata benignitate, & gratia cooperari ſolet cauſis ſecundis, præſertim liberis; nonnulli diſtinguentes reſponderunt, quod opera moralia ſunt duplicis generis, alia levia, & facilia, ut velle laborare in agro, velle manducare & bibere, velle habere amicos, velle ducere uxorem, & cetera ad præſentem vitam pertinentia: alia ſunt ardua, & difficilia, ut dilectio Dei ſuper omnia, continentia, patientia, fortitudo uſque ad mortem vel pro patria, vel pro patre, vel pro filiis, vel pro amicis ſuſtinendam. Si de levibus, & facilibus ſit ſermo, poteſt (inquiunt) humana voluntas, quando præſertim non adſunt tentationes, ſe ipſa cum ſolo concurſu, & auxilio generali bene moraliter operari. *Non enim*, ut Auguſtinus in lib. de Spiritu & litt. cap. 27. *adeo detrita eſt in anima humana imago ſui Creatoris, ut non poſſit in ſua impietate aliqua legis facere, & ſapere*. Si autem loquamur de arduis, & difficilibus, ad ea ſine gratia, & auxilio ſpeciali obeunda omnino impotens eſt humana voluntas: ideo Auguſtinus, *Si ex Deo eſt amor Dei, vicimus Pelagianos; ſin ex nobis eſt, vicerunt Pelagiani*: & in Epiſt. 103. laudat continentiam Polemonis, tamquam donum Dei; & lib. 4. contra Jul. cap. 3. loquens de virtutibus infidelium, *Quanto* (inquit) *tolerabilius illas, quas dicis in impiis eſſe virtutes, divino muneri potius, quam eorum tribueris tantummodo voluntati, licet ipſi hoc neſciant?* Et lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 7. & alibi ſæpe copioſas Centurionis eleemoſynas, etiam antequam in Chriſtum crederet, & juſtitiam, & donum Dei nuncupavit. Reddit rationem D. Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Grat. & liber. arbitrio cap. 11. §. *Reſpondeo*. Virtutes morales dicuntur merito dona Dei, quia non acquiruntur niſi per actus frequentes; non poſſunt autem frequentari hujuſmodi actus, niſi reſiſtendo paſſionibus, eaſque frænando & coercendo, quod ſupra diximus ſine auxilio Dei, & ſpeciali auxilio fieri non poſſe. Quod dixerunt iſti de operibus moralibus arduis & difficilibus, tamquam veriſſimum amplexamur: quod autem de levibus & facilibus, nequaquam poſſumus amplexari. Nec enim limitatio illa ſufficit, qua dicunt, ſi deſint tentationes: quando enim deerunt? Tunc deerunt, quando ab oratione dominica erimus immunes, & ab illa petitione, & oratione, *Ne nos inducas in tentationem*, fuerimus liberati: quando ex toto natura humana, non ex parte fuerit reſtituta, &c. „ Ex hoc autem Scripto apparet, non poſſe ab infidelibus fieri opera bona moralia *abſque gratia actuali*, & eatenus damnata eſſe nefaria Lutheri, Baji, aliorumque dogmatizantium aſſerta, quatenus adſtruunt peccata eſſe quæcunque fiunt ab infidelibus & peccatoribus *abſque gratia habituali*, & *abſque Spiritu Sancto inhabitante*.

X. Exhibuit in iiſdem Congregationibus de Auxiliis Summo Pontifici Paulo V. Tractatum *De viribus liberi arbitrii in natura lapſa* Gregorius Coronellus Auguſtiniani Inſtituti vir celebris: in quo Tractatu prop. 1. demonſtrat *hominem in ſtatu naturæ lapſæ non poſſe ex ingenitis viribus, abſque ſpeciali gratiæ divinæ adjutorio, veras virtutes comparare, aut opus aliquod morale efficere, quod comparatione finis naturalis ſit vere bonum, ac veræ virtutis opus*. Ubi vero demonſtravit vir præclarus hanc eſſe mentem S. P. Auguſtini diſſerentis lib. 4. contra Julianum de virtutibus Infidelium, refellit quod Molina, ejuſque defenſores dicunt, negaſſe Auguſtinum fieri poſſe ex ſolius naturæ viribus opera veræ pietatis ac ſupernaturalia, quod putant a Concilio Arauſicano II. ſignificari illis verbis, *ſicut oportet*; cum S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 2. ſtatuat hoc diſcrimen inter hominem integrum, & lapſum, quod ille *quantum ad ſufficientiam operativæ virtutis poterat velle & operari bonum ſuæ naturæ proportionatum, quale eſt bonum virtutis acquiſitæ, non autem bonum ſuperexcendens, quale eſt bonum virtutis infuſæ: ſed in ſtatu naturæ corruptæ etiam deficere ad hoc, quod ſecundum ſuam naturam poteſt, ut non poſſit totum hujuſmodi bonum implere per ſua naturalia, quamvis, quia natura per peccatum non eſt totaliter corrupta, poſſit per propriam virtutem agere aliquod bonum particulare, ad ſtatum vitæ præſentis, ejuſque conſervationem ſpectans*. Concludit Coronellus non poſſe in hoc ſtatu *ſine ſpeciali gratiæ adjutorio* fieri opera virtutis acquiſitæ, ſed ea tantum, quæ ſpectant ad vitæ conſervationem; at in his quoque diſtinguit cum Auguſtino *officium a fine*, negatque fieri poſſe opera bona *undequaque* ab homine lapſo, niſi per gratiam ſanetur. Idem in ſuo *Scripto*, quod itidem apud nos autographum cuſtoditur, docuit Jacobus Le-Boſſu Benedictinus, ſelectus in iiſdem Congregationibus de Auxiliis Theologus, ac Doctor Sorbonicus; cui alii ex parte PP. Prædicatorum ſubſcripſere.

§. III.

Traditur articulorum 28. & 29. Baji proſcriptus ſenſus.

PRopoſitio Baji 28. *Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio nonniſi ad peccatum valet*, & prop. 29. *Pelagianus eſt error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum*, idcirco ab Apoſtolica Sede fuerunt proſcriptæ, quoniam Bajus nullum opus bonum admiſit ſine fide perfecta, & ſine gratia ſanctificante, affirmavitque omnia impiorum, atque infidelium opera infici & corrumpi a vitioſa cupiditate: in propoſitione autem 29. quemadmodum in 22. 37. & 62. idem nefarium dogma enuntiantibus, repreſſa quoque eſt cenſuræ acerbitas, verborumque procacitas.

I. Hujuſmodi quippe propoſitiones cum iis, de quibus inſtitutus eſt ſermo, cohærentiam habent, nec damnandæ erant pronuntiatæ de libero arbitrio deli-

Senault pag. 258. & ſeq.

Contenſ. tom. v. pag. 160. & ſeq.

Nat. Alex. to. 1. edit. Pariſ. pag. 167.

Summa Merbeſii edit. Pariſ. pag. 9.

Abelly p. 1. edit. Pariſ. pag. 399. & 407.

Extat Cod. 1. MSS. Archivi Secreti Angelicæ Biblioth. pag. 131. Hujuſmodi ſcriptum autographum, ſive originale eſt, editumque a Hievonymo Pallanterio.

Nota quod recenſeant ſententiam aliorum, non ſuam.

Nota, nec levia & facilio-ra, quæ ſint bona ex omni parte in genere morum, fieri ſine gratia.

Eodem Volum. pag. 196.

In eadem ſententia fuiſſe Thomam de Lemos conſtat ex Præfat. nu. 6.

Le-Boſſu Codice 3. ejuſdem Archivi pag. 250.

deliberate operante, & deſtituto qualibet gratia actuali. Etenim de ipſo libero arbitrio gratia expoliato inquit Auguſtinus lib. 3. ad Boniface. cap. 8. *Liberum arbitrium captivatum nonniſi ad peccandum valet: ad juſtitiam vero niſi divinitus liberatum, adjutumque, non valet.* Repetit libro de Sp. & lit. cap. 3. *Neque liberum arbitrium quicquam, niſi ad peccandum, valet, ſi lateat veritatis via.* Ait Serm. 13. de Verbis Apoſtoli: *Si defuerit adjutorium Chriſti, nihil boni agere poteris*, Scribit Tract. 5. in Joannem: *Nemo habet de ſuo niſi mendacium, & peccatum.* Hæc, aliaque id genus innumera quis dixerit cum Bajanis articulis fuiſſe proſcripta?

II. Itaque ſubſcribendum Vaſqueſio 1. 2. diſp. 190. cap. 18. num. 183. hæc aſſerenti: *Ille ergo* (Bajus) *prædictam propoſitionem* 28. Liberum arbitrium ſine gratiæ adjutorio nonniſi ad peccandum valet, *quam habet lib. 2. de juſtitia, & virtut. impiorum cap. 9. in eo ſenſu intellexit, quem expreſſit aperte eodem libro cap. 4. & 5. nempe per auxilium gratiæ intelligens auxilium inhabitantis Spiritus Sancti, quo referantur opera illa in Deum; nam prop. 59. & 60. notata in prædicta Bulla non admittebat ille diſtinctionem gratiæ Spiritus Sancti nondum habitantis, qualem concedimus ante remiſſionem peccatorum, & inhabitantis, qualem dicimus eſſe poſt remiſſionem: in quo contradicebat Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4. ubi diſtinguitur duplex hoc auxilium gratiæ; atque ita aſſerebat illam ſolam operationem ſtudioſam eſſe, quæ eſt ex fide per dilectionem operante.* Paullo infra: *Hinc ergo recte conſtat, quam diverſo modo ſentiant Auguſtinus, & alii ejus diſcipuli de divino adjutorio, cum dicunt liberum arbitrium ſine adjutorio divinæ gratiæ nonniſi ad peccandum valere: loquitur enim de adjutorio Spiritus Sancti nondum habitantis, nec juſtificantis actu animam, nec adhuc opera meritoria vitæ æternæ in anima efficientis, ſed paullatim ad juſtificationem ipſam animam moventis: at hic auctor loquitur de auxilio gratiæ Spiritus Sancti animam inhabitantis, & actu juſtificantis per affectum caritatis: quocirca longe diverſa ſententia ipſius fuit a ſententia Auguſtini.*

Vaſq. tom. 2. in 1. 2. pag. 356.

III. Turrianus pariter Tract. contra errores Baji cap. 3. §. 1. poſtquam animadvertit Bajum negaſſe diſtinctionem *gratiæ moventis & inhabitantis*, produxitque præmiſſum Vaſquii judicium, *Ex damnatione* (inquit) *propoſitionis 28. non ſumitur argumentum contra opinionem aſſerentium ad bonum opus morale requiri auxilium gratiæ ordinis naturalis; iſta enim opera ab his catholicis non dicuntur ſanctificare formaliter.* Ac idem judicium ferendum eſt de iis, qui ad bona opera moralia requirunt gratiam ſupernaturalem moventem; ſiquidem hæc non eſt *forma ſanctificans*, & a juſtificatione ſecernitur. De proxima autem propoſitione 29. hæc Turrianus: *Primo circa hanc propoſitionem notandum eſt damnari cenſuram, deceptus vero eſt Michael Bajus, quia putabat omne opus bonum ſanctificare, &c.* Id Turrianus confirmat ex quo clariſſimi Theologi, & S. R. E. Cardinales ampliſſimi Toletus, ac Bellarminus docuerint nullam omnino tentationem abſque gratia vinci, aut vitiari poſſe; quum tamen Toletus auctoritate Gregorii XIII. Lovanium miſſus fuerit ad componenda diſſidia circa Bajanos articulos exorta, ac Bellarminus Lovanii extiterit, quando Bulla adverſus Bajum fuit promulgata; & idcirco neuter ſenſum Baji potuerit ignorare. His deinde verbis Turrianus paragraphum illum primum abſolvit: *Et licet admittat quis Auguſtinum ſenſiſſe, eſſe neceſſarium aliquod auxilium ad bene operandum moraliter; tamen Auguſtinus non ſenſit opus quodlibet ex auxilio gratiæ factum ſanctificare hominem, neque tale auxilium vocat gratiæ inhabitantis, & ſanctificantis, ut ipſe deceptus ſenſit Bajus.*

Tur. pag. 623.

VI. Franciſcus Macedo in *Cortina* pag. 247. ait damnatum fuiſſe Bajanum dogma, quod Bajus vellet nullum bonum opus fieri poſſe a libero arbitrio, *ſine fide perfecta, & gratia ſanctificante*, laudans Noriſium, quod ita Baji pravum ſenſum expoſuerit in Vindiciis Auguſtinianis: quo P. Macedi teſtimonio omnem Bajani erroris criminationem idem Noriſius refellit *in Parallello*, tom. 1. pag. 1343. Atque in *Scrinio* P. Macedo ſcribit hanc propoſitionem, *Liberum arbitrium ſine aliqua gratia in ſtatu naturæ lapſæ nihil boni poteſt efficere*, non tantum eſſe Auguſtini, & Synodi Arauſicanæ, verum etiam Joannis Maldonati in cap. 6. Joannis.

P. Macedo in Scrinio p. 250.

V. Noriſius autem, cujus meminit Macedo, non ſolum ait liberum arbitrium per Spiritum Sanctum moventem, & ſine Spiritu Sancto inhabitante poſſe bonum operari, ut diximus §. præcedenti num. 1. ſed etiam ait in propoſitione 37. *Cum Pelagio ſapit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit*, cenſuram Baji, non vero aſſertum eſſe ab Apoſtolica Sede damnatum, cum in Arauſicano canone 22. dicatur: *Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum.* Agnoſcit præterea ſine gratia appetitum innatum, quo unuſquiſque ex Auguſtini ſententia amat ſummum bonum; ac fatetur anathemate confixum eſſe dogma Novantium, qui ajunt omnia opera facta ab homine *extra caritatem, & in peccato*, eſſe peccata, quod illa a conſcientiæ reatu vitientur: quo in luto Bajum hæſiſſe vidimus in priori diſſertatione.

Noris tom. 1. pag. 923. 943. 949.

§. IV.

Quomodo intelligendus ſit textus Pauli ad Romanos XIV. 23. Omne autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.

EXponere verba Apoſtoli ad Rom. 14. *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, de Fide Chriſtiana, aut ſaltem de fide acquiſita in Deum, ita, ut opera illorum, qui Deum prorſus ignorant, nec propter illum operantur, bona non ſint ſpectata circumſtantia ultimi finis, non eſt ſubſcribere Bajano dogmati circa infidelium opera, ſed eſt ſententia catholica, Auguſtiniana, atque ad omni cenſura immunis; tametſi Bajanum ſit dogma, ita Apoſtolicam illam ſententiam explicare, ut peccatum dicatur quidquid non eſt ex fide, quæ per dilectionem operatur, & ex gratia ſanctificante, aut in ſe malum & cupiditate infectum atque labefactum, quod non eſt a laudabili caritate.

I. Aperte hoc ſequitur ex præmiſſis in 2. hujus diſſertationis paragrapho; & quiſnam eſt alicujus eruditionis tinctura linitus, qui ignoret expoſitionem hanc traditam ab Auguſtino, ab Eminentiſſimo Noriſio cap. 3. Vindiciarum §. 4., & cap. 4. §. 5. comprobatam fuiſſe plurimis, & graviſſimis monumentis? Auguſtinum expoſuiſſe Apoſtolica verba de Fide Chriſtiana, conſtat ex lib. 3. ad Bonifacium cap. 5. num. 14. de Geſtis Pelagii cap. 14. num. 34. contra Julianum lib. 14. cap. 3. num. 24. aliiſque ex locis. Certum quoque eſt, expoſuiſſe eadem Apoſtoli verba de Fide Chriſtiana S. Proſperum, Fulgentium, alioſque etiam a Sacris Interpretibus laudatos, præſertim ab Auguſtino Calmet p. 117. editionis Venetæ. Nec aliud doctiſſimus interpres ait adverſus Auguſtinianam expoſitionem, niſi hanc litteralem non eſſe; quod parum, aut nihil noſtra refert, modo Auguſtini explicatio non refutetur, quam Vindex Noriſius ſartam tectamque eſſe commonſtrat. Verba enim, de quibus eſt ſermo, accepere de operibus eorum, qui fide ſunt deſtituti, & in quibus non accedente ſupremæ gratiæ illuſtratione, nihil eſt laudis, Magnus Leo ſerm. v. de Jejunio Pentecoſtes, ubi ait: *Apud nos fides ſanctificat etiam manducantem; apud Paganos infidelitas polluit jejunantem: unde extra Catholicam Eccleſiam nihil eſt integrum, nihil caſtum, dicente Apoſtolo: Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Proſper in Epiſtola ad Rufinum ſcribens: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt; ut ſcilicet intelligat juſtitiam infidelium non eſſe juſtitiam, quia ſordet natura ſine gratia;* atque in Carmine de Ingratis cap. 16.

Noris Tom. 1. p. 940. & 1048.

Omne etenim probitatis opus, niſi ſemine veræ
Exoritur fidei, peccatum eſt, inque reatum
Vertitur, & ſterilis cumulat ſibi gloria pœnam.

Julianus Pomerius lib. 3. de Vita Contemplativa cap. 1. ubi poſtquam aſſeruit virtutes infidelium eſſe vitia virtutem imitantia, & in tantum declinari, ut nihil eis profuiſſe credantur, *Et quid dico* (inquit) *nihil profuerunt? Immo etiam nocuerunt, dicente Apoſtolo: Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* His adde Bonifacium II. in Epiſtola ad Sanctum Hilarium Arelatenſem, S. Fulgentium cum Synodo PP. Byzacenorum in Sardinia exulum, Pontificale Romanum in Ordinatione Subdiaconi: de quibus plura præcitatis in locis Auguſtinianæ doctrinæ Vindex clariſſimus. Prætermittenda non ſunt verba S. Remigii, & Eccl. Lugdunenſis in libro de tribus Epiſtolis cap. 22. pag. collect. Maguini 105. *Vere enim mortua ſunt omnia opera infidelium, non ſolum quando aperte vitiis & peccatis ſerviunt, ſed etiam quando naturali bono, in quantum omnipotens creator tribuit, inſtigati, vel naturali lege commoniti, quæ quotidie in cordibus eorum clamat:* Quod tibi non vis, alii ne feceris: Et omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis; *quædam bona opera, & velut quaſdam virtutes habere, atque exercere videntur; quia fidem Dei, & Chriſti ejus, vel ignorantes, vel odio habentes, aut etiam perſequentes, quod ex illa fide non operantur, omnino nec bonum opus, nec vera virtus eſſe poteſt, quæ non procedit ex radice veritatis & bonitatis. Dum enim illa ipſa, quæ ſecundum homines videntur eſſe bona opera, nequaquam vera fide ad Dominum referuntur, quem ignorant, nec propter eum agunt, ſed aut propter quamdam honeſtatem, qua inter homines magni videantur, vel propter cupiditatem alicujus commodi temporalis; ipſa impietate infidelitatis, ipſa inflatione elationis, ipſa perverſitate cupiditatis, ita immunda & inquinata ſint omnia, ut apud Deum non virtutes, ſed vitia judicentur. Unde Apoſtolus ait:* Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt, *&c.*

II. Quo-

II. Quoniam vero ipse quoque Norisius tanquam Bajanista traductus fuit, quasi Apostolicam sententiam *de Fide divina & habituali* exposuerit: in refutatione illatæ sibi Bajani erroris calumniæ, recte de accusatoris fide expostulat, cum nullibi revera explicaverit Apostoli textum *de Fide divina habituali:* atque impostura hujusmodi denudata, omnem a se calumniam amovet productis verbis Macedi ex tom. 2. Collat. pag. 597. *Quoniam hæc expositio loci Pauli impugnatur ab omnibus contrariæ doctrinæ auctoribus, immo & erroris a nonnullis audacioribus accusatur, quales sunt recentiores quidam PP.* GALLI, *quorum duo errorem appellant; præterquamquod ego in Cortina olim aliquos pro ea Patres, ac inter eos Magnum Gregorium, & Bernardum produxi: remitto lectorem ad eruditissimum P. Henricum Noris, qui in ea, quam superius laudavi, Pelagiana Historia, in Vindiciis cap.* 4. §. 5. *evidenter ostendit, eam esse Ecclesiæ, Pontificum, & Patrum locum illum Pauli de fide prout est virtus Theologica intelligentium.* Vide eumdem P. Macedo in *Cortina* pag. 222. 229. & in Appendice ejusdem Operis pag. 72. ubi productis quibusdam S. Bernardi testimoniis Augustinianæ interpretationi cohærentibus, *Fremant*, inquit, *ac frendeant adversarii. Nemo citra fidem, sine aliqua gratia rectum quid & honestum agit. Quidquid id erit, a gratia & fide erit. Peccabit qui prorsus destituetur fide. Ita non Augustinus modo, & Gregorius, sed Bernardus etiam docuit. Neque hinc sequitur singulos infidelium actus, & omnes actus peccata esse: sed peccatum esse quidquid sine fide aliqua, & gratia faciunt. Nam omne quod non est ex fide, peccatum est.*

Noris in Pavallelo tom. 1. pag. 1346.

III. Possumus ipsos adversarios nostros in testimonium arcessere. Qui enim adversus Norisium edidit sub nomine Brunonis Neusser *Prodromum Velitarem*, appellat quidem *hardum, stultum, & emotæ mentis* hominem, qui censeat Augustinianam interpretationem *Synodali judicio definitam*; at negare non audet nonnullos accepisse Paulinum locum de Fide Divina; & lib. 1. cap. 6. num. 9. hæc scribit: *Itaque quod hic locus de Christiana fide in litterali sensu non intelligatur, communis Doctorum & Interpretum sententia est, non tamen de fide certa; quod vero de fide divina intelligatur in litterali sensu, probabilis aliquorum sententia est, quamquam minus probabilis, & nullatenus de fide; aliquorum, inquam, sed paucorum, si cum eorum numero conferantur, qui secus sentiunt.* In his tamen verbis duo notanda sunt: primum, nec Norisium, nec nostratium aliquem affirmasse, Augustinianam Paulinæ sententiæ expositionem de fide tenendam esse: alterum, non esse paucos, qui illam sectantur, atque amplectuntur. Quare Norisius in suis præcitati *Prodromi* castigationibus ait: *Non dico definitum, sed non perperam dictum contendo contra Martinonum.* Et infra: *Omnes Episcopi id dicunt ex sententia Ecclesiæ Romanæ: multi tamen secus ipsi tenent, qui scriptis aliud tradidere.* Igitur hi etiam, qui sententiam nostram ausi sunt Bajani dogmatis insimulare, sibimet parum constantes illam saltem probabilem fateri coguntur, bardi ipsi, & mentis emotæ, & ea, quibus laborant, vitia aliis adtribuentes.

Bruno Neusser pag. 33.

Animadversiones Norisii sunt propria ipsius manu appositæ Codici Bibliothecæ Angelicæ, ut alio in loco monui.

IV. Contra nos opinionem illorum Theologorum, qui Paulina verba non de fide divina, sed de conscientia, sive, ut inquit Schola, *judicio practico, & rationis dictamine*, accipienda esse contendunt, nulla animadversione insectamur, & unumquemque in proprio sensu sinimus abundare: quamquam & jure contendere possumus, illam *conscientiam* non esse undique rectam, quæ aliquo supernæ gratiæ lumine non dirigitur, ideoque ad concordiam revocari posse Augustini, aliorumque specietenus diversam expositionem. Videtur enim mihi utramque complecti S. Anselmus, dum inquit: *Omne quod non est ex fide peccatum est, quia etiam illud quod est bonum, si putetur esse malum & tunc fiat, peccatum est. Velut si quis (verbi gratia) castitatem crederet esse malum, & viveret castus, profecto peccaret. Et propterea omnis infidelium vita peccatum est, nihilque bonum est sine summo bono. Ubi enim deest agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falsa virtus est etiam in optimis moribus.* Vide Seripandum in Epistolas Pauli.

S. Anselm. in Epist. ad Rom. cap. 14. pag. edit. Colonien. sis 109. Seripandus edit. Neapolit. pag. 241.

V. Cum itaque Augustiniana Interpretatio expungi & stigmate notari non debeat; ex alio autem capite sub Bajanis articulis lateat dogma veneficum: dicendum est Michaelem Bajum, ubi affirmavit omnia infidelium opera esse peccata, *peccatum* accepisse pro eo, quod intrinsecus malum est, atque a cupiditate corrumpitur; ac præterea in infidelibus *ante fidem perfectam*, & in impiis *ante gratiam sanctificantem*, nullam fidem inchoatam, nullam supernam illustrationem, nullamque bonam voluntatem admisisse, ut recte & honeste operentur. A quo nefario dogmate plurimum discrepat sententia nostra, quæ in infidelibus agnoscit complura bona opera ex fide quadam inchoata, & ex gratia, qualis fuit in Cornelio, priusquam ab Apostolo Petro Christiana fide imbueretur: complura item, quæ licet spectata circumstantia ultimi finis *non bene* fiant, non semper tamen a noxia cupiditate procedunt, ut sæpenumero dictum est. Quamobrem Philippus Van-Waure in Opusculo, cui titulus, *Divinus Gratiæ Prædicator Apostolus Paulus per se docens Romanos*, cap. 14. præmissa, atque illustrata sententia nostra, *Sit prohibita*, inquit, *in sensu Bajano male contorta Augustini sententia non est talis simpliciter, nec ut Augustiniana. Ne igitur propter Bajum eripi sinamus nobis Augustinum: neque enim non est pro patria miles armandus, quia contra patriam nonnulli arma sumpserunt.*

Edit. Lovanii anno 1688.

§. V.

De Augustiniana interpretatione verborum Apostoli, Sive ergo manducatis, &c.

EXponere verba Apostoli 1. ad Corinth. x. 31. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite,* & quæ habentur cap. XVI. 14. *Omnia vestra in caritate fiant*, non de consilio, sed de præcepto, quo unusquisque deliberate agens teneatur opera sua virtualiter referre in Deum finem ultimum, adeo ut opera, quæ ita non referuntur, non sint bene facta, nec bona secundum omnem rationem; exponere, inquam, hoc modo verba Apostoli, non est consentire Bajo singula infidelium opera damnanti, sed est Catholicam, Augustinianam, atque, ut nos arbitramur, verissimam tenere sententiam: quamquam Bajani sint, qui censent omnia opera deliberata in Deum referenda esse *per caritatem habitualem*, aut quæcumque a caritate non procedunt, esse *intrinsecus* peccata, & a cupiditate vitiari.

I. De præcepto enim referendi omnia opera deliberata in Deum interpretantur Apostolica verba Augustiniani Theologi, quos commemoravi §. 2. num. 2. & 3. Lege unum, vel alterum, puta Joannem Libens in Quæstionibus selectis cap. 3. Aurelium Piette de Actibus Humanis q. 1. Leonardum Vanroy q. 2. ac percipies nostrates singulos tradere, quod revera teneamur actiones omnes deliberatas in Deum ultimum finem referre, idque demonstrare pluribus argumentis, inter quæ præcipua sunt, quæ petuntur ex præcepto diligendi Deum super omnia, ex præcitatis Paulinis testimoniis, atque ex lucubrationibus Magni Augustini adversus Julianum, ceterosque hæreticos Pelagianos. Qui hæc ignorat, præcipua Augustinianæ Theologiæ asserta penitus ignorat.

II. Nec putandum est, hujusmodi interpretationem esse commentum Bajanistarum: germana est enim, & perspicua Sanctissimi Protoparentis doctrina. Qui libro de Correptione & gratia cap. 3. num. 5. ait, *Præcipit Apostolus dicens: Omnia vestra cum caritate fiant.* Et quidem Augustinianæ doctrinæ veluti elementa sunt, aliud esse *uti*, aliud *frui*: Frui nihil aliud esse, quam *alicui rei inhærere propter seipsam*: uti autem, *quod in usum venit, ad id quod est amandum, referre*, lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 4. perversitatem esse *fruendis uti velle, atque utendis frui*, de Civit. Dei libro XI. cap. 25. Sine amore Creatoris *nullis quemquam bene uti creaturis*, libro IV. contra Julianum cap. 3. num. 33. In iis ergo operibus, quæ ad Deum non referuntur, non fruimur Deo, ac proinde perversitas aliqua, non plena rectitudo invenitur. Aliud Augustinianæ doctrinæ fundamentum est, solum Deum esse finem creaturæ rationalis, quoniam reperiri nequit bonum aliquod, in quo beata sit, *nisi Deus*, 1. Confess. cap. 1. & de Civit. Dei libro 12. cap. 1. cumque *finibus, non officiis* virtutes sint discernendæ, nequeunt illa opera virtutis laudem habere, quæ non fiunt propter quod fieri debent, nempe *propter Deum;* quoniam quæcunque serviunt carnalibus delectationibus, vel quibusque commodis, & emolumentis temporalibus, Deo non serviunt, in ultimum finem non ordinantur, nec propter hoc fiunt, *propter quod fieri debere vera sapientia præcipit.* Atque hoc principio innixus demonstrat sapientissimus Augustinus adversus Julianum libro IV. num. 21. opera, quæ non referuntur in Deum, etsi officio videantur bona, ipso *non recto fine* esse prava. Tertium doctrinæ Augustinianæ, immo naturalis & divinæ legis principium est, finem illum ultimum, ad quem conditi fuimus, cum sit summum & incommutabile bonum, diligendum esse *toto corde, tota anima, tota mente*: id vero hac ratione diligitur, in quod *omnem cogitationem, omnem vitam, & omnem intellectum* conferimus, & quidquid aliud diligendum, in animum venerit, *in illius dilectionem refertur;* ut inquit S. Pater in 1. de Doctr. Christiana cap. 22. num. 21. Si enim quod extra Deum diligitur, non diligitur propter Deum; jam dilectio non refertur in finem ultimum: si non refertur in finem ultimum, summum bonum non amatur toto corde, tota anima, ac tota mente; si hoc autem non contingit, non servatur primum, ac maximum

August. tom. x. pag. 752.

Tom. III. pag. 6. VII. pag. 291. X. pag. 602.

Tom. VII. pag. 301.

Tom. X. pag. 596.

Tom. III. pag. 11.

mum universæ legis mandatum. Hæc sunt doctrinæ S. Augustini principia Theologis omnibus notissima: ex quibus evidenter consequitur, non consilium, sed præceptum in verbis Apostolicis contineri.

III. Idem præceptum referendi deliberata opera in Deum agnoverunt cum Augustino alii Patres, ii etiam, qui data opera adversus Pelagianam hæresim non scripserunt. Magnus enim Basilius in Regulis fusius disputatis Interrog. v. ait: *Christianus si actiones suas omnes, sive majores, sive minores ad Dei voluntatem direxerit, is sine controversia, & egregie opus illud perficit, & simul assiduam illius in animo sibi memoriam conservat, a quo id* JUSSUS EST *facere, vereque illud dicere poterit: Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear; item Pauli* PRÆCEPTO *illi satisfaciet, Sive manducatis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite.* Tom. 2. edit. Paris. Morellianæ pag. 423. Tom. I. novæ edit. pag. 1309. Similia S. Ambrosius lib. 2. in Lucam nu. 84.

IV. Angelicus etiam Doctor Sanctus Thomas Aquinas, tametsi a pluribus in contrariam sententiam trahitur; attamen tum ab instituti nostri scriptoribus, tum a Vincentio Contensono clarissimæ Prædicatorum Familiæ, dicitur præceptum illud Apostolicum agnovisse. Et revera fulgidissimum illud Scholarum Lumen Thomas lectione VII. in caput X. Epistolæ I. ad Corinth. inquit: *Habeto quando licet de idolothytis comedere, & quando non; hic ostendit quid in utroque debent intendere. Primo respectu Dei, quia debent quærere gloriam ejus: secundo quid respectu proximi, quia debent cavere ejus offensam. In prima, primo inducit actum multiplicem; secundo persuadet actuum intentionem debitam. Dicit ergo, Sive ergo manducatis, sive bibitis, quæ sunt opera necessitatis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite, & cum invocatione Creatoris ex intentione ut Deus laudetur & glorificetur.* S. Thomas tom. XVI. edit. Venetæ pag. 72. Lectione item 2. in cap. 16. ejusdem Epistolæ ait Sanctus Thomas: *Omnia vestra in caritate fiant, idest, omnia debent referri ad finem caritatis, scilicet ut fiant propter Deum, & proximum.* Ibidem pag. 92. Rursus in 2. sentent. dist. 40. art. 5. ad 7. hæc S. Thomas: *Ad septimum dicendum quod hoc quod dicitur,* Omnia in gloriam Dei facite, *potest intelligi dupliciter: vel affirmative, vel negative. Si negative, sic est sensus,* Nihil contra Deum faciatis, *& hoc modo præceptum est; & sic præceptum hoc præteritur vel per peccatum mortale, quod contra Deum fit; vel per peccatum veniale, quod præter præceptum, vel præter Deum fit. Si autem intelligatur affirmative; hoc potest esse dupliciter, aut ita quod actualis relatio in Deum sit conjuncta actioni nostræ cuilibet, non quidem in actu, sed in virtute, secundum quod virtus primæ ordinationis manet in omnibus actionibus sequentibus, sicut & virtus finis ultimi manet in omnibus finibus ad ipsum ordinatis, & sic adhuc præceptum est, & contingit omissionem ejus esse venialem, aut mortalem, sicut dictum est. Vel ita, quod ordinatio actualis in Deum sit actu conjuncta cuilibet actioni nostræ; & sic est consilium.* Tom. 6. pag. 1332. Præterea in Quæstionibus disputatis de caritate art. XI. ad 2. hæc S. Thomas: *Ad secundum dicendum, quod omnia actu referre in Deum non est possibile in hac vita, sicut non est possibile quod semper de Deo cogitetur, hoc enim pertinet ad perfectionem patriæ: sed quod omnia virtute referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem caritatis, ad quam omnes tenentur. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod sicut in causis efficientibus virtus primæ causæ manet in omnibus causis sequentibus, ita etiam intentio principalis finis virtute manet in omnibus finibus secundariis: unde quicunque actu intendit aliquem finem secundarium, virtute intendit finem principalem, sicut medicus dum colligit herbas actu, intendit confice-re potionem, nihil fortasis de sanitate cogitans, virtualiter tamen intendit sanitatem, propter quam potionem dat. Sic igitur cum aliquis seipsum ordinat in Deum sicut in finem in omnibus, quæ propter seipsum facit, manet virtute intentio ultimi finis, qui Deus est: unde in omnibus mereri potest, si caritatem habeat. Hoc igitur modo Apostolus præcipit, quod omnia in Dei gloriam referantur.* Tom. VIII. pag. 270. In responsione autem ad proximam objectionem docet Theologorum decus, nequaquam sufficere, ut præceptum illud Apostolicum adimpleatur, relationem operum duntaxat *habitualem*, immediate subjiciens: *Ad tertium dicendum, quod aliud est habitualiter referre in Deum, & aliud virtualiter. Habitualiter enim refert in Deum & qui nihil agit, nec aliquid actualiter intendit, ut dormiens: sed virtualiter aliquid referre in Deum est agentis propter finem ordinantis in Deum; unde habitualiter referre in Deum non cadit sub præcepto: sed virtualiter referre omnia in Deum cadit sub præcepto caritatis, cum hoc nihil aliud sit, quam habere Deum ultimum finem.* Insuper Doctor Angelicus 2. 2. quæst. 83. art. 14. ubi quærit utrum oratio debeat esse diuturna, in quæstionis solutione ita loquitur: *Dicendum, quod de oratione dupliciter loqui possumus: uno modo secundum seipsam, alio modo secundum causam suam. Causa autem orationis est desiderium caritatis, ex quo procedere debet oratio, quod quidem in nobis debet esse continuum vel actu, vel virtute: manet enim virtus hujus desiderii in omnibus, quæ ex caritate facimus. Omnia autem debemus in gloriam Dei facere, ut dicitur* 1. ad Corinth. 12. *& secundum hoc oratio debet esse continua, &c.* Tom. XI. pag. 198. Denique, ne loca omnia, quæ ex S. Thoma produci possunt, in medium proferam, Opusculo XVIII. quod est de perfectione vitæ spiritualis, cap. 5. hæc de præcepto caritatis litteris tradidit: *Alio vero modo ex toto corde, mente, anima & fortitudine Deum diligimus, si nihil nobis desit ad divinam dilectionem, quod actu, vel habitu in Deum non referamus; & hujus divinæ dilectionis perfectio datur homini in præcepto. Primo quidem, ut homo omnia in Deum referat, sicut in finem, sicut Apostolus dicit* 1. Corinth. 16. *Sive manducatis, sive bibitis, vel aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite: quod quidem impletur cum aliquis vitam suam ad Dei servitium ordinat, & per consequens omnia, quæ per seipsum agit, virtualiter ordinantur in Deum, nisi sint talia, quæ a Deo abducant, sicut sunt peccata: & sic homo diligit Deum ex toto corde. Secundo, ut intellectum suum homo Deo subjiciat ea credens, quæ divinitus traduntur, secundum illud Apostoli* 2. Corinth. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi; & sic Deus diligitur ex tota mente. Tertio, ut quæcumque homo amat, in Deo amet, & universaliter omnem suam affectionem ad Dei dilectionem referat; unde dicebat Apostolus* 2. Corinth. 5. *Sive mente excedimus Deo, sive sobrii sumus vobis. Caritas enim Christi urget nos: & sic Deus ex tota anima diligitur. Quarto, ut omnia exteriora nostra verba, & opera ex divinæ caritate firmentur, secundum illud Apostoli, Omnia enim vestra in caritate fiant: & sic Deus ex tota fortitudine diligitur. Hic est ergo tertius perfectæ dilectionis divinæ modus, ad quem omnes ex necessitate præcepti obligantur.* Tom. VIII. pag. 1152. Ex his verbis Angelici Præceptoris, quæ integra, & quoniam perspicua sunt, absque commentariis Interpretum proferenda esse existimavi, animadvertat prudens lector, num Augustinenses Theologi jure etiam Sanctum Thomam trahant in partes suas, & an explicare præmissa Paulina verba de præcepto referendi in Deum *virtualiter* omnia opera deliberata, idem sit ac defendere damnata dogmata Bajî. Illud sane nemo unus negare poterit, universos Augustiniani Ordinis Doctores de patrocinio Magni Aquinatis in sententia de referendis in Deum operibus gloriari, & loca superius exscripta aut evidenter, aut saltem probabiliter eidem sententiæ præsidium & fulcrum addere. Quale autem judicium ferri nunc debeat de summa Anonymi libertate, qua ipsamet sententia laceratur atque proscinditur, universis, qui præjudiciis minime abripiuntur, immo his quoque, necnon assiduo & falso criminatori, dijudicandum, pronuntiandumque relinquo.

V. Profecto qui in ea opinione persistit, cui Anonymus iste adhærens ait, repetit, ad ravim usque proclamat, Bajanos esse, Jansenianos, Quesnellianos, & si id parum videtur, pseudoaugustinenses, subdolos, ac temerarios Apostolicarum Constitutionum violatores & contemptores, eos omnes, qui in Deum opera, quæ cum deliberatione fiunt, non quidem continuo, ac semper repetito caritatis actu, sed eo præmisso, elicito statis congruisque temporibus, adeo, ut virtualiter perseveret, referenda esse definiunt; is calumnia, qua nos afficit, non tantum impetit sodales nostros percelebres, inter quos eminent Belgæ omnes, duoque viri summi, ac purpura æque ac doctrina fulgentes Hieronymus Seripandus, & Henricus Norisius, verum etiam alios plures superius recensitos, & judicio quidem nostro, etiam Scholarum Lumen, beatissimum Thomam. Nulla autem ratione parcit venerando nomini piissimi, integerrimi, doctissimique viri Joannis S. R. E. Cardinalis Bonæ; qui Augustinianam doctrinam majori, quam quispiam nostratium fecerit, energia tradidit, explicavit, & veluti irrefragabile axioma inter principia, & documenta christianæ vitæ inserendam, ac proponendam existimavit. Etenim in libro, quem inscripsit, *Principia vitæ christianæ*, ediditque Romæ jam Vaticana purpura condecoratus, §. 29. primæ partis hæc docuit: *Sententia Apostoli est, omnia opera ad Deum, ejusque gloriam referenda esse, ut veræ virtutis rationem consequantur.* Bonæ pag. Ven. edit. 222. Sive, inquit, manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite, 1. Cor. 10. 31. *& alio loco:* Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum, Colos. 3. 17. *Quidquid enim boni a nobis fit, quod non fit propter Deum, etsi officio videatur bonum, deficiente tamen recto fine, malum est; finibus enim, non officiis virtutes a vitiis discernuntur. Est autem officium id, quod faciendum est. Quod si rebus creatis inhæremus, & ipsas propter se diligimus sine ulteriori relatione ad Deum, damnata cupiditas est,* dicente Joanne Apostolo: Nolite diligere mundum, neque

que ea, quæ in mundo ſunt, 1. *Joan.* 2. 23. *Ratio eſt, quia in hoc mundo tanquam peregrini ſumus, & viatores, qui ad patriam pergimus: creaturis autem uti debemus tamquam vehiculis, quibus recto itinere eo feramur, quo tendimus. Deus vero diligendus eſt propter ſeipſum, quia ſummum bonum eſt, & finis ultimus, in quo ſolo requies, appetitus, ſecuritas fruitionis, & tranquilliſſimum gaudium invenitur. Hunc finem ſi quis ignorat, recte quoque vivendi rationem ignorat. Cognito autem rerum omnium fine, jam ſcimus, quo dirigendæ ſint actiones noſtræ, & quo omnium virtutum officia referri debeant. Hinc Theologi, licet unanimi conſenſu aſſerant, quaſdam actiones humanas nec bonas ex ſe nec malas eſſe, quales ſunt ambulare, comedere, dormire: docent tamen eum peccare, qui reipſa dormit, edit, ambulat, & hæc non refert ad ultimum finem, quia deficit a prima, & univerſali regula humanarum actionum, quæ eſt idem finis, ad quem quidquid agimus, dirigere oportet. Et hoc eſt quod Dominus dixit*: Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit. *Matth.* 6. 22. *Oculus iſte intentio eſt, qua quiſque peragit opus ſuum, quæ quidem intentio ſi non fuerit recta, totum opus tenebroſum erit. Non eſt autem recta operantis intentio, niſi quidquid agit, ad ſummum bonum refundat. Omne bonum deſurſum eſt, & quidquid ab illo deflectit, malum eſt.* Aurea ſane verba, & Auguſtini mente, corde, & ore prolata: a quibus criminator ſi oſtenderit nos vel latum unguem diſceſſiſſe, gratias illi agemus plurimas, & quamlibenter errores, in quos prolapſos nos fuiſſe autumat, retractabimus: non enim ſumus in erroribus pervicaces, ſed in veritate inquirenda ſolliciti, atque, ſi forte lapſi fuimus, ad nos emendandos, corrigendoſque parati.

Jacob. Fontana p. 2. pag. 686.

VI. Quoniam de Joanne S. R. E. Cardinali Bona mentionem feci; prætermittendum non eſt, Propugnatorem Conſtitutionis *Unigenitus* ad elevandam piiſſimi ac doctiſſimi Scriptoris auctoritatem, in propoſitionem 53. Queſnellii cap. XI. num. 2. tria reponere: primum quod in Opere de Principiis Vitæ Chriſt. p. 1. §. 29. *relationis* nomine intelligi debeat non relatio *actualis*, ſed *habitualis & implicita*, quam ſufficere tradiderunt Patres & Theologi: deinde nulla veritatis ſpecie aſſeri *unanimem Theologorum conſenſum*: ſi recentior ille intelligatur de præcepto referendi *actu continuo ſingula ad Deum opera*, ut ſtatuerunt Bajus, Janſenius, & auctor Tyrocinii Theologici, ideſt, Macarius Havermans; quum ea ſententia a Catholicis omnibus refutetur: demum *Recentioris illius pietatem fuiſſe aliquando a Novatoribus circumventam*, ut colligitur ex decreto, quo anno 1676. die 22. Junii ejus *Liber*, ſeu *epiſtola* typis edita, *approbans doctrinam Germani Philalethis Eupiſtini*, confixus eſt una cum pluribus Novaturienſium libris: quamvis Auctoris famæ Sacra Congregatio pepercerit, eamdem Epiſtolam non ipſi tribuens, ſed eam referens veluti *ejus nomine editam*: quam moderationem Queſnellius non ferens inter ceteras adverſus decretum illud contumelias hanc effutiit, quaſi mala fide in dubium Sacra Congregatio revocaſſet, an Opuſculum ejus eſſet, cujus nomine prodiit.

VII. Verum hæc primum ſententiam confirmant noſtram; nam ſi Bajus, Janſenius, horumque diſcipuli ſtatuerunt opera ſingula deliberata in Deum referenda eſſe *actu continuo caritatis*; multum a Bajo, & a Janſenio diſcrepant, qui docent ſat eſſe, ſi referantur per caritatem *imperfectam, ac virtualem*. Deinde quod attinet ad Eminentiſſimum piiſſimumque Cardinalem Bonam, affirmo nullum in ejus ſcriptis extare verbum, quo exigatur ad ſingula opera *caritas actualis*, ideoque inanem fore ſuſpicionem, ſi quis opinaretur virum præſtantiſſimum de hujuſmodi caritate fuiſſe loquutum, atque ſententiæ a Catholicis reprobatæ adhæſiſſe. Nec præterea Cardinalis ampliſſimus jure reprehenditur, quod ſcripſerit aſſentiri ſibi Theologos conſenſu unanimi; quoniam verba illa, *Licet unanimi conſenſu aſſerant, quaſdam actiones humanas nec bonas ex ſe, nec malas eſſe*, exprimunt conſenſionem Theologorum unanimem in admittendis operibus, *quoad objectum & ſecundum ſpeciem*, ut Scholaſtici inquiunt, *indifferentibus;* in quo utique Theologi univerſi conſentiunt; quamquam & in ſententia de referendis in Deum operibus, non pauci, ſed quamplurimi ex Orthodoxis una conſpirent. Aperte inſuper falſum eſt, quod doctiſſimus Cardinalis relationem aliam tradiderit præter illam, quæ eſt ex caritate ſaltem virtuali: quod ex illius verbis apertiſſimum eſſe puto. Enimvero relatio, qua non inhærentes rebus creatis ipſas diligimus ulteriori ordinatione in Deum, & qua omnia virtutum officia diriguntur ad ipſum Deum, quatenus diligendus eſt propter ſeipſum, quia ſummum bonum eſt, (de qua relatione conſtat in *Principiis vitæ Chriſtianæ* §. 29. ſermonem inſtitui) eſt illa relatio per caritatem, quæ a nobis defenditur, non autem *habitualis & implicita*, prout hæc explicatur ab adverſariis. Quod poſtremo ait Pontificiæ Conſtitutionis defenſor, *pietatem* Cardinalis eximii *a Novatoribus circumventam*, nimia libertate ac falſitate dictum eſt, nullaque ratione evinci poteſt ex condemnatione, quam ſubiit *Liber, ſeu Epiſtola ſub nomine Eminentiſſimi Domini S. R. E. Cardinalis Bona approbans doctrinam Germani Philalethis Eupiſtini*. Sciendum quippe eſt, revera extare librum ita omnino, nulloque vocabulo excepto, inſcriptum, in quo auctor demonſtrare nititur quod Cardinalis Bona commendans & approbans opus Germani Philalethis approbaverit ſimul hæreſim Janſenianam ab Innocentio X. & Alex. VII. damnatam: ideoque in parvo eo libro Epiſtolæ piiſſimi Cardinalis præmittuntur ſeptem paragraphi ad evincendam Philalethis cum Janſenio concordiam, præſertim in deneganda libertate, & aſſerenda impoſſibilitate divinorum præceptorum. Recte itaque ac provide iſtiuſmodi Opuſculum proſcriptum fuit; & hæc proſcriptio non demonſtrat pietatem Cardinalis omnium memoria digniſſimi fuiſſe *circumventam a Novatoribus*; ſed oſtendit potius eumdem Cardinalem in approbatione operum Philalethis, quibus titulus, *Triumphus Thomiſtarum*, minime approbaſſe Janſenianam hæreſim, ut contendit memorati Opuſculi auctor. In nullam ergo Joannis Cardinalis Bona reprehenſionem, ſed in defenſionem laudemque cedit ejuſdem Opuſculi condemnatio. Neque illud certum eſt, in *Triumpho Thomiſtarum* comprehendi hæreſim Janſenianam, quum idem Opus immune evaſerit a cenſura; ac inveriſimile ſit Sacram Congregationem in illud minime animadverſuram fuiſſe, ſi in eo Janſenii deprehendiſſet errores. Verum etiamſi Epiſtola, de qua ſermo eſt, prohibita diceretur ob præfixum illum titulum, *Approbans doctrinam Germani Philalethis*, non a Cardinali Bona, ſed ab ipſo Philalethe Epiſtolæ additum, propterea quod Sacra Congregatio noluerit Philalethis ſcripta in maximo haberi pretio, & cenſeri approbata a piiſſimo doctiſſimoque Purpurato; non hinc tamen deduceretur cenſuræ ſubjectam eſſe ſententiam de operibus deliberatis in Deum referendis; primum quia de hac ſententia in laudata Epiſtola nec minimum extat verbum: deinde quia eadem ſententia traditur in Opere non cenſura perſtricto, ſed ſummopere commendato, diviſim quoque & ſæpe procuſo, & ad communem utilitatem in Italicum idioma translato: demum quia non tantum Cardinalis Bona, ſed alii complures in hac diſſertatione laudati, & Orthodoxi eidem ſententiæ adhæſerunt. Atque ex dictis etiam eruitur perperam Queſnellium, ut narrat Auctor Cauſæ Queſnellianæ cap. 13. in Sacram Congregationem debacchari, quod in damnatorum librorum indice ita recenſuerit Epiſtolam, de qua loquimur, *Epiſtola ſub nomine Eminentiſſimi Domini Joannis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Bona approbans Doctrinam Germani Philalethis Eupiſtini*, quia revera extat liber cum hoc titulo cenſura digniſſimus: quamquam ſi etiam Epiſtola ad Philalethem dicatur proſcripta, ſive propter productam rationem, ſive propter aliquam aliam; laudanda ſummopere foret, non arguenda Sacræ Congregationis moderatio; ut recte adverſus Queſnellium ait Propugnator Conſtitutionis *Unigenitus*, jure Novatores, ſed immerito eximium Cardinalem exagitans. At in viam, a qua deducti fuimus, redeundum.

Cenſure de l'Apologie des Catholiques par M. l'Archevêque de Bourges Année de Leur de Vantadour.

VIII. Sententiam de operibus omnibus deliberatis in Deum caritate ſaltem *virtuali* referendis comprobarunt inſuper & commendarunt Galliarum Antiſtites, non ii tantum qui *Apologiam Caſuiſtarum* perſtrinxere cenſuris, verumetiam centum illi Epiſcopi, qui latentem in Queſnellii aſſertionibus pravitatem acerrime ſunt inſectati. Archiepiſcopus enim Burgenſis Aquitaniæ Primas in ſua *Cenſura* edita die ſexta Februarii anno 1659. invehitur in illius *Apologiæ* auctores, eo quod ſcripſerint pag. 165. prælaudatam ſententiam erroneam eſſe, atque inter Janſeniana dogmata rejiciendam. „Mais ſi ils n' ont que les erreurs de S. Cyran, & de Janſenius à nous debiter, qui tiennent pour maxime que les Chreſtiens doivent en toutes leurs actions aimer Dieu, & qu' il n' y a point d' action vertueuſe s' elle n' eſt commandée par la charité, nous n' approuvons point ces erreurs.„ In quam Apologiſtarum aſſertionem ita Burgenſis Antiſtes: „ Leur doctrine n eſt pas celle de Dieu; tant s' en faut elle y eſt tout oppoſée. Cette loy divine ordonne d' aimer Dieu de tout ſon cœur; Jeſus-Chriſt le preſche; S. Paul écrit que nous devons toûjours marcher dans l' amour: *Ambulate in dilectione*; que toutes nos actions ſoient faites dans la vuë de Dieu; & que nous rapportions meſme ces actions animales du boire & du manger à cette derniere fin: *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite;* en fin que tout ſoit fait dans la charité: *Omnia veſtra in caritate fiant*; parceque ſans la charité on ne

1. ad Corinth. 10.

peut plaire à Dieu, & que c' eſt cette divine vertu, qui comme la forme de toutes vertus rend les hommes vertueux, auſſi bien qu' elle les fait ſaints & parfaits, ſelon la doctrine de l' Apoſtre dans un chapitre entier de ſon Epitre aux Corinthiens. Et ſelon la doctrine de l' Apologie nous ne ſommes pas tenus d' agir par cette vertu, & c' eſt même une erreur de la croire „.

1. ad Corinth. 16.

Cenſure par Meſſieurs les Vicaires Generaux de Monſ. l' Eminentiſſime Card. de Paris du 23. Aouſt 1658.

Cenſura in eamdem *Apologiam Caſuiſtarum* edita a Vicariis Generalibus Archiepiſcopi Pariſienſis, Joanne Baptiſta de Contes, & Alexandro de Hodencq, n. 30. hæc habet: Cette doctrine (quæ continetur in Apolog. pag. 165. entant qu' elle condamne d' erreur l' opinion qui ſouſtient que les Chreſtiens doivent en toutes leurs actions aimer Dieu, & qu' il n' y a point d' actions vertueuſes, *Si elle n' eſt commandée par la charité, eſt temeraire, & injurieuſe à pluſieurs Peres de l' Egliſe.*

Ordonnance de Monſeigneur l' Archevêque de Sens Lovis Henry de Gondrin.

Archiepiſcopus quoque Senonenſis in ſuo *Mandato* die 3. Septembris anno 1658. Cenſura v. in præcitata Apologiſtarum verba, *Hæc propoſitio* (inquit) *quatenus erroris accuſat ſanctiſſimam doctrinam, qua Chriſtianis omnibus præceptum aſſeritur, ut actus omnes ſuos ad Dei honorem actu ſcilicet vel virtute referant, temeraria & falſa eſt, Patribus, S. Thomæ, & clariſſimis Theologiæ Doctoribus injurioſa, qui in his Sancti Pauli verbis*, Omnia veſtra in caritate fiant, *& in illis item*, Sive manducatis, ſive bibitis, ſive quid aliud agitis, omnia in Dei gloriam facite, *verum præceptum ſemper agnoverunt, quod violari ſine aliquo peccato vel mortali, vel veniali non poteſt.*

Lettre Paſtorale de Monſeigneur l' Eveſque & Comte de Beauvais Pair de France &c. & Cenſure par M. Gilles Eveſque d' Eureaux.

In Epiſtola item Paſtorali adverſus præcitatam Caſuiſtarum *Apologiam*, die 12. Novembris anno 1658. Nicolaus Præſul Bellovacenſis hæc ſcripſit: *Apologie de Caſuiſtes pag.* 165. „ L' amour de Dieu, qui eſt le grand commandement de la Loy, n'eſt plus qu'un conſeil de bien-ſeance ſelon les principes ruineux qu' il s' efforce d' eſtablir; & il condamne comme des erreurs les ſentimens orthodoxes de ceux qui ſouſtiennent aprés S. Paul & S. Thomas, que les Chreſtiens ſont obligez d' avoir pour fin la gloire de Dieu dans toutes leurs actions, & de les luy rapporter ou actuellement, ou par un intention virtuelle: „ Epiſcopus itidem Ebroicenſis in ſua Cenſura die 15. Januarii 1659. ait: „ Nous avons jugé que ce livre de l' Apologie pour les Caſuiſtes détruit les devoirs de l' homme envers Dieu, faiſant paſſer pour une erreur qu' il ſoit obligé d' aimer Dieu en toutes ſes actions. „ Similia leguntur in Cenſura Illuſtriſſimi Epiſcopi Vincienſis inſerta Diœceſanæ Synodo anni 1659. atque in *Ordinationibus*, uti vulgo appellantur, aliorum doctiſſimorum Gallicanæ Eccleſiæ Paſtorum.

Explications ſur la Bulle Unigenitus. A Paris de l' Imprimerie Royale. 1720.

Nec tantum, ut dixi, illi Galliarum Antiſtites, qui cenſuris perſtrinxerunt *Apologiam Caſuiſtarum*, ab Apoſtolica etiam Sede proſcriptam ac reprobatam, ſententiam propugnantium relationem operum in Deum per virtualem caritatem, appellant ſanctiſſimam, ab Apoſtolo traditam, ac Patribus Theologiſque præſtantiſſimis probatiſſimam, temeritatis & audaciæ eos arguentes, qui eamdem orthodoxam piiſſimamque ſententiam tanquam erroneam & Janſenianam carpunt & vellicant; ſed & centum Epiſcopi in *Explicationibus* celeberrimæ Conſtitutionis *Unigenitus*, quas non ſemel in his Apologeticis diſquiſitionibus laudavimus, eamdem ſententiam amplectuntur, eique adverſantes ſimiliter notant, dum articulo 4. inquiunt: „ L' obligation de rapporter à Dieu toutes ſes actions, renfermée dans le premier precepte, fait partie du culte, que nous devons au ſouverain Eſtre, & de la gloire, que nous ſommes obligez de lui rendre. La doctrine qui enſeigne cette obligation a de trop grands fondemens dans l' Ecriture (*a*) & la tradition (*b*) pour ſouffrir que des Auteurs temeraires oſent la combattre, &c. „ Jure itaque meritoque Auguſtinenſes Theologi aſſerunt ſuam de referendis in Deum operibus omnibus deliberatis ſententiam nullatenus cum quinquageſima tertia, aliiſve Queſnellianis propoſitionibus convenire, quando præter tot, ac tantos Theologos eidem ſententiæ adhærentes, Clerus Gallicanus data opera Queſnellianos errores refellens, illam ab his immunem, ac ſartam tectam, necnon firmiſſimis fundamentis innixam, ac talem, quæ temere & inconſiderate a quibuſdam Auctoribus oppugnatur, tam ſplendido teſtimonio declaravit. Quare recte ſapienterque Aurelius Piette de Actibus Hum. qu. 1. §. 6. *Sententiam hanc* (ait) *in Bulla Unigenitus manſiſſe illibatiſſimam cenſuit Clerus Gallicanus, imo quantum pro ea ſtet colligi poteſt ex illis Elucidationibus, quas circa illam Conſtitutionem dedit anno* 1720. demonſtratque vir eximius quanti declarationes illæ Cleri Gallicani ſint faciendæ, cum examini & diſcuſſioni omnium Epiſcoporum Galliæ ſubjectæ fuerint, ac tandem approbatæ & ſignatæ ab Epiſcopis pluſquam centum, ut conſtat ex Epiſtola Epiſcopi Sueſſionenſis ad Epiſcopum Bononienſem, Conſtitutionis *Unigenitus*, & memoratarum Explicationum hoſtem atque arroſorem.

(a) *ad Cor. cap. 10. 31. Ibid. cap. 16. 14. Ibid. ad Coloſ. cap. 3. 17.*

(b) *S. Baſil. Reg. fuſius diſput. interrog. 5. in Reg. breviùs. tex. 195. & 196. lib. 1. de Bapt. cap. 2. tom. 2. p. 659. S. Auguſt. de corrept. & grat. cap. 3. Id. Enchir. cap. 121. S. Thom. 1. 2. qu. 100. art. 10. ad 2. & in Corp. Id. 2. 2. qu. 69. art. 1. Aurel. Piette p. 2. pag. 90.*

IX. Noſtra demum ſententia de referendis *virtualiter* in Deum operibus deliberatis non ſolum defenditur a Theologis laudatis §. 2. & 3. a Galliarum Epiſcopis nuper commemoratis, & fatente Jacobo Fontana a quibuſdam Lovanienſibus, verum etiam fere ab univerſa Lovanii Theologica Facultate; quæ anno 1677. ab Apoſtolica Sede humillima ſupplicatione poſtulavit, ut ad examen ac trutinam revocaretur doctrina, quæ in his articulis de virtutibus Theologicis continetur. 1. *Quod tametſi aliqui Scholaſtici accipiant caritatem pro ſola Dei dilectione, quæ eſt noſtra cum eo per peccatorum remiſſionem amicitia, tamen S. Auguſtinus, & alii Patres eam ſumere ſoleant pro quavis ſupremi Boni caſta propter ſe dilectione.* 2. *Quod omne opus, ut plene bonum ſit, & ne venialiter quidem in eo delinquatur, debeat ex tali caritate procedere, ac per ipſam referri in Dominum Deum.* 3. *Iſtam tamen relationem non debere fieri per caritatem perfectam: ſed ſufficere eam fieri per imperfectam; nec opus eſſe relatione ex caritate actuali, ſive ex caritate ſuper quam fiat actualis reflexio, quia hæc continua reflexio eſt in hac vita impoſſibilis, ſed ſufficere, quod opera noſtra per caritatem virtualem in Deum referantur.* His apud Sanctam Romanam Inquiſitionem diſcuſſis, ſacrum illud ampliſſimumque Tribunal mandavit ſapientiſſimo viro Laurentio Brancato de Laureæa, tunc ejuſdem Inquiſitionis Conſultori, ac poſtea S. R. E. Cardinali, ut a Lovanienſibus Deputatis planiorem exigeret explicationem, eiſque ſignificaret prænuntiatam in ſecundo articulo doctrinam a cenſura non fore immunem; *ſi ad opera moralia ita requireret relationem in Deum per caritatem virtualem, ut hac relatione prætermiſſa nullum opus noſtrum eſſet moraliter bonum: at vero ſi admittuntur opera moraliter bona, etiam in Deum non relata, haud cenſurandam fore.* Sacræ Facultatis Deputati ſcripto Sacræ Inquiſitioni exhibito ſententiam ſuam declararunt. Hujus ſcripti, quod vidimus, ac perlegimus, ſynopſis eſt: Hæc vocabula *opus moraliter bonum* apud Auguſtinum alioſque Patres non inveniri: id quod Scholaſticis *opus moraliter bonum* dicitur, a Patribus appellari *opus officio bonum*, ſeu, *bonum & rectum officium*: opera, *officio bona*, tametſi non referantur in Deum per caritatem virtualem, certiſſime eſſe admittenda; Auguſtinum adverſus Julianum diſputantem affirmare eleemoſynam etiam a Gentili diſtributam eſſe opus *officio bonum*, non autem peccatum, propterea quod *ex naturali compaſſione oriatur*: in libro itidem *de Patientia* aſſerere, patientiam ipſam, aliaque chriſtianæ pietatis officia, etſi fiant a ſchiſmaticis, vel ab hæreticis, non proinde *peccata eſſe & culpanda*: ceterum conſtanter ac perſpicue eumdem Auguſtinum docere, quod virtutes a vitiis non *officiis*, ſed *finibus* diſcernantur, ac proinde opera, quæ in Deum per caritatem imperfectam virtualiter non referuntur, etſi *officio ſint bona*, eſſe tamen deſtituta *rectitudine finis*, & licet non ipſis operibus, aliquid tamen operantibus deeſſe, cujus defectu non fiunt ſicut oportet, nec ſunt bona undique, ideſt, tam *ex parte operis*, quam *ex parte operantis*: Sanctum Auguſtinum in capite 121. Enchiridii, & in plurimis aliis locis id tradidiſſe, nec diſſentire alios Latinos Græcoſque Patres. His vero fuſe & docte explicatis, ita Lovanienſes concludunt: *Ex his apparet legitimus ſenſus noſtri hujus Lovanienſis articuli*, Omne opus, ut plene bonum ſit, & ne venialiter quidem in eo peccetur, debet ex tali caritate procedere, ac per ipſam referri in Dominum Deum, *hoc eſt, ut bonum ſit tam ex parte operis, quam ex parte operantis. Utriuſque enim rectitudo eſt neceſſaria ad plenitudinem bonitatis, ſive ut operans nullum incurrat peccatum, nequidem veniale.* Huic Lovanienſium declarationi acquievit ſupremus Sanctæ Inquiſitionis Senatus, & prædictus articulus abſque ulla cenſura dimiſſus fuit. Id etiam narrat in *Confutatione diſcuſſionis Theologicæ P. D. Auguſtini Michel* Petrus Lambertus Le-Drou, addens diſcrimina inter hanc Lovanienſium ſententiam, & inter dogma Bajanum, quæ diſcrimina ex hac noſtra & ex priori diſſertatione ſunt manifeſta, ac ulterius affirmans ſe eorum, quæ narrata ſunt, teſtem fuiſſe ocularem.

Le-Drou confut. diſcuſ. cap. 17. pag. 451.

X. Ipſemet Auctor Operis inſcripti, *Conſtitutio* Unigenitus *Theologice propugnata*, quamquam ſententiæ de referendis operibus deliberatis in Deum per caritatem virtualem plurimum adverſatur, eamque *difficilem*, & *duram* appellat, eo quod ipſi videatur illinc inferri, *quod opera in finem ultimum non relata ſint peccata, id quod negant cum S. Thoma Doctores omnes Catholici, atque in Bajo, & Queſnellio damnatum eſt:* non audet tamen ſententiam Lovanienſium paullo ſupra explicatam hæreticam pronuntiare, ſed illam eſſe mediam fatetur inter ſuam, quam putat eſſe Doctoris Angelici, atque inter oppoſitam Queſnellianam. In propoſitionem itaque Queſnelli 111. cap. x. num. 3. ita loquitur: *Quod attinet ad obligationem referendi omnia in Deum ex caritate, non una Scholaſticorum ſententia eſt. Prima tutiſſima S. Thomæ, quam ſuperius expli-*

Jacobus Fontana P. 2. pagina 682.

explicui: altera ei oppoſita Queſnelli exigens dilectionem perpetuam, cujus omiſſione quælibet actio virtutum moralium, etiam fidei & ſpei, ſit peccatum: tertia aliquorum Lovanienſium inter utramque media, requirens relationem perpetuam omnium actionum, non quidem caritatis actibus ſemper elicitis, ſed virtute manentibus, quorum influxa omnia fieri debeant opera deliberata, & cujus relationis defectu homo peccet continuo, etſi in virtutibus moralibus, etiam duabus primis Theologicis, ſe exerceat. Hujus ſententiæ authores duplici diſcrimine ſe exiſtimant a damnatis Queſnelli erroribus ſegregari: primo quod hic nuſquam meminerit relationis ſolummodo virtualis, ſed actualem ſemper exigere videatur: ſecundo quod Queſnellus non ſolum relationis omiſſionem arguat peccati, ſed ea vitiari ſtatuat actum ipſum miſericordiæ, caſtitatis, & quemlibet alium virtutis moralis, fidei quoque & ſpei; ſe autem actuum illorum agnoſcere bonitatem, ſolam autem de peccato arguere omiſſionem debitæ relationis. His vero ſi vir præclarus adjeciſſet ſententiam hanc non eſſe quorumdam Lovanienſium duntaxat, ſed omnium Auguſtinenſium, aliorumque multorum, & inſuper doctiſſimorum Galliarum Antiſtum, & judicio complurium, etiam Doctoris Angelici, totius vero Lovanienſis Academiæ nomine Romæ expoſitam, nullaque cenſura perſtrictam; ac demum ſi animadvertiſſet ex eadem ſententia nullatenus conſequi traditam a Bajo, & a Queſnellio doctrinam, quod nempe in ſe vitiata ſint & corrupta opera in Deum non relata: ſi, inquam, præclarus vir hæc addidiſſet ac prænotaſſet; profecto illa quoque *difficultas*, & illa *durities*, quæ ipſius obverſabantur menti, penitus evanuiſſent.

§. VI.

Explicatur uberius Auguſtiniana ſententia, hujuſque a Bajana diſcrimen.

JAm vero Auguſtinianæ ſententiæ, quam nobiſcum amplectuntur, propugnantque viri doctiſſimi ac præſtantiſſimi, ſynopſim quamdam atque imaginem exhibebimus, non quod neceſſum ſit, & obſcure a nobis expoſitam exiſtimemus, ſed quod ad hanc diſſertationem propius accedat, necnon cum tali adverſario congrediamur, cui eadem ſæpe inſulſiſſima nugacitate opponenti, eadem quoque ſunt rurſus imperturbato animo objicienda.

I. Primum itaque in Auguſtiniana Theologia virtutes *non officiis*, ſed *finibus* diſcernuntur. *Noveris*, inquit S. Pater contra Julianum lib. IV. cap. 3. n. 21. *Noveris non officiis, ſed finibus a vitiis diſcernendas eſſe virtutes. Officium eſt autem quod faciendum eſt: finis vero propter quod faciendum eſt. Cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, ſi non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur. Quæ tu non attendens fines ab officiis ſeparaſti, & virtutes veras officia ſine finibus appellandas eſſe dixiſti.* Officia a finibus diſtinguenda eſſe Auguſtinus perſpicuo exemplo demonſtrat: nam abſtinere ab alieno, ſi officium cogites, poteſt videri eſſe juſtitiæ; at ſi fiat ne plus pecuniæ litibus pereat, non eſt juſtitiæ, ſed avaritiæ. Item bonum eſt, ſi ſubveniatur homini periclitanti, præſertim innocenti; ſed ille qui hoc facit, ſi amando gloriam hominum magis quam Dei facit, non bene bonum facit.

Tom. X. pag. 596.

II. Quoniam vero finis ultimus creaturæ rationalis eſt Deus, non voluptas, non temporale commodum, non hominum gloria, ſive laudum ambitio: ſi quis officium aliquod exerceret propter voluptatem adipiſcendam, ſeu tenendam, aut propter temporale aliquod emolumentum, vel ob gloriæ, humanarumque laudum cupiditatem; profecto ob finis perverſitatem a vera virtute alieniſſimus foret, ſiquidem non intentione ultimi finis, ac ſummi Boni, ſed amore bonorum commutabilium creaturis fruens, & Deo utens, capeſſendis virtutibus daret operam. Quod ſi nullo hujuſmodi fine ageret, nullique rei actus virtutum ancillarentur, otioſa & inanis res foret, non virtus; atque recti finis carentia vitium potius, quam virtus appellaretur. *Abſit autem*, ait eo loci Auguſtinus, *ut virtutes veræ cuiquam ſerviant, niſi illi, vel propter illum, cui dicimus, Deus virtutum converte nos. Proinde virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibuſdam commodis & emolumentis temporalibus ſerviunt, veræ prorſus eſſe non poſſunt. Quæ autem nulli rei ſervire volunt, nec ipſæ veræ ſunt. Veræ quippe virtutes Deo ſerviunt in hominibus, a quo donantur hominibus, Deo ſerviunt in Angelis, a quo donantur & Angelis. Quidquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit, etſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt.*

III. Hinc in Auguſtiniana Schola non dantur virtutes ſteriles, & infructuoſæ; quia non eſt virtus quicquid non recto fine peragitur, nec peragitur recto fine quicquid non fit propter Deum. Ad hoc autem, ut aliquid fiat propter Deum, opus eſt amore Dei, ſine quo nemo bene utitur creaturis. Idcirco Juliano laudanti virtutes infidelium, quas ſteriles fatebatur, nec ſufficere ad conſequendum Regnum cælorum ultro libenterque concedebat; reſpondet Auguſtinus præcitato cap. 3. num. 22. non eſſe veras virtutes illas a Pelagianis in infidelibus celebratas. *Fieri non poteſt*, ait S. Pater, *ut ſteriliter boni ſimus: ſed boni non ſumus quidquid ſteriliter ſumus. Arbor enim bona bonos fructus facit. Abſit autem, ut Deus bonus, a quo ſecuris paratur arboribus non facientibus fructum bonum, excidat, & in ignem mittat arbores bonas. Nullo modo igitur homines ſunt ſteriliter boni: ſed qui boni non ſunt, poſſunt eſſe alii minus, alii magis mali.* Et numero 32. *Deus iſtas arbores non poteſt diligere, & ſi tales permanſerint, diſponit excidere: quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Sed ita hic immoror, quaſi iſtas arbores non jam tu ipſe ſteriles pronuntiaveris. Quomodo igitur obſecro non aut jocaris in his diſputationibus, aut deliras, qui ſterilium fructus arborum laudas? Qui utique aut nulli ſunt, aut ſi mali ſunt, laudandi non ſunt: aut ſi fructus boni ſunt, profecto ſteriles arbores non ſunt, immo & bonæ ſunt, quarum fructus boni ſunt, & debent Deo placere, cui bonæ arbores non poſſunt niſi placere, falſumque erit quod ſcriptum eſt, ſine fide impoſſibile eſt placere.*

IV. Diſputans itaque Auguſtinus cum Juliano de virtutibus infidelium, nequaquam diſſerebat, an hujuſmodi virtutes ad ſalutem, regnumque ſempiternum poſſent perducere, ſed an virtutes iſtæ abſque fide ſteriles, & infructuoſæ, veræ virtutes ſint, an vitia ſimilia virtutibus. Id recte obſervavit Noriſius in Vindiciis cap. 3. §. 4. & brevi etiam, ſed perſpicua ratione demonſtravit. Enimvero Pelagiani aſſerebant per ſolam gratiam ſanctificantem homines fieri filios Dei adoptivos, & acquirere jus ad gloriam. Manifeſtum hoc eſt ex libello fidei, quem Cæleſtius Romæ edidit: de quo Auguſtinus in libro de Peccato Originali cap. V. num. 5. necnon ex verbis Juliani apud eumdem Sanctum Patrem lib. V. Operis imperfecti num. 9. Adeo itaque Pelagiani vires arbitrii extollebant, ut dicerent hominem ſolius naturæ viribus poſſe peccata vitare, & virtutes acquirere. At adverſus illos divinæ gratiæ propugnator glorioſiſſimus Auguſtinus firmiſſime docuit, non talis eſſe roboris poſt Adæ prævaricationem liberum voluntatis arbitrium, ſed *neminem liberum eſſe ad agendum bonum ſine adjutorio Dei*; & licet ipſum liberum arbitrium non ſit extinctum, & deſtitutum etiam fide, & gratia ſupernaturali exerceat aliquando *officia* virtutum, puta honorem parentibus, eleemoſynam pauperibus, majoribus obedientiam impendat, ſervetque temperantiam, continentiam, ſobrietatem; nihilominus hujuſmodi *officia* vel non fiunt propter Deum, & a recto fine deflectunt, vel fiunt ob voluptatem & corporis oblectamentum, & fine pravo vitiantur: vel propter ſolam virtutis honeſtatem, & inflantur vento ambitionis; ideoque ut veræ virtutes ſint, nimirum, nec deflectentes a recto fine, neque a pravo fine corruptæ, præter vim illam fractam, tenuiſſimamque libertatis humanæ, exigunt ſupernæ veritatis illuſtrationem, & inſpirationem amoris, *ſine quo nemo bene utitur creaturis.*

To. V. pag. 943.

Aug. tom. X. pag. 255.

Ibid. p. 1094. 1096.

Hanc Noriſii doctrinam tradiderat, & demonſtraverat Ripalda de Ente ſupernaturali lib. I. diſput. 20. ſect. 5. num. 27. §. Dices tom. I. pag. 160. quem vide infra cap. 3. §. 6. nu. 2. Ibid. p. 602.

V. Auguſtiniana itaque ſententia nullas veras virtutes admittit abſque omni prorſus fide, & abſque divinæ gratiæ auxilio: hujuſque ſententiæ fulcimenta ſunt, quæ de viribus arbitrii poſt Adæ lapſum diximus paullo ſupra, & quæ adjecta fuerunt de fide, per quam rectus finis operandi dignoſcitur. Accedit quod Pelagiani, ut adſtruerent initium ſalutis eſſe ex nobis, ajebant citra omnem fidem, omnemque gratiam homines honeſta plura & recta opera efficere, quibus Deus ad conferendas gratias uberiores moveatur: contra illos autem gratiæ hoſtes docuit Auguſtinus lib. I. de Nuptiis & Concupiſc. cap. 3. num. 4. nec pudicitiam conjugalem, nec opus aliud, quod non fiat *propter Deum verum*, redolere virtutem. Ex hoc loco Julianus anſam arripuit ſcribendi adverſus Auguſtinum, haberi pudicitiam conjugalem, ceteraſque virtutes abſque ulla gratia, ut conſtat ex libro IV. S. Patris adverſus eumdem Julianum cap. 1. cui & reſpondet cap. 3. ejuſdem libri locupletiſſime, neminem recte vivere, *niſi ex fide per Jeſum Chriſtum*; falli Pelagianos veriſimilitudine eorum vitiorum, quæ finitima videntur, & propinqua virtutibus; in Fabriciis, Regulis, Fabiis, Scipionibus, Camillis, ceteriſque talibus non fuiſſe veram juſtitiam, *quia non actibus, ſed finibus penſantur officia*: aliaque plura, quæ ibidem leguntur. Hinc vero apparet Auguſtinum ad agendum de Virtutibus a Juliano provocatum fuiſſe; atque ubi Pelagianus iſte virtutes infidelium laudabat, ut hinc inferret hominem bene incipere ſine gratia & divinitus adjuvari tantummodo ad capeſſendam perfectionem: Auguſtinum contra demonſtraſſe virtutes illas, quæ humanæ voluntati, non divino muneri tribuuntur, eſſe vitia virtutibus ſimillima; ideoque non ſolum ad perfi-

Tom. X. pag. 281.

Ibi. pag. 585. & 590. 590c.

ciendam & consummandam, verum etiam ad inciendam virtutem requiri divinæ gratiæ adjutorium.

VI. Sequitur ex his Augustinianæ Theologiæ principiis, virtutes infidelium, si tamen sint undique bonæ, & finis rectitudine non carentes, ab aliqua fide, non utique expressa & perfecta, sed inchoata, piumque credulitatis affectum excitante, atque a gratiæ irradiatione fuisse profectas: quod S. Pater non uno in loco demonstrat. Enimvero de Polemone, quem Xenocrates de fruge temperantiæ disputando, non solum ebriosum, verum etiam tunc ebrium, ad mores alios repente convertit, scribit S. P. Epistola 130. nunc Tom. 2. pag. 468. 144. num. 2. *Quamquam ergo ille, sicut prudenter & veraciter intellexistis, non Deo fuerit adquisitus, sed tantum a dominatu luxuriæ liberatus: tamen ne id ipsum quidem, quod melius in eo factum est, humano operi tribuerim, sed divino.* Inquit de Gratia Christi cap. To. x. pag. 241. pag. 428. pag. 798. 24. num. 25. & libro 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 29. num. 38., Deum cor regis Assyrii transtulisse occultissima & efficacissima potestate *ab indignatione ad lenitatem, hoc est a voluntate lædendi ad voluntatem favendi, secundum illud Apostoli, Deus operatur in vobis & velle*: & de Cornelio Centurione in libro de Prædestinat. Sanctor. cap. 7. num. 12. *Solet enim dici, Ideo credere meruit, quia vir bonus erat & antequam crederet; quod de Cornelio dici potest, cujus acceptæ sunt eleemosynæ, & exauditæ orationes, antequam credidisset in Christum: nec tamen sine aliqua fide donabat, & orabat. Nam quomodo invocabat, in quem non crediderat?* Nonnulla itaque bona opera in infidelibus inveniuntur; sed hæc divino muneri, non humanæ tantum voluntati sunt tribuenda.

VII. Quare si quis omni prorsus fide, & omni gratia destitutus sit, quantumvis bene agere videatur, in quolibet opere deflectet a recto tramite: unde Prosper in sententiis num. 106. *Omnis infidelium vita peccatum est, & nihil est bonum sine summo bono; ubi enim deest agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falsa virtus est etiam in optimis moribus.* Principio enim virtutes infidelium vanitati, & gloriæ cupiditati deserviunt: quod S. Pater egregie, & erudite demonstrat lib. v. de Civit. Dei cap. 12. ubi productis exemplis Marci Catonis, Caji Cæsaris, aliorumque Romanorum, qui rebus præclare gestis dederunt operam ut virtus, nomenque suum enitesceret, *Laudis aviditas*, inquit, *& cupiditas gloriæ multa illa miranda fecit, laudabilia scilicet, atque glorioſa secundum hominum existimationem.* Hunc virtutis finem, gloriam nempe, honorem, & imperium præstituisse sibi Romanos, commonstrat eo in loco sapientissimus Augustinus pluribus ex Sallustio, Plutarcho, & Virgilio collectis sententiis, necnon ex Ædibus, quas Romani *conjunctissimas constituerunt, virtutis & honoris, pro Diis habentes quæ dantur a Deo.* Virtutes itaque eorum, qui inter Gentiles ceteris visi sunt antecellere, nequaquam virtutes veræ fuerunt. *Neque enim* (inquit S. Pater num. 4.) *est vera virtus, nisi quæ ad eum finem tendit, ubi est bonum hominis, quo melius non est.* Prodigium autem foret, si hujus inanis gloriæ cupidine homo sibi relictus non tangeretur, quum potissimum creatura spiritualis seipsa delectetur, & homo etiam innocens, & in bona voluntate a Deo conditus, ex eo, quod illi dictum est, *Eritis sicut Dii*, miserrime inflatus, ab illo, cui debebat inhærere, perversæ celsitudinis appetitu recesserit. Vide S. Patrem.

Appen. tom. x. Op. Aug. pag. 230. Tom. VII. pag. 327. Ibi pag. 328. Lib. 4. contra Jul. cap. 3. num. 28.

VIII. Nemo utique has virtutes, quarum finis est inanis gloria, dixerit omni prorsus vitio carere; tametsi hanc unam virtutis mercedem agnoverint inter Ethnicos sapientissimi, teste Tullio pro Archia Poeta, ubi ait: *Nullam virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, præter hanc laudis, & gloriam.* Multo minus inter virtutes connumerari debent, quæ voluptatis causa exercentur: nam virtutes *voluptatis ancillas* Epicurus induxit; & cum virtus vera Deo servire debeat; virtutes, quæ carnalibus delectationibus serviunt, veræ prorsus esse non possunt. Hinc S. Pater prælaudato Opere de Civit. Dei lib. v. cap. 20. affirmat, nihil ignominiosius & deformius esse ea pictura, quam solent quidam philosophi ad ingenerandum pudorem iis, qui virtutes quidem probant, sed eas voluptatis corporalis fine metiuntur, verbis in quadam tabula exhibere, *ubi voluptas in sella regali, quasi delicata quædam regina consident, eique virtutes famulæ subjiciuntur, observantes ejus nutum, ut faciant quæ illa imperaverit*: quum turpissimum sit, *virtutes cum tota suæ gloriæ dignitate tamquam imperiosæ cuidam & inhonestæ mulierculæ servire voluptati.* Hæc S. Pater, subjiciens nec satis debiti decoris esse picturam, si etiam talis fingatur, ubi virtutes humanæ gloriæ serviant. *Licet enim ista gloria delicata mulier non sit, inflata tamen est, & multum inanitatis habet.* Virtutes itaque infidelium sive voluptati, sive humanæ gloriæ servientes, vitia fuerunt.

Ibid. p. 137.

IX. Illæ etiam virtutes, quæ ad seipsas referuntur, nimirum appetuntur atque exercentur propter ipsarum decorem atque honestatem, quoniam in iis Deo animus & ratio ipsa non servit, tales non sunt, quibus corpori, vitiisque recte imperatur. Quare de iisdem virtutibus lib. 19. de Civit. Dei cap. 25. ita sapientissimus Præceptor atque Institutor: *Licet a quibusdam tunc veræ & honestæ putentur esse virtutes, cum ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur; etiam tunc inflatæ & superbæ sunt, & ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt.* Eadem repetit S. Pater sermone 156. sive 13. de Verbis Apostoli, num. 7. ubi tam de Epicureis, qui ajunt, *Beatus, cujus est in fructu voluptas carnis ejus*, quam de Stoicis dicentibus, *Immo beatus, cujus est in fructu virtus animæ ejus*, interpretatur verba Psalmistæ 39. 5. *Non respexit in vanitates, & insanias falsas.* Verbo dicam: Augustinus veras virtutes non agnoscit, nisi quæ Deo serviunt, quæ propter Deum exercentur, quæ ad Deum referuntur.

Eodem tom. 7. pag. 571. *Tom. v. pag. 753.*

X. Harum autem virtutum, quæ Deo non serviunt, ideoque non sunt bonæ spectato fine ultimo, ad quem sunt referendæ, quædam sunt ad finem pravum directæ, quæ nempe serviunt gloriæ hominum, cupiditati, & voluptatibus carnis, & hæc sunt vitia proprie dicta, nempe opera perversa intentione, & iniquo animo patrata; & hæ virtutes sunt, quas Augustinus appellat *cupiditatis & voluptatis ancillas*: aliæ, quæ in sua productione malæ non sunt, nec a pravo fine derivant, ad objectum quoque honestum tendunt, cujusmodi sunt exhibere honorem parentibus, pauperibus eleemosynam elargiri; & hæc, nisi in Deum virtualiter referantur, vitia ab Augustino dicuntur, non *positive*, quasi a cupiditate corrumpantur; sed *negative*, atque, ut ipse Augustinus loquitur, *non recto fine*; cujus recti finis omissio non inficit *intrinsecus* officium & opus, sed accusat duntaxat operantem, qui *non bene* bonum opus exercet, idest, non operatur utendo creaturis, easque propter Deum diligendo.

Tom. x. p. 592.

XI. Apparet ex dictis maximum discrimen inter eos, qui hanc detestatissimam Augustini doctrinam defendunt, & inter Bajum, & Quesnellium, aliosque, qui ajunt infidelem in quolibet opere peccare, impium servire in omnibus operibus dominanti cupiditati, & quidquid fit sine fidei lumine, & sine caritate, esse præsumptionem, esse vanitatem, esse peccatum. Dogmatistæ enim isti merito ab Apostolica Sede damnati, statuentes, ut vidimus differt. 1. duo tantum actionum humanarum principia, *caritatem habitualem*, & *cupiditatem item habitualem*, & nullam gratiam agnoscentes ante fidem perfectam, & Spiritum Sanctum inhabitantem, coacti sunt asserere, quidquid in infidelibus adinvenitur esse inquinamentum, atque peccatum, & quidquid est in homine dominanti cupiditati subjecto, esse iniquitatem, & opus a noxio mundi amore corruptum. Quamquam vero hanc esse Dogmatistarum mentem plurimis argumentis demonstraverim; afferam tamen hoc in loco apertissimum testimonium summorum virorum, cui anonymus accusator, velit, nolit, tenetur assurgere, Cardinalium nempe, Archiepiscoporum, & Episcoporum Galliæ, qui in Pastorali Instructione edita post acceptationem Constitutionis *Unigenitus*, hæc de propositionibus Quesnellianis tradiderunt: *Elles donnent à entendre, qu'il n'y a point de veritable charité, que la charité habituelle ou dominante. Les dispositions qui preparent la voie à la charité, loin de pouvoir être rapportées à la charité, sont de vrais pechez; parceque sans la charité, & sous le regne de la cupidité, toutes nos actions sont corrompues, venans de la cupidité, qui regne dans le cœur des que la charité n'y domine pas;* & centum pariter Episcopi Galliæ an. 1720. in Quesnellio item, ac in Bajo damnatum hoc dogma testati sunt, *qu'il n'y a point d'autres principes de nos actions, que la charité habituelle, & la cupidité habituelle.* Vide dissert. 1. cap. 1. §. 4.

Delibe. rations de l'Assemblée &c. pag. 57. *Art. 4 des Ver. tus Theologales.*

XII. Duplici itaque ex capite nos a Bajano dogmate discrepamus: quod nempe ad opus moraliter bonum non requirimus *caritatem habitualem*, neque *fidem perfectam*; & quod plura etiam sine fide imperfecta, & sine gratia actuali in infidelibus opera fateamur, quæ licet non sint *intrinsecus* peccata, neque a noxia cupiditate oriantur, quia tamen non fiunt propter Deum, *non bene* fiunt: quamquam hoc postremum perraro, & fere nunquam contingat, ut in praxi sine gratiæ adjutorio fiat aliquod opus honestum, & bonum ratione officii, & finis proximi, atque in tali opere non sit humanæ gloriæ, & cupiditatis rubigo, ut diximus præcedenti num. 7., cum tentationes, quibus homo continuo a propria concupiscentia exagitatur, & præsertim cupiditas gloriæ, qua mens humana pernicioſe sibi placet, ac typho, & morbo inflationis extollitur, non possint solius naturæ viribus superari: quod etiam Bellarminus docet libro v. de Grat.

Bellarm. tom. iv. pag. 311.

Grat. & liber. arbitrio cap. 7. Atque hinc eſt, quod Auguſtinus acerrime oppugnare ſtuduit Julianum, qui de Gentili, qui non vivit ex fide, *ſi nudum operuerit, periclitantem liberaverit, ægri vulnera foverit, divitias honeſtæ amicitiæ impenderit, ad teſtimonium falſum nec tormentis potuerit impelli* (cum nollet, cum iſta facit, peccare) profecto dicturus erat, *Et bona facit, & bene.*

Auguſt. lib. 4. contra Jul. cap. 3. n. 30. pag. 600.

XIII. Ceterum ex eo quod bonum honeſtum in Deum ultimum finem non referatur, neque eliciatur aut imperetur a caritate, minime ſequitur, ut commentus eſt Bajus, *intrinſecus* vitiatum eſſe, & originem ſuam ducere ob amore mundi, ſive a noxia cupiditate; ſed tantum quod deſtitutum ſit recto ordine relationis, ut dixi diſſert. 1. cap. 2. §. 1. atque in aliis locis compluribus. Solus enim debitæ relationis defectus in operantem, non in opus redundat: quod Noſtrates non una ratione demonſtrant. Inquiunt alii, Præceptum diligendi Deum habere diverſum a præceptis ceteris objectum; quando autem præcepta *diſparata* ſunt, & objectum habent diverſum, poteſt unum *quoad ſubſtantiam* ſine alio ſervari, ita, ut recte ſe quiſque gerat in obſervatione unius, male autem in alterius tranſgreſſione. Ita urgente ſimul præcepto audiendi ſacrum, & ſervandi jejunium in die Feſto intra Quadrageſimam occurrente, ſi quis ſacrum audiat, frangatque jejunium, unum bonum opus exercet, aliud omittit; nec tamen ex unius omiſſione alterum *intrinſecus* inficitur & vitiatur: & urgente ſimul præcepto eliciendi actus fidei, ſpei, & caritatis in extremo vitæ periculo, ſi eliciatur actus fidei, vel ſpei, actus vero caritatis prætermittatur; peccat quidem homo actum caritatis omittens, at non proinde actus fidei & ſpei peccata ſunt, nec omiſſione actus caritatis *intrinſecus* labefactantur. Ad hunc modum, inquiunt, præceptum referendi omnia opera in Deum habet pro objecto Dei gloriam, & præceptum honorandi parentes, vel largiendi eleemoſynam, ſpectant officia pietatis & amoris, proximis impendenda. Etſi autem hujuſmodi præcepta ſimul urgeant, & honor parentum, aut ſublevatio pauperum in Deum ſint referenda; nihilotamen minus qui parentibus honorem exhibet, vel opem fert miſeris, id vero non exequitur propter Deum, non peccat, ſed vere parentes honorat, vere miſericordiam exercet; at officia hæc *in ſe bona* non facit *bene*, quia ea non facit propter ultimum finem, cui miſericordia, pietas, & reliquæ omnes virtutes deſervire debent. Alii ex noſtratibus ajunt, hoc diſcriminis intercedere inter finem pravum, & inter defectum relationis in Deum, E. G. inter cupiditatem, qua eleemoſynam aliquis elargitur, & inter omiſſionem debitæ ordinationis ejuſdem eleemoſynæ; quod pravus ille finis movet operantem, atque, ut Schola loquitur, *influit in opus*, ideoque ab ipſo fine idem opus *intrinſecus* corrumpitur, & inficitur; at omiſſio debitæ relationis non influit in opus, neque operantem ad agendum movet & allicit; ideoque hac omiſſione opus *intrinſecus* minime maculatur. Sedulo itaque juxta hanc doctrinam animadvertendum eſt, an cupiditas, & amor qui hæret in creatura ſit finis operis, & an ſit concomitans tantum, atque in opus non influens; aliud eſt enim habere cupiditatem, aliud ex cupiditate operari: ex cupiditate operatur, qui eleemoſynam ob inanem gloriam largitur; habet cupiditatem, ſed non operatur ex cupiditate, qui ad eleemoſynam largiendam movetur ex commiſerationis affectu, & creaturæ adhærens hanc eleemoſynam in Deum non refert; quoniam hæc cupiditas, qua creaturæ adhæret, non eſt cauſa efficiens, aut finalis ipſius eleemoſynæ. Poteſt hæc ſententia confirmari ex doctrina Bellarmini ſcribentis de Grat. & liber. arbitrio libro v. cap. 9. tom. 4. edit. noviſſimæ pag. 315. *Non poteſt opus inquinari a malitia cauſæ, niſi quando a malitia procedit. Nam ſi ex bono naturæ quis operetur, opus erit ſimpliciter bonum. Atque hoc modo eleemoſyna hominis impudici bona eſſe poterit, ſi fiat miſericordiæ cauſa, non impudicitiæ. Per accidens enim opus illud eſt hominis impudici, per ſe autem miſericordis.* In primo itaque caſu, non in ſecundo, opus ex officio bonum *intrinſecus* a cupiditate vitiatur. Demum noſtratium aliqui dicunt, rationem habere duplicem reſpectum, unum ad bona temporalia, alterum ad ſempiterna, ſive, ut inquiunt, rationem aliam *inferiorem* eſſe, aliam *ſuperiorem*; ac virtutes, quæ in ultimum finem non referuntur, quoniam verſantur circa temporalia, quæ ex genere ſuo bona ſunt, modo a pravo fine non vitientur, eſſe officia bona atque honeſta *ſecundum rationem inferiorem*: at ſi *ratio ſuperior* attendatur, a qua præſcribitur modus operandi propter finem ultimum, tametſi officia illarum virtutum verſentur circa objectum honeſtum, tamen *non bene* fiunt, quia non fiunt propter Deum; qui ut eſt primum principium virtutum omnium, ita debet eſſe finis ultimus earumdem. Omiſſio autem relationis in Deum, cum non ſit objectum illorum officiorum, nec ſit eorumdem finis, ideoque nec intendatur ab operante, nec operantem moveat, & incitet ad agendum, non vitiat *intrinſecus* opus; quod ab objecto, atque a fine habet ut bonum ſit, aut perverſum. Hæc autem omnia evidenter demonſtrant, neminem Auguſtinenſium, etſi omnes doceant opera deliberata referenda eſſe in Deum finem ultimum, aſſerere quod niſi ita referantur, *intrinſecus* mala ſint, peccata, & noxiæ cupiditatis vitio corrupta; & conſequenter neminem ex noſtratibus ſentire cum Bajo.

XIV. Quum multum Bajaniſtæ errent recenſentes inter peccata opera honeſta atque officia virtutum; magis, ac turpius falluntur, dum aſſerunt culpabilem eſſe cupiditatem quemcunque actum fidei, timoris, ac ſpei, quotieſcunque non eſt caritati conjunctus. Nam etiam ſervilis timor utilis eſt, bonus eſt, & a gratia ſupernaturali derivans, atque ad juſtificationem impetrandam diſponit; ut definit Tridentina Synodus, & nos etiam non uno in loco tradidimus; quod pariter de fide, & ſpe firmiſſime profitemur. Non inde tamen falſum putamus, quod nos docuit Inſtitutor ſapientiſſimus Auguſtinus in Enchiridio ad Laurentium cap. 121. in Pſalmum 77. de Spiritu & lit. cap. 31. ad Bonifacium lib. 3. cap. 4. atque in aliis locis innumeris: in quibus ait, ea quæ fiunt timore pœnæ, non amore juſtitiæ, nondum fieri quemadmodum fieri oportet, ac ſine ullo amore timentem, intus in ipſa voluntate reum eſſe, quam Auguſtinianam doctrinam, non ego tantum & Fulgentius Bellelli tradidimus, ſed etiam Chriſtianus Lupus, Franciſcus Farvacquez, aliique commemorati a Noriſio in Confutatione Germanitatis xi. ac Noriſius ipſe eo loci, & in Vindiciis cap. 3. §. 6. immo & S. Thomas 1. 2. q. 107. art. 1. ad 2. & 2. 2. q. 19. art. 9. cujus verba profert, & accurate expendit doctiſſimus Cardinalis.

Vide Noriſium tom. 1. p. 1010. & 1446. & ſequentibus.

XV. Facillimum autem ex dictis percipitur, quo ſenſu timor ipſe ſit bonus, ſit perutilis, ſit ad juſtificationem diſponens, & quo ſenſu quod fit ex timore bonum ſit, nec tamen bene fiat. In timore enim ſervili eſt *ſervilitas*, qua impius adhuc animo & voluntate creaturis adhæret, & eſt ipſe timor, ſive formido pœnarum. Sane *ſi ſervilitas* ipſa ſit cauſa timoris, ut in iis accidit, qui timent, ne a noxiis cupiditatibus diſtrahantur, ſicut adultera timet ne veniat ſponſus, a quo illicitos amplexus cogatur dimittere, & lupus timet canem latrantem, ne prædam quam rapuit cogatur deſerere; manifeſtum eſt, noxium, & a cupiditate vitiatum eſſe hunc timorem, quem Schola *ſerviliter ſervilem* appellitat. Quando autem *ſervilitas* non eſt cauſa timendi, ſed adhuc in eo qui timet *ſervilitas* ipſa permanet, quia nondum amat juſtitiam, & adhuc illicitis oblectationibus adhæreſcit; ut in iis evenit, qui fide præeunte, ac Spiritu Sancto movente gehennam timent, ſed nondum excitantur flammulis caritatis: utilis timor eſt, ſanctus eſt, & caritati viam ſternit, quoniam *ducit ad amorem juſtitiæ, pellit conſuetudinem malorum operum, caritati locum ſervat, & dum homines per timorem continent ſe a peccato, fit conſuetudo juſtitiæ, & incipit, quod durum erat, amari.* Eo tamen in caſu qui timet adhuc malus eſt, *non quia timet, ſed quia juſtitiam non amat*, ut inquit Noriſius ad præcitatam Germanitatem undecimam, immo S. Thomas 1. 2. q. 29. art. 4. ad 1. necnon Eminentiſſimus Bellarminus lib. 2. de Pœnit. cap. 18. cujus verba produxi diſſert. 1. cap. 2. prope finem. Qui ergo ita timet, & malus eſt, quia non habet caritatem, ideoque timet timore ſervili, non filiali, habet timorem bonum ac perutilem, & tamen non bene timet; quoniam defectu caritatis non ordinat talem amorem in Deum, atque plus timet pœnam, quam culpam; ſed hujuſmodi defectus caritatis non reddit ipſum timorem malum, quoniam defectus caritatis non eſt objectum, neque cauſa efficiens timoris, ideoque ipſum non inficit, neque *intrinſecus* maculat, adeo, ut cum *ſervilitate*, quæ mala eſt, conſiſtat timor, qui *ſecundum ſubſtantiam* eſt bonus. Hæc eſt doctrina Sancti Thomæ citato art. 4. de qua plura ſcripſi libro 34. cap. 5. Eodem modo ibi de fide, & ſpe ratiocinatus ſum; quorum actus ſunt boni, ac ſupernaturales, etiam in impio, qui caret actu, & habitu caritatis; propterea quod licet non habere caritatem malum ſit, id tamen neque eſt objectum, neque finis, neque cauſa efficiens actus fidei, vel ſpei: ideoque actus timoris, actus fidei, actus ſpei, etſi in Deum referri debeant tanquam in finem ultimum, nihilominus ſi non referuntur, actus boni ſunt, neque defectu hujus relationis *intrinſecus* maculantur. Hæc omnia Auguſtiniani Theologi explicant unico verbo, docentes in actibus virtutum, quæ non referuntur in finem ultimum, adinveniri vitium *operantis*, non *operis*.

Vide Auguſtinum in Pſ. 93. tom. 4. pag. 998. in Pſalm. 118. pag. 1307. & in Pſal. 127. pag. 1440. Epiſt. ad Honoratum, capit. 18. nu. 45. tom. 2. pag. 438. Tractatu 41. in Joannem n. 10. 2. p. tom. 3. pag. 575. In præcitatum Pſalmum 127. nu. 7. tom. 4. pag. 1439. In Pſ. 150. n. 15. ibi pag. 1691. Serm. 156. nu. 14. tom. 5. pag. 756. Noris tom. 1. pag. 1446. S. Tho. mas tom. 11. pag. 46. De Th. diſcipl. tom. 7. pag. 552. & ſeq.

XVI.

XVI. At Queſnellius, & Bajaniſtæ reliqui, timoris, fidei, ſpei, aliarumque virtutum actus debent, ſuis principiis inhærentes, inter peccata, & opera *intrinſecus* vitiata connumerare, connumerantque reipſa. Cum enim in Bajano ſyſtemate cupiditas, quæ in corde peccatorum regnat, opera eorum cuncta corrumpat, & quæ a dominante caritate non proveniunt, principium habeant dominantem cupiditatem, prout conſtat ex prima diſſertatione, ex propoſitione Baji 38. & 45. Queſnelliana, atque ex judicio doctiſſimorum Præſulum Galliarum, de quibus non ſemel, & hoc etiam §. num. 11. mentionem feci; conſequens eſt, in ipſo Bajaniſtarum ſyſtemate actus omnes, qui a dominante caritate minime efficiuntur, eſſe *intrinſecus* mala, & quod Lutheranam olet hæreſim, atque in Tridentina Synodo proſcriptum eſt, peccatorem, dum credendo, timendo, ſperando ad juſtificationem diſponitur, magis, magiſque coinquinari. Hinc Queſnellius a propoſitione ſexageſima ad ſeptuageſimam uſque timorem Domini adeo depreſſit, ut veritus non ſit affirmare, quod pœnitentia ſolo ſupplicii timore animata violenta ſit, atque ad deſperationem ducat, ulterius pronuntians, ipſum timorem peccatis addicere, homines coram Deo reos facere, & ſub jugo legis, quaſi Judæi forent, conſtituere, eoſque ad opus impellere tanquam mancipia, & ad inſtar beſtiarum; Deum repræſentare ut dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem: peccari demum, ſive faciendo malum, ſive illud nonniſi ob timorem evitando. Arbitror autem tam nefaria, & horrenda nec ab impuriſſimo hæreticorum ore hactenus erupiſſe: atque certo certius non eruperunt horridiora. Nunc vero Queſnellii ſenſum fuiſſe, quod ſine caritate actus timoris, ceterarumque virtutum corrumpantur a cupiditate; præter doctrinæ ejus principia, præter damnatarum theſium ſyntaxim, & præter Gallicanorum Præſulum explicationem, judicia quoque aliorum evincunt, qui de Æquitate Conſtitutionis *Unigenitus* pertractarunt. Joannes Joſeph Languet Epiſcopus Sueſſionenſis in Inſtitutione Paſtorali ait in præcitatis Queſnellii theſibus latere hæreſim Lutheranam: Auctor Opuſculi Gallice inſcripti, *Venin des* 101. *Propoſitions*, explicata Queſnellii circa timorem ſententia, *Cette crainte* (inquit) *& cette hypocriſie étant un nouveau peché, puiſque c'eſt un fruit de la cupidité, n'augumente-t-elle pas le nombre de ſes pechez?* Auctor alterius Opuſculi, *Les cent & une Propoſitions qualifiées en détail*, ait Queſnellium aſſerere, *que s'abſtenir de pecher par crainte des chatimens, c'eſt un nouveau peché;* contendere, *que la crainte ſervile eſt une affection criminelle qui éloigne de Dieu contre la déciſion du Concile de Trente:* audere etiam profere, *qu'agir par la crainte, c'eſt agir en bête*. Eadem habentur in Italica earumdem propoſitionum Explicatione typis Mediolanenſibus in lucem edita. Haud ſecus Cardinalis De-Biſſy demonſtrans inter Queſnellium, & Lutherum omnimodam cohærentiam, cum uterque propugnet hæreticum dogma a Tridentina Synodo expreſſe damnatum, *Que la crainte des peines rend les pecheurs pires devant Dieu*. Denique hoc idem, (neque enim opus eſt de re notiſſima plura dicere) docuerunt Epiſcopi Galliarum, aſſerentes Queſnellianam de timore doctrinam opponi Tridentino Concilio, quod ſeſſ. XIV. cap. 4. definivit timorem eſſe donum Dei, ad juſtificationem diſponere, nec reddere hominem hypocritam, & magis peccatorem, cum qua definitione, „ Ne s'accordent pas les propoſitions cenſurées: on y lit ſur la crainte en general, & par conſequent ſur la crainte ſurnaturelle de l'Enfer, qu'elle porte au deſeſpoir, qu'elle laiſſe le cœur livré au peché, & coupable devant Dieu, qu'elle appartient à la loi ancienne, qu'elle rend l'homme eſclave, qu'elle n'exclud pas la volonté actuelle du peché, lors même qu'elle empêche de commettre exterieurement le crime: qu'au contraire on peche, ou en faiſant le mal, ou en ne l'évitant que par la crainte; qu'elle ne nous repreſente Dieu, que comme un maître dur, imperieux, injuſte, intraitable: Propoſitions, que les fideles ne peuvent entendre ſans indignation. „ Manifeſtum eſt itaque Auguſtinenſes, eoſque omnes, qui docent omnia opera in Deum referenda eſſe, ſed negant ea omnia, quæ hac relatione carent, vitiari a cupiditate, & intrinſecus eſſe mala, atque agnoſcunt actus virtutum bonos ac perutiles etiam a caritate ſejunctos, toto cælo a Bajanis erroribus diſſidere: id, quod ex hiſce diſſertationibus, immo ex iſto tantum paragrapho ſatis perſpicuum eſſe arbitramur.

Prima Inſtit. Ep. Sueſſ. pag. 71. edit. Lov.

Venin, &c. pag. 20.

Les Cent &c. pag. 92. & 93.

Operetta Teologica pag. 69.

Card. de Biſſy Tract. Theolog. pag. 194.

Deliberations de l'Aſſemblée tenue en l'Année 1713. & 1714. pag. 59.

XVII. Unum duntaxat addendum eſſe videtur, noſtrates nempe, ceteroſque omnes propugnantes ſententiam hac lucubratiuncula expoſitam *de referendis in Deum operibus deliberatis*, nequaquam aſſerere quod iſtiuſmodi relationis omiſſio ſit ſemper peccatum mortale. Quamvis enim idem ſit prætermittere in aliquo deliberato opere hanc relationem, ac in tali opere non diligere ſummum & incommutabile bonum, ſed rebus creatis inhærere: non ideo tamen quiſquis hæret in aliquo opere creaturis, ceſſat ſemper diligere Deum *ſimpliciter & abſolute*, neque ſemper ita adhæret commutabilibus bonis, ut tali adhæſione caritatem *habitualem*, & ſanctificantem gratiam deperdat. Id vero comprobatur experimento juſtorum, qui non ſemel *venialiter* peccant, nec tamen venialiter peccando decidunt penitus a caritate, ſed in ea *habitualiter* perſeverant. Neque robuſta, & ad ſolvendum difficilis cenſeri debet argumentatio, quam adverſariorum noſtrorum aliqui urgere ſolent, opponentes quod ſi teneamur ex vi primi præcepti omnia, quæcunque facimus, in Deum referre, hujus rationalis omiſſio futura ſit tranſgreſſio ejuſdem primi ac maximi mandati, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.;* ideoque mortiferum graviſſimumque peccatum. Etenim eadem omnino argumentatione Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini ſeſſ. 6. cap. 12. aliique hæretici paſſim utuntur, demonſtraturi, ut in caſſum conantur, nullum dari *veniale* peccatum. Reſpondent autem iiſdem hæreticis cum Roberto Cardinali Bellarmino univerſi Theologi, non ita frangi *veniali* peccato divinum illud & ſingulare præceptum, *ut aliquid Dei amori anteponatur, vel adæquetur*, & conſequenter homines juſtos, etſi quotidie in *venialia* labantur, adhuc tamen diligere Deum ſuper omnia, quatenus ei nullum commutabile bonum præferunt, vel adæquant, quemadmodum faciunt qui admittunt mortalia crimina. Pari itaque ratione affirmamus in omiſſione debitæ relationis patrari *veniale* peccatum; quoniam non ita per hanc ſolam omiſſionem violatur præceptum caritatis, ut Deus toto corde & animo diligendus in comparatione creaturarum nobis vileſcat, aut æqualiter æſtimetur. Legantur quæ ſcripſi Volum. 4. pag. 233. docens poſſe nos tranſgredi primum legis mandatum & levi culpa, & mortifera: levi quidem, ſi ab amore Dei penitus non divellamur, neque finem amoris noſtri ita conſtituamus in re creata, ut hanc ſummo Bono præferamus, vel pari habeamus in pretio: mortifera vero, ſi cupiditate perverſa & defixa adeo bonis commutabilibus adhæreamus, ut iſta præponamus Bono incommutabili, vel huic amorem ſubtrahamus vehementiorem. Habes, quam pollicebar, ſententiæ noſtræ uberiorem expoſitionem.

Bellarmin. de Anteced. grat. lib. 1. cap. 12. pag. 46. tom. 4.

COROLLARIUM I.

Ex his, quæ præcedentibus paragraphis productæ fuerunt, & locupletiſſimis inſignium Theologorum teſtimoniis comprobata, infertur legitima & manifeſta conſecutione,

1. Bajum erraſſe circa diſtinctionem duplicis amoris, quod exiſtimaverit Deum non eſſe ſuapte natura finem ſupernaturalem creaturæ rationalis; quaſi prorſus idem ſit, eſſe naturæ conditorem, & largitorem gratiæ; nullumque agnoverit amorem naturalem a caritate diſtinctum, qui non ſit noxia, & vitioſa cupiditas:

2. Erraſſe item circa infidelium opera, & virtutes philoſophorum, quoniam eadem opera, eaſque virtutes a noxia cupiditate corrumpi crediderit, nullum bonum opus agnoſcens, quod a fide perfecta, & a caritate dominante non oriatur:

3. Pariter erraſſe circa vires liberi arbitrii poſt Adæ lapſum, eo quod commentus fuerit idem liberum arbitrium ad nullum opus valere abſque gratia ſanctificante; & quæ fiunt abſque ulla gratia, oriri, atque *intrinſecus* vitiari dixerit a dominante cupiditate:

4. Item erraſſe accipiendo Apoſtolicam ſententiam ad Rom. 14. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, de fide perfecta, & non de pio affectu divinitus inſpirato, ac præterea aſſerendo id, quod ex nulla fide ſupernaturali derivat, originem habere a dominante cupiditate, a qua intime vitietur & corrumpatur:

5. Demum erraſſe circa ſenſum alterius Paulinæ ſententiæ, 1. Corinth. 10. *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, &c.* quod putaverit ea, quæ in Deum non referuntur per caritatem, eſſe *intrinſecus* vitia & peccata, utpote ex cupiditate, ſive ex prohibito mundi amore profecta.

COROLLARIUM II.

Hinc vero confectarium alterum perſpicua illatione deducitur, inique ſcilicet Auguſtinianos Theologos traduci tanquam Bajaniſmi propugnatores,

1. Primum, ſi affirmantes Deum non poſſe diligi ſuper omnia, etiam ut auctor naturæ eſt, abſque gratia, fateantur Deum eſſe finem naturæ rationalis ſupernaturalem quoad aſſecutionem, & munera quæ nobis Deus contulit tanquam conditor naturæ, diverſi generis eſſe a donis ſupernaturalibus, quæ

nobis

nobis confert tanquam largitor gratiæ, ac præterea amorem, qui non eſt caritas, a culpabili cupiditate diſtinguant.

2. Secundo, ſi docendo infideles nonniſi cum ſpeciali gratiæ adjutorio facere opera deliberata, quæ ſint bona ſpectatis omnibus circumſtantiis, ultro concedant complura bona opera ab iiſdem infidelibus fieri abſque caritate dominante, & abſque fide perfecta.

3. Tertio, ſi propugnando liberum arbitrium non poſſe vitare peccata, & ſuperare tentationes abſque gratia actuali, aſſerant poſſe bene ac ſupernaturaliter operari ſine gratia ſanctificante; ac negent opera moralia, quæ fiunt abſque ſupernaturali adiutorio, omnia, ac ſemper a dominante cupiditate corrumpi.

4. Quarto, ſi interpretando illa Apoſtoli verba, *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, de fide initiali, & de gratiæ inſpiratione, negent eſſe peccata quæcunque non ſunt ex gratia ſanctificante, & ex fide Chriſtiana; negentque *intrinſecus* a noxia cupiditate vitiari quidquid abſque fide ſuperna patratur.

5. Poſtremo, ſi accipiendo alteram Paulinam ſententiam, *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, &c.* de præcepto referendi omnia opera deliberata in Deum finem ultimum, tradant non reddi ex ſolo hujus relationis defectu opera *intrinſece* mala, neque eam ob rem a cupiditate, ſive a prohibito mundi amore labefactari.

§. VII.

Adnotationes in ea, quæ Anonymus profert exponendo ſenſum propoſitionum Baji, de quibus in hac Vellitatione diſſeritur.

Bajan. Rediv. pag. 94.

I. PRæmiſſa Anonymus diſtinctione duplicis amoris, quorum uno diligitur Deus ut auctor naturæ, altero amatur ut largitor ſupernaturalium donorum, ait non ſatis eſſe, ut amor ille dicatur *naturalis*, *quod Deus præciſe diligatur ut eſt auctor naturæ*, ſed ulterius requiri *ut ſic diligatur per ſolas naturæ vires*; cum Deus etiam *ut auctor naturæ diligi poſſit amore ſupernaturali*: ideoque dum quæritur, *an detur aliquis amor Dei naturalis, ſenſum eſſe, an Deus per ſolas naturæ vires diligi poſſit ut Auctor naturæ*. Fatetur deinde inter Theologos controverti, *an in ſtatu naturæ lapſæ poſſit Deus diligi per ſolas naturæ vires*, & nonnullos eſſe Theologos, inter quos Eſtius, Sylvius, & alii, qui *probabilius docent* Deum in hoc ſtatu *abſque auxilio gratiæ non poſſe diligi ſuper omnia, ut auctorem naturæ*, ſed poſſe tamen diligi *aliquo modo*; ab hac autem quæſtione, quia hæc agitatur in Scholis, in Opere contra Bajum & Bajaniſtas ſuſcepto, *conſulto abſtinendum* eſſe arbitratur. Baji itaque, & Bajaniſtarum errorem in hoc tantum ſitum eſſe pronuntiat, quod aſſerant *hominem in quocunque ſtatu conſideretur, non poſſe per ſolas naturæ vires ullo modo diligere Deum*; qui error oritur ex illo principio, quod *non datur medium inter cupiditatem, & caritatem*, ex quo ſequitur dilectioni naturali nullum dari locum. Longe ab hac ſententia diſtare concedit ſententiam illorum Theologorum, qui aſſerunt hominem ratione infirmitatis per peccatum contractæ *non poſſe per ſola naturalia ullo modo diligere Deum, etiam ut auctorem naturæ*, eo quod Bajus id affirmet de homine *in quocunque ſtatu conſideretur*. Hunc autem Baji errorem contineri propoſit. 34. & propoſit. 36. quæ leguntur quoad ſenſum *in Opuſculo de caritate* cap. 4. & cap. 5. Demum ait contendere *Novatores*, duas illas propoſitiones, non *ratione doctrinæ, ſed tantum ratione acrioris cenſuræ* fuiſſe proſcriptas. Verum cum doctrina in illis enuntiata damnata ſit prout conſtat ex præcedentibus; duæ illæ propoſitiones non ſolum *ob acriorem notam*, verum etiam *ob ſubſtantiam dogmatis* proſcriptæ fuerunt. Hæc Anonymus de duplici amore.

Perſ. Sat. 5.

At non germanum ſenſum articulorum Baji, ſed germanas gerras proponit accuſator, homo, ut Perſius ad Stoicum quemdam ait, *in tenui farragine mendax*. Falſiſſimum eſt enim, ſenſum in propoſitionibus 34. & 36. damnatum in eo ſitum eſſe, quod Bajus exiſtimaverit *Deum non poſſe diligi per ſolas naturæ vires, in quocunque ſtatu homo conſideretur*; ideoque admittendum eſſe amorem Dei ut auctoris naturæ *abſque actualis gratiæ adjutorio*. Permulti enim Theologi, inter quos Vaſquez diſp. 195. negant diſtinctionem *duplicis amoris* hinc petendam eſſe, quod detur amor naturalis elicitus *ſolius liberi arbitrii viribus*, præter amorem ſupernaturalem exortum a gratia: docent alii Deum etiam ut auctorem naturæ non poſſe in hoc infirmitatis ſtatu diligi propter ſe abſque gratiæ actualis auxilio, ut aſſerit Bellarminus lib. VI. de Grat. & lib. arb. cap. 7. propugnant alii cum Soto lib. 1. de nat. & Grat. cap. 4. nec in ſtatu *puræ naturæ* potuiſſe *ex puris naturalibus perfici totum naturæ bonum*, ideoque nec Deum diligi ſuper omnia (ſaltem permanenter) ſine gratia; & inſuper ad diligendum Deum *ut auctorem naturæ* in quocunque ſtatu neceſſariam eſſe gratiam ſupernaturalem, defendit univerſa Schola Ægidiana. Quiſnam, obſecro, eſt Anonymus iſte, vel minervæ adeo rudis, ut hæc ignoret, vel auctoritatis adeo formidandæ, ut viros ſummos, integramque Scholam Catholicorum, quam Romani Pontifices immunem volunt, accuſet, damnetque Bajaniſmi? Falſiſſimum item eſt, Bajum in ea fuiſſe ſententia, quod in nullo ſtatu *poſſit homo abſque ſupernaturali gratia diligere Deum, tanquam auctorem naturæ*; cum Bajus in ſtatu naturæ integræ nullam gratiam ſupernaturalem admiſerit, nec tamen libero arbitrio facultatem diligendi Deum denegaverit, ut oſtendi præcedenti diſſertatione. Falſiſſimum præterea eſt, ſententiam, quæ ſuſtinet Deum *ut auctorem naturæ* non poſſe diligi ſine gratia, conſequi ex principio Baji nullum admittentis medium *inter cupiditatem & caritatem*; ſiquidem ſtante illa eadem ſententia datur *inter caritatem habitualem, & cupiditatem habitualem* amor naturalis beatitudinis: datur amor Dei *ut auctoris naturæ* proveniens a gratia actuali non juſtificante; & datur amor naturalis & honeſtus, etiam ſine gratia, non quidem bonus ſecundum omnem rationem, ſed tamen non corruptus a noxia cupiditate. Falſiſſimum eſt etiam, longe diſtare ab erroribus Baji ſententiam Eminentiſſimi Bellarmini, aliorumque Catholicorum, qui negant in hoc infirmitatis ſtatu poſſe Deum diligi, tanquam auctorem naturæ, ſine gratia, ſi ſenſus Baji ſit, quem contendit imperitus iſte adverſarius: neque enim in ſtatu naturæ per peccatum corruptæ verum eſt principium illud Bajanum, quod *inter cupiditatem & caritatem* nullum ſit medium; ſed hoc principium falſum eſt *in quocunque hominis ſtatu*; & conſequenter ſi ex falſitate hujus principii inferatur quod Deus diligi poſſit *per ſolas naturæ vires* tanquam auctor naturæ; pari ratione inferri debet, quod Bellarminus, aliique Theologi, qui negant Deum *per ſolas naturæ vires* poſſe diligi in hoc ſtatu tanquam auctorem naturæ, admittant quod in hoc ſtatu nullum detur medium *inter cupiditatem & caritatem*: quod cum contumelioſum & improbum ſit, neque ab ullo, niſi forte ab hoc Anonymo Scriptore dici poſſit; manifeſtiſſima res eſt, ſenſum Baji non eſſe illum, quem idem Anonymus comminiſcitur. Falſiſſimum inſuper eſt, quod *Novatores* appellari debeant, qui ajunt propoſitiones 34. & 36. damnatas fuiſſe propter acriorem cenſuram; quandoquidem Novator non eſt Gabriel Vaſquez, qui hoc aſſerit 1. 2. diſput. 190. cap. 18. & diſput. 195. cap. 5. quem inofficioſiſſimus criminatur cæco impetu ferit, & incaute proſcindit. Falſiſſimum eſt denique, ex ſubſtantia dogmatis, quod in iiſdem propoſitionibus damnari cenſent alii Theologi, aperte conſequi, Deum tanquam auctorem naturæ poſſe diligi *ſine gratia actuali*; quum dogma illud damnatum ſit, nullum dari amorem bonum atque honeſtum, *qui non ſanctificet*, & nullum amorem naturalem elicitum abſque gratia, *qui non ſit adſcribendus vitioſæ cupiditati*, ut inquiunt Turrianus cap. 5. *de erroribus Baji*, Suarez lib. 1. de Grat. cap. 4. & Ripalda lib. 2. de ſtatu nat. lapſæ diſſert. 13. Nil dixi, quod manifeſtum non ſit ex 1. §. hujus capitis; ſed cetera proſequamur.

Bajan. Rediv. pag. 99.

II. Explicaturus deinde Anonymus ſenſum Bajanæ propoſitionis 25. & proximæ 26. præmittit analyſim Opuſculi *de virtutibus impiorum*: in quo Bajus aſſerit in virtutibus *officia a finibus eſſe diſtinguenda*: & rejecta ſententia S. Thomæ, approbantis virtutes, *quæ referuntur ad bonum aliquod particulare, quod ad bonum univerſale ſit referibile*, 2. 2. qu. 23. art. 7. inquit Bajus *a peccato non vindicari, & eſſe vitia virtutes imitantia quæcunque non referuntur in Deum*: ideoque omnia infidelium opera, quoniam propter Deum fieri non poſſunt, *eſſe peccata, omneſque virtutes Ethnicorum philoſophorum eſſe vitia*. Eumdem errorem Bajus expreſſius docuit in eodem Opuſculo cap. 5. ubi aſſerit, quod *quidquid non eſt ex fide per dilectionem operante, peccatum eſt*: idemque confirmat in adnotat. ad Cenſuram Sorbonæ prop. 7. *Hinc vero manifeſtum eſt*, inquit Anonymus, *eos a Bajo non recedere, qui fatentur opera quædam infidelium eſſe bona ex objecto, & fine proximo, ſed addunt eſſe peccata ex defectu ordinationis in Deum*; *quoniam nec Bajus negavit eadem opera ex objecto & fine proximo bona eſſe*. Nec effugiunt, addit Anonymus, latam a S. Pio V. damnationem, qui nomine *infidelium* intelligunt eos, *qui non habent fidem explicitam in Chriſtum Redemptorem*, & ajunt *peccata eſſe opera illorum, qui Deum creatorem minime agnoſcunt*; quoniam *Bajus ſententiam ſuam probare nititur ex quo infideles non referant opera in finem ultimum, non autem ex quo fide in Chriſtum ſint deſtituti*. Pari ratione a Bajo non recedunt, nec damnationem effugiunt *qui admittunt in infidelibus actiones quaſdam immunes a peccato, eas*

eas nempe, quibus disponuntur ad fidem, propterea quod etiam Bajus in Apologia propositionis 35. *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*, docuerit propositionem illam esse rejiciendam, *quatenus peccatoris nomine illum quoque comprehendit, qui a Deo juvatur ut credat, & de præteritis doleat*. A Pontificia demum censura, judicio Anonymi, non sunt immunes, *qui fatentur quidem omnia infidelium opera non esse peccata, sed simul docent infideles peccare defectu rectæ intentionis*; quoniam *opus, cui deest recta intentio, peccatum est*, & defectus debitæ intentionis *afficit ipsum opus*, atque illud corrumpit. Quamobrem ad hoc effugium Novatoribus præcludendum, Alexander VIII. Pontifex Maximus damnavit propositionem 8. ex 31. *Necesse est infidelem in omni opere peccare*. Hæc adversarius.

Quo autem loco hæc habenda sint, constat ex 2. & 6. §. hujus dissertationis: ad hoc enim, ut universa infidelium opera non sint peccata, sat est, quod peccata non sint opera indeliberata, neque illa, quæ cum gratia auxiliatrice efficiuntur, & quod insuper ea, quæ honesta sunt, & quantum ad officium attinet laudabilia, non fiant ex illa noxia cupiditate, a qua juxta Bajum cuncta peccatorum opera corrumpuntur. Neque enim Bajanistæ dicendi sunt tot, tantique viri clarissimi, qui opera, quæ in Deum non referuntur, & Deo virtutum non serviunt, duce ac præceptore Augustino, *non recto fine* patrari docuerunt; quos inter Vaticana purpura, ac doctrina præfulgent Seripandus, Bona, Norisius; quorum si non pervolutatis voluminibus adversarius *Bajanismum* conflavit, parum instructus projecit certaminis hujus aleam: si vero volumina illa perlegit, aut cæcus omnino fuit nostram ibidem sententiam expressissime traditam non discernens; aut nimium audax, iisdem summis viris ore nostro loquentibus notam dicamque Bajani erroris impingens. Verum ne sui confidentissimus homo putet se magni aliquid protulisse, quod subterfugiis studeam nunc declinare; quidquid cavus iste follis spirat, penitus exsufflabo. Ergo quod Bajus dixerit *officia esse a finibus distinguenda*, nullam promeretur censuram; nam hæc verba, *Noveris non officiis, sed finibus discernendas esse virtutes*, Augustini sunt lib. IV. cap. 3. Julianum redarguentis: & quisquis id negat, non Baji insectator est, sed sectator Pelagianorum. Ac debuerat saltem animadversor ostendere quo sensu Augustinus, & quo Bajus interdum eadem pronuntiaverint, ne de se ingereret suspicionem, se ex illorum numero esse, qui in Bajo & in Jansenio Augustinum damnatum esse temere audacterque vociferant: cumque in nostra scripta Augustinianis verbis refertissima tamquam bacchator insiliat; ostendendum ei erat quomodo Augustinus sit intelligendus, & nos in illius lectione decepti simus, non autem Augustini & Baji verba fraudulenta commixtione proponere. At nondum in Opere suscepto ad Theologiam eorum, qui Augustini nomine gloriantur, perantiquis accusationibus impetendam, unum S. Patris testimonium ex illis innumeris, quibus sententia nostra munitur, immo nec illius augustissimum nomen hactenus proferre dignatus est. Quod ergo virtutes, quæ non referuntur in Deum, sint *vitia virtutes imitantia*, Augustinus asseruit, Bajus asseruit. Quod, nisi fiant propter quod fieri debent, *non recto fine* sint facta, & quia Deo non deserviunt, sint *extrinsecus* mala, sensus est Augustini: quod nisi fiant propter Deum, fiant *ex motivo cupiditatis*, & *intrinsecus* sint peccata, sensus est Baji. De mente autem Sancti Thomæ plura dixi §. 5. num. 4. & nonnulla repetam, ubi adversarius de illius sententia pertractabit.

Jam vero quod attinet ad Apostoli verba, *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, illa non Bajus solus *de fide Christiana* interpretatus fuit, verum etiam Augustinus, Prosper, Fulgentius, Remigius, & Lugdunensis Ecclesia, summique Theologi, quos §. 4. commemoravi. Quare hic etiam oportet Patrum sensum a Bajano secernere. Si dicas, *Quod non est ex fide, peccatum esse, quoniam quidquid non refertur in Deum, caret rectitudine finis ultimi, nec bonum est undique*; sensus est Patrum. Si vero dixeris, *Quod non est ex fide, peccatum est, quia quidquid non fit ex fide, quæ per dilectionem operatur, fit ex motivo cupiditatis, a qua intrinsecus maculatur*; sensus est Baji. Ipsemet adversarius scripserat pag. 29. *peccatorem*, ideoque infidelem, in sensu Baji *semper agere ex motivo cupiditatis, ac proinde semper peccare*, id demonstrans ex propos. 35. & 40. & pag. 105. *Juxta Bajum, & Bajanistas* (inquit) *opus, cui deest recta intentio, nempe caritas, habet pro fine vitiosam cupiditatem*. Satis errorem hunc Bajus expressit in Opusculo *de Virtutibus impiorum* cap. 5. dicens: *Virtutes impiorum vitia sunt, & damnant*. Profecto si damnant, *intrinsecus* mala sunt.

Op. Baji 1. parte pag. 66.

Effugiunt itaque censuram in Bajum latam, qui docent cum Cardinali Norisio dari in infidelibus opera bona ex fine proximo, non bona ex fine ultimo, nec tamen corrupta *in sui productione* a noxia cupiditate. Effugiunt eamdem censuram, qui in infidelibus fide penitus destitutis agnoscunt opera quædam bona *ex objecto*, & non bona ex defectu debitæ relationis: quamquam Bajanistarum plurimi, & præsertim Quesnellius, non distinguant fidem *explicitam* in Christum a fide *inchoata & imperfecta*, prout observarunt Episcopi Galliarum in *Instruct. Pastorali* an. 1714. pag. 44. Nec diffiteor ego, Michaelem Bajum *in Apolog. propositionis* 35. asserere peccatorem non servire cupiditati quando *juvatur a Deo ut credat, & de patratis sceleribus doleat*: sed, præterquamquod potuit Bajus aliquid veri enuntiare, præsertim ubi Vaticanum fulmen vitare curavit, ac potuit etiam aliquando sibimet adversari, ut revera hæc Apologiæ verba propositioni 40. contraria sunt; quis ignorat, Bajum *peccatorem* appellasse etiam illum, qui operatur per Spiritum Sanctum moventem, & qui justificatus jam est, cum in tali peccatore admiserit *veram justificationem separatam a remissione peccatorum*, & simul negasse illum esse *peccatorem*, quia *quamvis nondum obtinuerit remissionem peccatorum, operatur tamen ex motivo caritatis?* Profecto id etiam adversarius noster animadvertit. Ideoque minime sequitur, Negat Bajus esse peccatorem, *qui a Deo juvatur ut credat, & de patratis sceleribus doleat*; ergo affirmat dari quædam opera bona *ante gratiam sanctificantem*.

P. 2. pag. 99.

Vide Bajan. Red. pag. 29

Illud vero quod Anonymus addit, defectum *debitæ relationis* afficere ipsum opus, & illud corrumpere, abunde refutatum est §. 6. num. 13. unde etiam apparet jure meritoque damnatam fuisse ab Alexandro VII. octavam illam propositionem, *Necesse est infidelem in omni opere peccare*; quæ falsa est, quia infideles non peccant in actibus indeliberatis: falsa est, quia infideles non peccant in operibus, quæ deliberate faciunt cum gratia actuali: falsa est, quia non peccant faciendo opera honesta, licet hæc spectata circumstantia ultimi finis non sint laudabilia; falsa est denique, quia infideles si peccant, non adacti necessitate, sed libere peccant.

III. Progreditur deinde Anonymus ad investigandum germanum sensum propositionis 28. ac more suo, inconsiderato scilicet & audaci, *Novatores* appellat, qui eamdem propositionem ita exponunt, quasi liberum arbitrium nonnisi ad peccandum valeat *sine gratia sanctificante. Enimvero*, inquit, *gratiæ vocabulum tam pro habituali, quam pro actuali usurpatur, sed in hac propositione de actuali tantum fit sermo: ac sensus Baji eruitur ex cap. 8. de virtutibus impiorum, unde damnata propositio desumpta est*; nam eo loci ait Bajus, vocem esse Pelagianorum, *potestatem voluntatis aliquando ad non peccandum valere: & Pelagiani de voluntate sine actuali gratia id asserebant*. Probat autem Bajus *impotentiam illam voluntatis ex* oratione Dominica, *Ne nos inferas in tentationem*: qua peti *auxilium gratiæ actualis* is tantum, qui omnino desipiat, negare potest. Docuit præterea Bajus *in Apologia prop.* 35. *non omnia impiorum opera esse peccata, bona quædam agnoscens absque remissione peccatorum*. Opponitur præterea contortæ illi explicationi *Expositio Sacræ Facultatis Lovanienſis*. Ad hæc Jansenius lib. 4. de statu nat. lapsæ cap. 27. *admittit in peccatore bona opera ante justificationem*, & nihilominus eodem lib. cap. 18. dogmatizat *periisse post lapsum primi hominis libertatem, non solum ad agendum bonum, sed etiam ad vitandum peccatum. Igitur de libero arbitrio sine gratia actuali Jansenius id asserit*: cujus librum Urbanus VIII. damnando, *eo quod innovat errores* a S. Pio V. *damnatos in Bajo, supponit idem esse Jansenii, & Baji systema*. Quare etiam Bajus docuit *liberum arbitrium gratia justificante destitutum valere ad non peccandum, & non valere nisi ad peccandum sine gratia actuali*.

Bajan. Rediv. pag. 105.

Nititur præterea Anonymus demonstrare quod non effugiant damnationem Baji *Novatores* illi, qui *ajunt hominem sine gratia appetere beatitudinem*: atque id primum ostendit, quia nemo non videt *quam absurda sit hæc expositio; nam motus indeliberati* (qualis est appetitus innatus beatitudinis) *non sunt fœtus liberi arbitrii*: deinde quia *etsi Bajus motus concupiscentiæ culpabiles* dixit; nihilominus propositione 72. *fatetur motus indeliberatos concupiscentiæ non imputari ad peccatum*. Ulterius cavillari eos inquit, *qui sine gratia admittunt officia virtutum, in quibus peccatur defectu debiti finis ultimi*; nam *si liberum arbitrium sine gratia peccat defectu ultimi finis, jam non valet nisi ad peccandum*.

Sistat paullulum, quæso, antequam ulterius progrediatur fluens hæc præceptionum illuvio. Enimvero quod Anonymus *Novatores* appellet eos, qui censent Bajum in propositione 28. locutum fuisse de libero arbitrio *sine gratia sanctificante*, contumelia est maxima, qua afficit Norisium, Patrem Macedum, Vasquium, Turrianum, aliosque innumeros a me lau-

laudatos §. 3. hujus capitis, necnon dissert. 1. cap. 1. §. 2. immo *Novatores* quoque erunt centum illi Galliarum antistites, qui testati sunt Bajum nullum aliud humanarum actionum agnovisse principium, *nisi cupiditatem, & caritatem habitualem*; de quibus dixi non uno in loco, & etiam §. præcedenti num. 11. Omnia ergo, quæ Anonymus noster profert, repetit, conglomerat, impostoris, & mendaciis infarta sunt. Quæ vero argumenta inserit, movent simul risum & camerinam, adeo sunt recocta, diluta, atque subrancida. Plura in præcedentibus, ac nuper præmissis ejus adnotationibus continentur. Primum argumentum est, quod *Gratiæ* vocabulum *tam actualem, quam habitualem* significat. Ingeniosissimum! At Bajus gratiæ Spiritus Sancti *moventis*, & gratiæ Spiritus Sancti *inhabitantis* sustulit distinctionem, ideoque perinde est, si Bajus *de gratia actuali*, sive Spiritus Sancti moventis, ac si *de gratia habituali*, seu Spiritus inhabitantis loquatur. Argumentum alterum est, quod Bajus potestatem recte operandi absque gratia tribuerit Pelagianis *actualem* gratiam negantibus. Acutissimum! sed Calvinus quoque, & Lutherus eadem sensere de Pelagianis; & nullum tamen in impio bonum opus admiserunt proveniens *a gratia actuali*. Proximum argumentum illud est, quod Bajus laudaverit orationem dominicam, qua ad tentationes vincendas petitur gratia auxiliatrix. Subtilissimum! Verum in sensu Baji sicuti nullum est principium bonorum nisi caritas *habitualis*, ita nequit esse gratia aliqua auxiliatrix, nisi gratia sanctificans. Subsequens argumentum est, quod in *Apologia* Bajus quædam bona opera agnovit *absque peccatorum remissione*. Præstantissimum! sed Bajus gratiam sanctificantem a remissione peccatorum secrevit. Positum proximo loco argumentum est illud, quod Sacra Facultas Lovanienſis contra Bajum asseruit liberum arbitrium *sine gratiæ Dei adjutorio* multa utiliter ad humanos usus, moresque excolendos protulisse. Pulcherimum argumentum! at eadem Sacra Facultas Bajum redarguit, quoniam negat ante justificationem *inchoationes conceptionibus similes*, & duplicem justitiam duplicemque vivificationem eliminat. Postremum argumentum est, quod Baji & Jansenii est unum idemque systema; Jansenius vero bona opera agnovit *absque gratia sanctificante*. Invictissimum, peremptorium! at systema Quesnellii est idem cum systemate Baji & Jansenii; & nihilo tamen minus Quesnellus affirmavit prop. 28. primam gratiam, quam Deus concedit peccatori, *esse peccatorum remissionem*.

Vide dis. sert. 1. cap. 1. §. 2.

Placuit hæc argumenta, quoniam singula prolixius refutata sunt, compendiosa methodo, & quasi joco retundere. Sed quod Anonymus appellat pag. 110. *effugium novatorum*, & audaciæ adscribit eorum assertionem, qui dicunt Bajum damnatum esse in eo sensu, quod *liberum arbitrium non possit sine gratia appetere beatitudinem, & actus indeliberatos peragere*, si id affirmet adjectis quoque responsionibus aliis, de quibus §. 3. scilicet, quod non solum *sine gratia actuali* possimus appetere beatitudinem, verum etiam *sine gratia sanctificante*, quam solam agnovit Bajus, peragere opera *undique bona*; id non est joco, neque surda aure prætereundum. Cardinalis enim Norisii est responsionis hujus additio *in Vindiciis* cap. 3. §. 4. *in Parallelo* propositionum Michaelis Baji, & suarum similium, necnon in Adnotationibus ad *Prodromum velitarem*, ut demonstravi dissert. 1. cap. 1. Ergone etiam Norisium, cujus Opera per aquam, & ignem probata de omnibus accusatoribus glorioſissimum triumphum egerunt, & quem Romanus Pontifex vocat *splendidissimum Ecclesiæ lumen*, damnat Anonymus audaciæ, & Novatoribus accenset? Licuerit id Brunoni Neusser, Risbrochio, ceterisque hujus furfuris, quando Norisiana Opera premebantur censorum manibus; sed nunc discussis, probatis, commendatisque, non licet privato homini scriptorem præstantissimum tam atroci stigmate inurere: immo quando licuit, nisi iis, quibus omnia licent, virum orthodoxum appellare *Novatorem*? At nullibi, inquis, Anonymus Norisium nominat. Verum est; sed quæ Norisius scribit, vocat *effugium Novatorum*, & nos quia Norisii responsa tradidimus, accusat *intolerandæ, nec omnino ferendæ audaciæ?* Vide *Bajanismi redivivi* pag. 271. Verum oportet, ut pro Norisio nostro hæc æquo animo patiamur; neque enim dedecus est, hac de causa, & cum viris hujus generis in vituperationem adduci. At cum responsio Norisii verissima sit, quoniam Bajus etiam indeliberatis concupiscentiæ motibus tribuit rationem peccati prop. 48. 49. 71. 72. 73. videndum quid adversarium impulerit, ut eamdem responsionem dixerit *Novatorum effugium*. Ratio prima est, quia *motus indeliberati non sunt fœtus liberi arbitrii*. Audistisne absurditatem absurdiorem? Etsi enim motus indeliberati non sint fœtus liberi arbitrii in vera Catholicorum sententia; sunt tamen fœtus liberi arbitrii juxta pravum dogma Bajanistarum: nam Bajus ait propositione 63. *solam violentiam repugnare libertati hominis naturali*; propos. 64. *hominem peccare etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit*; & propositionibus nuper citatis, indeliberatos motus concupiscentiæ esse *transgressionem præcepti, Non concupisces*. Saniori itaque judicio Gabriel Vasquez de propositione 28. Baji pertractans 1. 2. disput. 190. cap. 18. num. 185. primum ait, Augustinum ejusque discipulos longe distare a Bajo, quia cum dicunt liberum arbitrium sine adjutorio divinæ gratiæ nonnisi ad peccandum valere, loquuntur *de adjutorio Spiritus Sancti nondum habitantis, nec justificantis actu animam*, deinde inquit: *Addo etiam prædictum Michaelem ita putasse hominem peccare in omnibus affectibus & motibus suis, qui non essent virtutis, ut etiam in his, quæ sine libertate fiunt, peccatum esse diceret. Nam propos. 62. dicit*, Sola violentia repugnat libertati hominis naturali; *& propositione 63. inquit*, Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessario facit: *in quo nec Augustinus, nec ejus discipuli peccatum agnoscunt*. Suarez item lib. 1. de Grat. cap. 24. num. 22. pag. 311. demonstrat in sententia Baji *motus primos concupiscentiæ esse peccata*. Responsiones ergo nostras ac Norisianas, quas appellat Anonymus *effugia Novatorum*, & damnat *audaciæ intolerandæ, nec omnino ferendæ*, auctoribus Vasquesio ac Suarez, sunt doctrina Augustini, ejusque discipulorum. Altera ratio Anonymi est, quod Bajus ait motus indeliberatos concupiscentiæ *non imputari in peccatum*. At quid inde? Quærimus an in sensu Baji peccata sint: non quærimus an imputentur. Esse *peccata* in sensu Baji constat ex propositione 48. constat ex Apologia pag. 107. constat ex Epistolis Gravii: constat ex Expositione Joannis Lensæi: & quidquid affirmo, jam demonstravi dissert. 1. cap. 1. Quod postremo loco Anonymus vocat *cavillationem*, speciem veri haberet aliquam, si defectus debitæ relationis *intrinsecus* inficeret quælibet opera, ut putat ipsemet auctor *Bajanismi* pag. 104. sed hoc falsum esse demonstratum est §. præcedenti. Interim hoc etiam in loco laudanda est adversarii nostri singularis modestia, qua vocat *cavillationem alteram Bajanistarum*, doctrinam, quam *Principiis Vitæ Christianæ* inseruit Eminentissimus Bona. Vide supra §. v. num. 5.

Vasq. to. 2. in 1. 2. pagina 336.

Ad hæc adversarius inquit, errorem Baji innovatum fuisse a Quesnellio prop. 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia Salvatoris*, ad quam reduci possunt quatuor proximæ; quod ego pariter fateor: sed hinc eruo sensum in Bajo damnatum illum esse, quem §. 3. explicavi. Quesnellius enim nullam gratiam agnovit *ante peccatorum remissionem*, ut constat ex prop. 28. de qua paullo supra: non statuit nisi duo principia humanarum actionum, scilicet *cupiditatem habitualem, & caritatem habitualem*, affirmans hac non regnante necessum esse, *ut regnet cupiditas, omnesque actiones corrumpat*, prout constat ex prop. 45. atque ex judicio non semel laudato Antistitum Galliarum; & in iisdem propositionibus nunc ab Anonymo recensitis, aperte Quesnellius asserit, omnia, quæ fiunt absque gratia, esse intrinsecus peccata, impuritatem, indignitatem, ac præsumptionem illam, ad quam impie affirmat ducere ipsam naturalem cognitionem, cui deest gratia. Adde a Quesnellio illam gratiam deprædicari, *cui nemo potest resistere*. Hoc quoque sensu damnatam propositionem 28. Baji, ultro libenterque fatemur. Vide Reflexiones Antonii Rolliers in Propos. 101. cap. 4. pag. 23.

Bajan. Rediv. pag. 113.

Præter hæc auctor Bajanismi redivivi circa propositionem 28. concludit discedere a doctrina Baji illos Theologos, *qui admittunt actus indifferentes in individuo*: illos etiam, *qui docent nullum actum immunem a peccato fieri sine gratia ordinis naturalis*, cum hæc non sit gratia *proprie dicta*; eos etiam, *qui admittunt ad non peccandum veram gratiam, sed quæ pertineat ad efficaciam actus, non ad sufficientiam voluntatis*. Quod si tria hæc conjungantur, *sicut conjunxit Vasquez*, magis ab errore damnato receditur.

Nemo nostrum Theologos hæc docentes Bajanistis adnumerat; nobisque fat est, si Bajanistæ non sint, qui illam propositionem explicant, sicut nos explicavimus, viris doctissimis præeuntibus. Ceterum, quoniam Vasquesium vir insigniter eruditus commemoravit; legat hunc præcitata disput. 190. cap. 18. num. 182. & 186. ac percipiet juxta Augustinum, ejusque discipulos non dari opera indifferentia, sed aut bona, aut mala, ita ut bona sint ex gratia Dei, mala ex libero arbitrio; differre tamen sententiam Augustini, ejusque discipulorum a sententia Baji, quoniam Augustinus, & ejus discipuli, *cum dicunt liberum arbitrium sine adjutorio divinæ gratiæ nonnisi ad peccandum valere, loquuntur de adjutorio Spiritus Sancti nondum habitantis, nec justificantis actu animam, nec adhuc opera meritoria vitæ æternæ in anima efficientis; sed paullatim ad justificationem*

(nota,

(nota, an hæc gratia sit naturalis, an supernaturalis) *ipsam animam movens: at hic auctor loquitur de auxilio gratiæ Spiritus Sancti animam inhabitantis, & actu justificantis per affectum caritatis: quocirca longe diversa sententia ipsius fuit a sententia Augustini.* Præterea Vasquez admittit quidem *opera in individuo indifferentia*, haud negans opinionem suam Augustino, S. Thomæ, horumque discipulis adversari, in 1. 2. disput. 52. cap. 1. & 6. sed præcitata disput. 190. cap. 12. num. 122. ad omne opus moraliter bonum requirit gratiam per Christum, quam ait esse *peculiarem gratiam cogitationis congruæ, cum qua Deus novit nostram voluntatem operaturam: hæc autem cogitatio* (inquit) *non solum necessaria est, quia voluntas sine cogitatione velle non potest, sed etiam quia talem congruam necessario consequitur affectus, & consensus voluntatis; verum hæc necessitas non tollit, nec impedit arbitrii libertatem, &c.* Quomodo ergo Vasquez tria illa conjunxit? quomodo gratiam non admisit necessariam ad bonum morale, *ut voluntas velle possit?* Ex his magis elucet, quanti faciendum sit in rebus Theologicis adversarii nostri judicium.

Tom. 1. in 1. 2. pag. 355. & 356. *Tom. 1. in 1. 2. pag. 256. & 262.* *Tom. 2. disput. 190. pag. 344.*

IV. Pergit Anonymus Bajanistarum errores circa *timorem, fidem, & spem* insectari, quarum virtutum actus Bajani corrumpi autumant *a culpabili cupiditate*. Animadvertit Tridentinum Concilium sess. 6. cap. 8. & sess. 14. cap. 4. anathemate proscripsisse sententiam Lutheri & Calvini, *qui affirmarunt timorem gehennæ peccatum esse, hominemque reddere hypocritam & magis peccatorem*. Alexandrum VIII. anno 1690. damnasse proposit. 15. sententiam eorum, qui ausi sunt affirmare eumdem timorem *non esse bonum motum, ac supernaturalem*; eamdemque sententiam damnatam rursus a Clemente XI. in sexagesima & septem sequentibus propositionibus Quesnellianis. Quantum ad fidem spectat, prælaudatus Pontifex Maximus Alexander propos. 11. & 12. damnavit opinionem asserentium, deficere fidem *in magnis peccatoribus, in quibus deficit omnis amor*, itemque peccatum esse *quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur*: innovavit eumdem errorem Jansenius lib. 1. de statu nat. lapsæ cap. 16. necnon Quesnellius in damnatis thesibus 51. 52. 57. quos omnes prædamnaverat sess. 6. cap. 6. Synodus Tridentina. Est autem Lutheri, Baji, ac sectatorum sententia, *omnes actiones, quæ fiunt ex timore gehennæ, nisi timor ille oriatur ex motivo caritatis, esse peccaminosas*.

Bajan. Redivo. pag. 115.

Facta deinde partitione timoris (quam puto neminem ignorare) inquit adversarius, inter Catholicos & Bajanistas non disceptari, *an quando quis peccat ex motivo timoris, culpa illius imputari possit timori, non timenti*: nam quod timor in se consideratus sit omnis peccati expers, *nullum esse potest dubium*: sed ea inter illos quæstio agitur, *an qui operatur ex motivo timoris, semper peccet, nisi habeat pro fine Deum caritate amatum. Affirmant Bajanistæ, negant Orthodoxi*: quibus dum respondent Bajanistæ, *tunc culpam esse timentis, non timoris*, in illud vitium incurrunt, quod appellatur *petitio principii*.

Circa fidem denique, ac spem non errant Novatores quod doceant fidem non dari *sine quadam mentis affectione*, & spem *sine amore concupiscentiæ*; id enim omnes Orthodoxi fatentur: sed errant, *quia contendunt neque fidem, neque spem esse sine amore Dei propter se, sive sine amore benevolentiæ*; uti docet Jansenius lib. v. de Grat. Christi cap. 6. 7. & 9. ubi ait *nullam fidem, nullamque spem veram & Christianam dari absque caritate*. Hæc Anonymus.

Fere omnia, quæ de fide, spe, ac timore docuit Animadversor, verissima sunt, si unum excipias, in quo perpetua æquivocatione deceptus in tot dicteria adversus Augustinianam sententiam prorumpit. Non est ergo, cur diutius in his ponderandis teratur tempus. Provoco tantummodo accusatorem, ut certis nostrorum librorum commonstratis locis, ostendat doceri a nobis quod timor servilis peccatum sit, reddatque hominem hypocritam ac pejorem: doceri quod timor ille non sit bonus animi motus, ac supernaturalis: doceri quod deficiente caritate fides, spes, & aliæ virtutes deficiant, simulque cum amore pereunte depereant: doceri quod *peccaminosæ* sint actiones quæ non fiunt ex caritate, atque sine ista caritate nec bonus timor, nec Christiana fides, nec timor utilis & supernaturalis inveniatur. Cum enim hæc adversarius non demonstraverit, sed ex cap. 2. §. 5. primæ dissertationis evidentissimum sit a nobis defendi oppositum; perspicuum esse arbitramur, quod hac in parte ipsiusmet judicio aut iniquus, aut stupidus criminator appareat.

Illud vero, in quo cubare æquivocationem dixi, est, a Bajanistis commendari timorem, & adscribi vitium *timenti*, quotiescumque a benevolo amore timor ipse non oritur, sive quando timor non est *initialis*, aut *filialis*. Nam si sensus sit esse vitium in timente, *quia timet*, atque ad timendum incitatur a culpabili cupiditate; dogma Bajanum, & damnatum esse profiteor. Si autem sensus sit, esse vitium in timente, quia etsi habeat *timorem bonum*, non ex cupiditate ortum, sed Spiritu Sancto movente excitatum, tamen habens *servilitatem*, quæ mala est, & nondum accedens ad caritatem, magisque timens pœnam, quam culpam, facit rem bonam *non bene*, qua in re defectus caritatis non inficit timorem, quia non est finis, neque causa efficiens timendi, ut explicavi §. proxime præcedenti num. 15. si, inquam, hic sensus sit, non est dogma Bajanistarum, sed Augustinianum atque orthodoxum. In hac autem sententia qui adesse putat *petitionem principii*, profecto quid sit petitio principii prorsus ignorat. Ceterum neque id verum est, inter Catholicos & Bajanistas nullum esse dubium, *an timor* servilis *in se consideratus sit omnis peccati expers*, ut effutiit anonymus. Nam si timor iste juxta Bajum oritur *a culpabili cupiditate*, si non est *bonus* animi *motus*, si est *peccaminosus*; quomodo in se consideratus est *omnis peccati expers*? Non ita ratiocinantur doctissimi Galliarum Antistites, qui Bajanum, & Quesnellianum dogma hoc esse pronuntiaverunt, *Qu'il n'y a que deux amours; la charité & la cupidité; toutes les actions ont leur source dans l'un, ou dans l'autre de ces amours. Tandis qu'on est sous le regne de la cupidité, c'est-à dire avant la justification & la reconciliation, toutes les actions sont corrompues; il n'y a ni foi, ni esperance en Dieu; il n'y a ni Dieu, ni Religion, où il n'y a point de charité; il n'y a nulle bonne œuvre, tout, jusqu'à la priere, est peché, & hypocrisie: les actions chretiennes ne sont point faites chretiennement, si elles ne sont faites par le motif de la charité.* In Opere item inscripto, *Les cent & une propositions qualifiées en détail*, hæc leguntur pagina 57. *Le sistême des Novateurs renferme trois erreurs principales touchant la charité. 1. Ils pretendent qu'il n'y a absolument aucune bonne action, que celles qui viennent de la parfaite charité: 2. Que là où la parfaite charité ne domine pas, toutes les actions sont des pechez. 3. Que la vraye foi, la vraye esperance, & toutes les autres vertus chretiennes, ne peuvent subsister sans la charité; ou plûtôt que toutes ces vertus ne sont rien de distinct de la parfaite charité; car dans le sistême de ces Messieurs, il n'est pas question d'habitudes infuses; la seule delectation dominante y fait tout en bien, & en mal, en vertu & en vice.* Similia ceteri, qui de Baji, & Quesnellii systemate pertractarunt, ut constat ex priori dissertatione. Quæstio igitur inter Catholicos, & Bajanistas agitanda, est an præter caritatem dentur aliæ virtutes, an actus timoris, fidei, spei, qui a caritate non procedunt, sint effectus cupiditatis, sint *intrinsecus* corrupti, sint *peccata*; non vero an vitium sit in eo, qui absque caritate timet, credit, & sperat, quod tamen vitium actus timoris, fidei, & spei nequaquam inficiat, ut iterum, iterumque monuimus.

Instruct. dell'an. 1714. pag. 50.

V. Agit tandem Anonymus de Verbis Apostoli ad Corinth. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, &c.* & ait nihil non moliri Bajanistas, *ut ex hoc loco demonstrent peccata esse, quæ non fiunt ex motivo caritatis*. Quod, ut liquet ex dictis, si anonymus hoc sensu affirmet, quia *defectus debitæ relationis* juxta Bajum intrinsecus afficit opus, eo quod ea, quæ non fiunt ex caritate, oriantur ex cupiditate culpabili; verum pronuntiat: si affirmet hoc sensu, quia *defectus relationis in finem ultimum* facit ut opus alias in se bonum, non sit tale spectatis omnibus circumstantiis; eos, qui id sentiunt, Bajanistis accensendo, magna falsitate, majori audacia, maxima contumelia istud asserit. Quorum enim & quantorum virorum sententia ea sit, apparet ex §. 5. & ex aliis locis hujusce dissertationis. Fatetur deinceps, a nonnullis Theologis Apostolica illa verba accipi *de præcepto*, ab aliis solummodo *de consilio*: a Bajanistis tamen eos diffidere, qui licet præceptum sonare putant, admittunt tamen opera in individuo indifferentia. At Bajanistæ non sunt viri illi doctissimi & celeberrimi, quorum nonnullos præcitato §. 5. laudavimus, Seripandus, Norisius, Bona, Macedo, alii, qui in verbis Apostoli præceptum agnoscunt, & opera in individuo indifferentia minime admittunt. Ait præterea Anonymus, Bajanistas non contendere, quod teneamur *actu* referre omnia opera in Deum, quia putant cum S. Thoma Opusc. de caritate art. 11. ad 2. id esse *in hac vita impossibile*. Sed num hoc Bajanistæ contendant, asserit quidem, sed non demonstrat Anonymus: ac videtur ex Baji principiis consequi oppositum; siquidem quæ non fiunt *ex caritate*, juxta Bajum *ex cupiditate* oriantur necessum est; quæ autem actu non referuntur in Deum, actu ex caritate non fiunt. S. Thomæ vero sententiam circa opera in finem ultimum *referibilia* rejici a Bajo, scripsit pag. 100. Anonymus. Verum an id Bajanistæ contendant, vel non contendant, quod hoc in lo-

B. R. pag. 129.

in loco ſcribit Anonymus, parum aut nihil mea refert.

Fatetur deinceps Bajaniſmi R. auctor S. Thomam aſſerere, quod omnia teneamur referre in Deum *virtute*, non *actu*, & producere exemplum medici, qui colligens herbas actu intendit potionem efficere, *virtualiter* tamen ſanitatem intendit: id quod S. Thomas docet de caritate art. 11. a me quoque laudatus §. 5. num. 4. Verumtamen animadvertit Anonymus, illius obligationis referendi *ſaltem virtute* omnia opera in Dei gloriam, duplicem eſſe interpretationem, Bajaniſtarum unam, alteram Catholicorum; contendere Bajaniſtas *relationem illam ita requiri, ut actiones ſingulæ, virtute in Deum non relatæ, ſint peccata*; at Angelicum Doctorem tantum aſſerere, *ita opera noſtra in gloriam Dei referenda eſſe, ut omiſſio ejuſdem relationis certis duntaxat temporibus faciendæ & renovandæ ſit peccatum:* quæ duo ſejunctis paragraphis aggreditur demonſtranda.

Gratulor hoc in loco adverſario, quod aliquantulum veritatem aſſequatur, eique gratias ago plurimas, propterea quod ait, juxta S. Thomam omnia opera in Deum *ſaltem virtualiter* eſſe referenda, ita, ut opera quæ in Deum non referuntur *non ſint peccata*, ſed omiſſio tamen illius relationis certis temporibus faciendæ *peccatum ſit*. Hoc enim eſt, quod nos dicimus; hoc idem, quando affirmamus ea, quæ non referuntur *virtualiter* in Dei gloriam, eſſe bona opera, *non bene* facta: quando dicimus, tunc vitium adeſſe non operis, ſed *operantis*: quando aſſerimus eadem opera in Deum non relata eſſe bona *ex officio* & ratione finis proximi, non eſſe bona ſpectata circumſtantia finis ultimi; quando profitemur hujuſmodi defectum relationis in ultimum finem non corrumpere *intrinſecus* opus. Quid ergo molitus eſt commentitia hac *Bajaniſmi* crimination? Quid conſecutus eſt, niſi univerſæ Theologorum Reipublicæ comprobare ſuam in criminando iniquitatem, ſuam in ponderandis aliorum operibus cæcitatem? Attamen aliquantulum aures præbeamus egregio diſputatori illa duo, quæ nuperrime attigimus, demonſtraturo.

Itaque non teneri nos ad referendas omnes actiones in Dei gloriam, *ſaltem virtute*, ita ut ſingula quæ ita non referuntur, *peccata ſint*, probat 1. auctoritate S. Thomæ, qui prima 2. q. 100. art. 10. inquit, *modum caritatis, ſecundum quod actus aliarum virtutum ordinantur ad caritatem, non cadere ſub præcepto*.

Baj. redi. pag. 132.

Ad hæc ita reſpondeo: non deſunt Theologi, etiam Ordinis Prædicatorum, inter quos Contenſonus diſſert. 2. de Gratia cap. 1. qui ex eodem articulo demonſtrant omnia opera deliberata in Dei gloriam ita referenda eſſe *ſaltem virtute*, ut ſi ita non referantur, in ſe bona ſint conſiderato fine proximo, ſed mala ſint ſpectato fine ultimo, eo quod operans unum præceptum implendo tranſgrediatur præceptum alterum diligendi Deum ſuper omnia. Et revera Doctor Angelicus eodem articulo 10. in corp. inquit: *Qui honorat patrem, licet non habeat caritatem, non efficitur tranſgreſſor hujus præcepti*, Honora patrem, *etſi ſit tranſgreſſor præcepti, quod eſt de actu caritatis, propter quam tranſgreſſionem meretur pœnam*. Quid manifeſtius, quam in honore parentum, ſi in Dei gloriam non referatur, eſſe rectitudinem operis, & obſervationem illius præcepti, *Honora patrem & matrem*, & eſſe ſimul vitium operantis, ſcilicet, tranſgreſſionem præcepti, *Diliges Dominum Deum tuum, &c.*? Rurſus eodem articulo ad 2. ait S. Thomas: *Ad 2. dicendum, quod ſub præcepto caritatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum: & ideo præceptum caritatis implere homo non poteſt, niſi etiam omnia referantur in Deum. Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex caritate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod eſt, Honora parentes, ſed ex vi hujus præcepti, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. His item verbis quid proferri poteſt expreſſius? Quo ergo ſenſu ait S. Thomas, *modum caritatis non cadere ſub præcepto?* Certe hoc ſenſu id Doctor Angelicus affirmat, quia præceptum non eſt, ut omnia referantur in Deum per *actum caritatis*; nam *modum* S. Thomas non appellat *caritatem virtute ſua permanentem*, ſed ipſum *caritatis actum*, qui utique non eſt ex præcepto innovandus, quotieſcunque homo operatur; ſed ſufficit quod præceſſerit, ac virtualiter perſeveret, eo modo, quo perſeverat in medico herbas colligente voluntas ſanandi. Loqui autem S. Thomam *de actu caritatis*, aperte ejus verba commonſtrant. ACTUS *caritatis*, inquit, *dupliciter conſiderari poteſt. Uno modo ſecundum quod eſt quidam* ACTUS *per ſe, & hoc modo cadit ſub præcepto legis, quod de hoc ſpecialiter datur, ſcilicet, Diliges Dominum Deum tuum, & diliges proximum tuum. Alio modo poteſt conſiderari* ACTUS *caritatis, ſecundum quod eſt modus actuum aliarum virtutum, hoc eſt ſecundum quod actus aliarum virtutum ordinantur ad caritatem, quæ eſt finis præcepti*, 1. *ad Timoth.* 1. Exſcripſit hoc teſtimonium Anonymus pag. 134. Quomodo fieri poteſt, ut vocabulum illud, ACTUS, ſemel, iterumque repetitum irretortos, igneoſque ejus oculos ſubterfugerit? Adde *modum caritatis*, juxta S. Thomam in 3. diſt. 36. art. 6. ad 5. *plus importare, quam relationem operis in finem ultimum*; *importat enim quod actus ex habitu caritatis procedat*. Certe qui *actum caritatis* ad ſingula bona opera non requirunt, multo minus requirunt *habitum caritatis*.

Contenſ. tom. 5. pag. 211.

S. Thomas tom. 11. pag. 220. 2.

At inquit Anonymus. S. Thomas præcit. quæſt. 110. art. 10. ad 2. poſt verba ſuperius recenſita ait: *Cum iſta ſint duo præcepta affirmativa non obligantia ſemper, poſſunt pro diverſis temporibus obligare, & ita poteſt contingere, quod aliquis implens præceptum de honoratione parentum non tunc tranſgrediatur præceptum de omiſſione modi caritatis.*

S. Thomas tom. 7. pag. 142. B. Red. pag. 134.

Reſponſio patet ex dictis: *modus caritatis*, qui ſemper non cadit ſub præcepto, eſt *actus dilectionis*. Sed hoc appellat Anonymus *inane effugium*. Cur, obſecro? Quia ait, juxta S. Doctorem, cui omnes orthodoxi conſentiunt, *nullum extat præceptum referendi ſemper actu omnes actiones noſtras in Deum, cum hoc non ſit poſſibile in hac vita. Quando ergo aſſerit S. Thomas ad præceptum caritatis pertinere, ut omnia referantur in Deum, loquitur de relatione virtuali, non de actuali. Vult ego præceptum referendi, ſaltem virtute, omnes actiones noſtras in Deum non obligare ad ſemper, ac conſequenter non peccare homines in omnibus actionibus, quas non referunt ad Deum ſaltem virtute*. Oh Theologum præſtantiſſimum! Maximam huic argumentationi vim ineſſe arbitratur. S. Thomas nullum ait adeſſe præceptum referendi *actu* deliberatas actiones in Deum. At idem S. Thomas docet referenda eſſe omnia in Deum *relatione virtuali*, idque pertinere ad præceptum caritatis. Ergo affirmans præceptum referendi, *ſaltem virtute*, omnia opera in Deum non obligare *ad ſemper*, loquitur de præcepto referendi opera in Deum relatione virtuali. At mihi videtur oppoſitum hac ratiocinatione concludi: nam ſi juxta S. Thomam tenemur referre actiones omnes in Dei gloriam *relatione virtuali*: igitur quando ait non extare præceptum ſemper referendi ſingulas actiones in Deum; *de relatione actuali*, non de virtuali, *ad quam tenemur*, erit accipiendus. Num vero hæc, an præcedens ratiocinatio ſit firmior, puerulis dijudicandum committo, qui imbuuntur primis dialecticæ rudimentis. Apertiſſimum deinde eſt, S. Thomam *modum caritatis* appellare *actum dilectionis*; ideoque dum ait non tranſgredi præceptum *de omiſſione modi caritatis*, non *de virtuali relatione* locutum eſſe, ſed *de actuali*, cujus utique præceptum non ſemper obligat.

Complura alia ex S. Thoma adverſarius noſter producit, quæ cum ejuſdem ſint generis, quambreviſſime expediam. Principio ait, ea verba, *omnia in gloriam Dei facite*, juxta Doctorem Angelicum in 2. diſt. 40. artic. 5. ad 7. continere præceptum *ſi negative* accipiantur, ut ſenſus ſit, *Nihil contra Deum faciatis*; quamquam & ipſe Anonymus præceptum agnoſcit, quatenus certis quibuſdam temporibus intentio ſit renovanda, cujus vi actiones ſubſequentes in Dei gloriam referri cenſeantur, non quatenus hujus relationis defectu actiones illæ *ſint peccata*. Repetit meridiana luce clarius eſſe, præceptum referendi, *ſaltem virtute*, actiones in Deum *eſſe affirmativum*; cumque affirmativum ſit, obligare duntaxat certis quibuſdam temporibus. Ad hæc Doctor Angelicus conſtanter docet, omnia infidelium opera *non eſſe peccata*. Videatur 1. 2. q. 10. artic. 4. in 2. ſent. diſt. 41. qu. 1. art. 2. ad 1. in 2. 2. qu. 10. art. 4. ad 2. in 3. diſt. 41. qu. 1. art. 2. ad 2. in 2. diſt. 4. qu. 1. art. 2. in Corpore, & ibidem ad 4. in Epiſtolam ad Rom. cap. 14. lect. 3. in 2. diſt. 41. quæſt. 1. art. 2. ad 1. aliiſque in locis bene multis; quæ idem Anonymus diligenter, & accurate (non enim in iis, quæ commendationem promerentur, a nobis debita laude defraudabitur, tametſi ea, quæ in omnium Thomiſtarum Voluminibus ſcripta ſunt, exſcribere non multum operis, & acuminis poſtulet) diligenter, inquam, & accurate collegit; concludens juxta illibatam Sancti Thomæ doctrinam omnia, quæ in Deum actu, ſeu virtute non referuntur, non eſſe peccata.

Bajan. Rediv. pag. 136.

Ego quidem omnia ea, quæ S. Thomas his, aliiſque in locis docet, ſumma proſequor veneratione, atque fateor omnia infidelium opera *non eſſe peccata*, ideſt a cupiditate non oriri & corrumpi; pluraque bona ex objecto, ex fine proximo, necnon ex principio naturæ indito ab eiſdem infidelibus fieri profiteor: ſed quod ea ſint bona *undique*, quando nullam fidem, nullamque gratiam præſupponunt, & in finem ultimum non referuntur, nego; & nego id tradi ab Angelico Præceptore. In 2. enim ſent. diſt. 40. art. 5. ad 7. poſt verba ab Anonymo exſcripta pag. 136.

ſequun-

ſequuntur hæc alia, ab ipſomet Anonymo producta pag. 156. *Si autem intelligatur affirmative, hoc poteſt eſſe dupliciter, aut ita quod actualis relatio in Deum ſit conjuncta actioni noſtræ cuilibet, non quidem in actu, ſed in virtute, ſecundum quod virtute primæ ordinationis manet in omnibus actionibus ſequentibus, ſicut & virtus finis ultimi manet in omnibus finibus ad ipſum ordinatis, & ſic adhuc præceptum eſt, &c.* Vide ſupra §. v. num. 4. Hoc itaque in loco agnoſcit S. Thomas præceptum referendi actiones omnes in finem ultimum *relatione virtuali*. Præceptum autem referendi omnia in Deum eſt *affirmativum*, nec obligat *ad ſemper*; quoniam neceſſum non eſt, ut omnes, & ſingulæ actiones referantur im gloriam Dei *dilectione actuali*, ſed ſufficit ut intentio referendi omnes actiones in Deum ita frequenter iteretur, *ut cenſeatur moraliter perſeverare, atque ita in omnes & ſingulas actiones noſtras virtualiter influere*: quam ſententiam Adverſarius noſter pag. 157. ait omnino recedere a Bajaniſmo, tametſi parum conſtans, ſibique aperte repugnans pag. 138. ſcripſerat de Novatoribus; *Contendunt enim relationem virtualem illam eſſe, qua actiones noſtras referimus in Deum virtute alicujus voluntatis præcedentis, quæ quamvis tranſierit, moraliter tamen perſeverat*. Non opus eſt, ut repetamus ea, quæ de præcepto affirmativo, & objectione illinc petita, a nobis, atque a noſtratibus dicta fuere. Videatur Piette tom. 2. pag. 32. Fridericus Gavardi tom. 4. pag. 314. Joannes Libens qq. ſelectar. pag. 10. Reliqua paucis ſolvuntur. Enimvero S. Thomas 1. 2. qu. 10. art. 4. ſcribens de infidelibus, *Bona opera, ad quæ ſufficit bonum naturæ, aliqualiter operari poſſunt*. Conſulto ait, *Aliqualiter*; nam infideles efficere poſſunt opera, quæ bona ſint ſecundum rationem inferiorem, & comparate ad finem proximum; non autem quæ, ſi gratia careant, ſint bona ſecundum ſuperiorem rationem, & reſpectu ultimi finis. Adde eo loci S. Thomam demonſtrare, quod omnia infidelium opera non ſint peccata exemplo Cornelii, cujus eleemoſynæ Deo acceptæ erant; cum tamen Cornelius *non ſine aliqua fide* donaret, ut alibi diximus cum Auguſtino de Prædeſt. SS. cap. 7. num. 12. Item in 2. ſent. diſt. 41. qu. 1. art. 2. ait S. Thomas, dari *abſque fide* bona opera; ſed inquit eadem opera eſſe bona reſpectu *alicujus boni connaturalis*, non reſpectu *finis ultimi ſupernaturalis*, addens eadem opera non eſſe mala, ſed ſolum eſſe *deficientis bonitatis*: idque in iiſdem locis ab Auctore *Bajaniſmi* productis pag. 140. Ulterius qui legerit S. Thomam eodem art. 2. percipiet, recte ab eo diſtingui actus bonos *ex proportione ad debitum objectum*, & actus bonos *ex debita commenſuratione circumſtantiarum*: actus autem bonos primi generis, non alterius, in infidelibus conſiteri. Pari ratione 2. 2. qu. 23. art. 7. ad. 1. ita loquitur Scholarum Angelus: *Sine caritate poteſt quidem eſſe aliquis actus bonus ex ſuo genere, non tamen perfecte bonus, quia deeſt debita ordinatio ad ultimum finem*; atque ad 2. *Cum finis ſe habeat in agibilibus, ſicut principium in ſpeculabilibus; ſicut non poteſt eſſe ſimpliciter vera ſcientia, ſi deſit recta æſtimatio de primo, & indemonſtrabili principio: ita non poteſt eſſe ſimpliciter vera juſtitia, aut vera caſtitas, ſi deſit ordinatio debita ad finem, quæ eſt per caritatem, quantumcumque aliquis ſe recte circa alia habeat*. Ex quibus omnibus, præſertim ſi addantur ea, quæ ex S. Thoma §. 5. num. 4. præmiſi, inferri contendo Doctorem Angelicum in ea fuiſſe ſententia, quæ aſſerit opera moralium virtutum, quæ in Deum non referuntur, eſſe bona *aliqualiter*, non *ſimpliciter*: ex proportione *ab objectum*, non ex *commenſuratione circumſtantiarum*: ex ſuo *genere*, non perfecte, ſeu ſpectata debita ordinatione *ad finem ultimum*; quæ omnia iiſdem S. Thomæ verbis expreſſa ſententiam continent noſtram §. 6. explanatam. Hæc tamen intra limites quæſtionum Scholaſticarum, non intra fidei dogmata comprehenduntur; quum de relatione operum in Deum, & de mente S. Thomæ diverſi diverſa ſentiant: nec alio fine in his diutius morandum eſſe putavi, niſi ut Anonymus intelligeret, non proinde a ſe cauſam obtentum iri, ſi de unius S. Thomæ ſenſu nobiſcum conflictaretur.

S. Thomas to. XI. p. 2. pag. 26. Aug. tom. 10. pag. 793.

S. Thomas to. 6. pag. 134. 2. Tom. II. par. 2. pag. 55. 2.

In poſtremo tandem primæ partis paragrapho Anonymus demonſtrare nititur juxta mentem S. Thomæ nobis talem obligationem incumbere, ita omnia opera in gloriam Dei referendi, ut omiſſio illius relationis certis temporibus faciendæ & renovandæ *ſit peccatum*. Id probat, quoniam S. Thomas q. de caritate art. 11. docet omnes teneri ad referenda omnia opera *virtute* in Deum, *quia intentio finis principalis virtute manet in finibus ſecundariis*, ut intentio ſanitatis virtute perſeverat in medico herbas colligente ad conficiendum medicamentum. Demonſtrat deinde *aptitudinem*, quam habent opera ut referantur in Deum, conſtituere actum indifferentem *in ſpecie*, nec eſſe illam *relationem virtualem*, quam exigit S. Thomas nullos actus admittens indifferentes *in individuo*, ideoque *aptitudinem* illam non ſufficere ad implendum præceptum, quo omnes adſtringimur, referendi *ſaltem virtute* omnia opera in Dei gloriam. Solvens præterea Anonymus loca quædam, quæ adverſus ſententiam ſuam militare videntur, in quibus Sanctus Thomas loquitur de *relatione habituali*; inquit hanc ſufficere ad excludendum peccatum morale, non ad implendum præceptum referendi actiones noſtras in gloriam Dei: quæ itidem vera ſunt, mihique probantur. Deinde ait unumquemque, cum primum rationis uſum adeptus eſt, debere ſeſe ordinare ad debitum finem, & elicere actum amoris Dei ſuper omnia: hunc actum etiam ab infidelibus ita renovandum, *ut cenſeatur moraliter perdurare*; ſi id infideles omittant, hanc omiſſionem peccatum quidem eſſe, ſed non vitiare ſingulos illorum actus: amorem, ad quem fideles tenentur, eſſe amorem caritatis, & ſupernaturalem: peccata non eſſe actiones illas, quæ in Dei gloriam non referuntur, ſi tamen ſint *referibiles*: relationem virtualem neceſſariam eſſe, ut ſatisfiat præcepto referendi omnes actiones in Deum, ſed immunes eſſe a peccato, quæ in Deum ſunt *referibiles*, & nulla prava circumſtantia vitiantur: non omnia, quæ non fiunt *ex motivo caritatis*, fieri *ex motivo cupiditatis* & eſſe peccata: peccata item non eſſe omnia opera infidelium, quæ *ex motivo caritatis* non fiunt; ac pariter peccata non eſſe actus fidei, timoris, & ſpei, necnon actus moraliter bonos, etſi non oriantur a caritate. Recte hæc omnia. Quærit tandem quando, & quoties teneamur elicere actus caritatis, quibus omnia referantur in Deum; ac quibuſdam præmiſſis ait nonnullos Theologos aſſerere intentionem iterandam eſſe, *ut cenſeatur moraliter perdurare*, ſi tamen non iteretur, hoc peccato omiſſionis non vitiari alias actiones: exiſtimare aliquos, quod illa intentio moraliter perſeveret, *donec retractetur*, *aut contrario actu*, *aut peccato lethali*: at retractari non ſolum explicite per actum oppoſitum, verum etiam *implicite*, quando ſcilicet prioris intentionis nullum in mente operantis extat veſtigium: frequenter actus caritatis repetendos eſſe, quoniam in nobis & extra nos multa occurrunt, quibus a Dei amore retrahimur, cujuſmodi ſunt concupiſcentia, diabolus, mundus: præfiniri non poſſe quoties, & quando actus caritatis ſint renovandi; ſed idem eſſe de hac re quærere, ac ſi quæreretur, quanta requiratur lignorum copia ad ignem alendum, ut jugiter ardeat: enormiter proinde illos aberraſſe, qui aut ſemel in vita, aut ſingulis quinquenniis, aut quando non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus, nos teneri ad actum dilectionis Dei affirmaverunt: quorum laxitatem Innocentius Papa XI. anno 1679. die 1. Martii propoſit. 5. 6. & 7. perſtrinxit. Atque his etiam pollice utroque ſubſcribimus.

Bajan. Rediv. pag. 147.

Univerſorum nunc oculos, judiciumque compello, ipſumque Anonymum oro, atque obteſtor, ut poſtremo hoc paragrapho ſcripta cum doctrina Auguſtinenſium, ejuſdem quoque Fulgentii Bellelli, quem infamat tanquam omnium Bajaniſtarum deterrimum, conferat aliquantulum. Ait auctor *Bajaniſmi* pag. 147. *Conſtans eſt D. Thomæ doctrina, homines teneri omnes actus ſuos in Dei gloriam, vel actu, vel virtute referre. Quod eos ſemper referant actu, juxta mentem D. Thomæ, hoc non eſt in hac vita poſſibile: quod autem talis incumbat obligatio omnia ſcilicet opera ad Deum referendi ſaltem virtute, ita ut omiſſio illius relationis certis temporibus faciendæ & renovandæ ſit peccatum, hoc expreſſe aſſerit S. Doctor*: & Fulgentius Bellelli ait de modo Rep. tom. 1. pag. 339. *Porro ſi actu explicito caritatis ſemper referre non eſt poſſibile, ſi habitualiter referre non ſatis eſt; & aliunde ut innoxie vivamus, in Deum ultimum finem referendum eſt omne opus, quonam pacto id fiet? Reſpondet Doctor Angelicus ſufficere, ſi referatur virtualiter*. Profert ibidem auctor *Bajaniſmi* in ſententiæ ſuæ confirmationem quæ ſcribit S. Thomas q. *de caritate* art. 11. & profert ibidem Fulgentius Bellelli eadem Angelici Doctoris verba. Scribit auctor Bajaniſmi proxima pag. 148. requiri ad relationem virtualem, *ut intentio* præcedens *maneat virtute in ceteris operibus*; & ſcribit Fulgentius Bellelli proxima pag. 340. requiri ad relationem virtualem, *ut præcedens ordinativus dilectionis actus, qui ſtatis temporibus præcedere debuit, niſi retractetur, moraliter perſeveret*. Repetit auctor Bajaniſmi pagina 150. & 151. non ſufficere *relationem habitualem, ut impleatur præceptum referendi actiones noſtras in Deum*: & repetit Fulgentius Bellelli pag. 339. & ſequentibus, *Habitualis caritatis ordo, qui dicitur ſubjecti, præcepto referendi omnia in Deum implendo ſatis non eſt*. Advertit ſcriptor Bajaniſmi propter ſolam omiſſionem virtualem *omnes & ſingulas actiones non eſſe peccata*: & animadvertit Fulgentius Bellelli pag. 338. illam omiſſionem non facere, ut cuncta opera corrumpantur *a cupiditate, quia opus non inquinatur a malitia*

malitia causæ, nisi ex illa procedat. Affirmat auctor Bajanismi pag. 159. non deesse Theologos qui existimant, *quod relatio actualis moraliter perduret, donec retractetur, aut contrario actu, aut peccato lethali*; quam sententiam ipse non solum probat, sed ulterius requirit, ut prioris intentionis aliquod extet in mente vestigium; & affirmat Fulgentius Bellelli pag. 341. *præcedentem actum*, quo omnia in Dei gloriam sunt referenda, *non retractari, nisi aut contrario actu, aut peccato lethali*; atque adversario benignior ait videri sibi *in rigorem* propensam opinionem illorum, qui actus caritatis *crebro iterandos* esse definiunt, magis, quam faciat Anonymus, recedens a Bajanistis. Demum Bajanismi auctor inquit pag. 160. enormiter errasse, *qui propositiones ab Innocentio Papa XI. damnatas ausi sunt in medium adducere*, exscriptis propositionibus 5. 6. & 7. & Fulgentius Bellelli pagina 336. scripserat: *Erraverunt autem, qui hominem nullo unquam vitæ suæ tempore ad actum caritatis præcepto obligari dixerunt; aut semel tantum in vita; aut singulis solis rigorose quinquennii; aut eo duntaxat tempore, quo justificari tenetur: qui quidem errores ab Alexandro VII. num. 1. & Innocentio XI. num. 5. 6. & 7. proscripti, diligenter cavendi sunt.*

Habes, lector, cur scripta ab Anonymo in posteriori paragrapho non refutaverim; quia scilicet nostratium sententiæ non adversantur, sed scriptis Fulgentii Bellelli similia sunt, ut ovum ovo, ut apes apibus, ut gutta guttæ, ut facies cujusdam viventis Episcopi faciei Episcopi Iprensis. At crederes Anonymum in hac de operum relatione in Deum Augustiniana, imo suamet sententia, nobis, eidemque Fulgentio Bellelli peperciisse? Falleris: in hoc quoque nos Bajanistas esse conqueritur; qua autem de causa, & an recte, vel inique, paullo post commonstrabo.

CAPUT II.

In libris, quos inscripsi, De Theologicis Disciplinis, *errores Baji circa distinctionem duplicis amoris, circa infidelium opera & Philosophorum virtutes, circa vires liberi arbitrii, operumque illorum, quæ in Deum non referuntur, rectitudinem atque honestatem, perspicue & expresse refutari adversus Anonymum demonstratur.*

MAnifestum arbitror ex quinque prioribus dissertationis hujus paragraphis, in quo situm sit dogma Bajanistarum circa ea omnia, quæ adversarius extremo & inani conatu Augustinianis Theologis, quorum sententias non accurate, diligenterque perscrutatus fuisse jam constat, eadem mordacitate, atque eadem fallaciloquentia objectat. Etsi vero æquivocationes ejus singulas, curtam ac miserrimam eruditionem, crassissimam eorum, quæ de Bajo a celeberrimis Theologis scripta sunt, ignorantiam, & supinam in qua versatur principiorum nostrorum insciti am, detegere, patefacere, & sus, deque subvertere non prætermisi; ne tamen me exhaustum, fractumque viribus, & nisi rationum pondere, gravissimo tamen, & intolerabili conviciorum onere oppressum esse sibimet persuadeat, prosequor ad finem usque certamen; ne auctor, qui, ut de Helvidio ajebat Hieronymus, *loquacitatem facundiam existimat, & maledicere omnibus bonæ conscientiæ signum arbitratur*, audeat quasi de sublimi loco in totum orbem ferre sententiam, affirmans me tandem superatum turpissimam fugam arripuisse, & quem veritate non potest, tentet rursus lacerare conviciis.

Hieron. initio libri adv. Helvidium tom. 1. p. 2. pag. 130.

§. I.

Baji errores enuntiati in propositione 35. & 36. a nobis aperte rejiciuntur.

NEgavit Bajus prop. 35. & 36. distinctionem duplicis amoris *ex parte objecti*, & nullum præter *caritatem* amorem admisit, qui non sit *cupiditate* intime infectus, nullumque honestum, & naturalem amorem, qui rationalem creaturam Spiritu Sancto *inhabitante*, & caritate *habituali* exornatam, & justam minime reddat.

I. Id ostendimus §. 1. capite primo. At ego lib. XVIII. cap. 4. cum mihi objecissem propositiones Baji 34. & 36. hanc tradidit responsionem: *Respondetur hujusmodi propositiones rectissime fuisse proscriptas. Primo quia datur amor naturalis, quo animus fertur in beatitudinem, cujus desiderium corrupta per peccatum natura non potuit amittere: atque hic amor non est a gratia, quemadmodum nec liber ea libertate, quæ sufficiat ad meritum, ut Bajus, Quesnellus, & Jansenius commenti sunt, refutati de H. Calviniana cap. 2. sed est amor inditus a natura, indeliberatus, & necessarius. 2. Datur amor naturalis etiam deliberatus, quantum ad objectum, eoque revera diligitur Deus, ut est auctor naturæ, neque amor iste secundum substantiam malum est, sed bonus & rectæ rationi consentaneus, licet aliquando non haberet rectitudinem finis, si Deus non diligitur propter se, gratis & amore benevolo. Etiam datur amor Dei auctoris naturæ, & bonus undequaque sine gratia Spiritus Sancti inhabitantis, quam duntaxat admisit Bajus, ut constat ex articulo 62. in quo rejicit tanquam commentitiam & odiosissimam distinctionem duplicis justitiæ*, alterius, quæ fit per Spiritum caritatis inhabitantem, & alterius, quæ fit per inspirationem Spiritus Sancti nondum cor inhabitantis, & in eo caritatem diffundentis. *Ex qua prava doctrina sequeretur quæcunque fiunt ab homine nondum justificato vere esse peccata; quod & Bajus asseruit art. 35. ut cap. 2. dictum est. Promeruit ergo etiam articulus 34. & 36. hanc perniciosam hæreticamque doctrinam comprehendens, censoriam Ecclesiæ animadversionem.* Videat unusquisque, an propositiones illas duas propugnaverim, an rectissime damnatas dixerim juxta omnem pravum sensum, quem illis inesse tradunt Augustiniani omnes Theologi, necnon Vasquesius, Turrianus, Ripalda, aliique cap. 1. §. 1. hujus dissertationis producti.

Tom. 3. pag. 415.

II. Eo loci non prætermitto responsionem alteram, scilicet, prædictos Baji articulos damnatos fuisse *propter nimis austeri, severique judicii libertatem*, demonstrans, quod confirmavi præcitato §. 1., hanc esse Vasquesii, aliorumque doctissimorum virorum opinionem.

III. Paullo post fateor, *præcepta Decalogi* (quorum primum spectat ad Deum diligendum) *esse naturæ rationali proportionata, quantum spectat ad objecta & ad officia præceptorum, non autem quantum attinet ad modum & finem; idque ob ipsius naturæ corruptionem, cui appetitus laudis, & noxia cupiditas subrepit: hoc tamen pacto etiam esse proportionata, si vitium naturæ sanetur, & Dei imago, in quo naturaliter conditi sumus, instauretur per gratiam, ut de Sp. & lit. cap. 21. docuit nos Augustinus.* Id vero nonne idem est, ac in natura nondum corrupta agnoscere potestatem diligendi Deum ut auctorem naturæ absque gratia sanante, sive absque victrice delectatione?

Tom. 4. pag. 417.

IV. Quænam præterea verba produci poterant clariora sequentibus, quæ habentur proxima pag. 418. *Licet sit nobis connaturalis dilectio* (& nota loqui me de amore Dei exorto ex naturali cognitione, qua percipimus Deum esse summum bonum) *non est tamen saltem naturæ connaturalis ordo debitus dilectionis, qui est uti rebus creatis, & incommutabili bono inhærere*. Addo ibidem responsionem alteram in sententia eorum, qui negant statum *puræ naturæ*, videlicet, *connaturalem* esse creaturæ rationali *inclinationem in summum bonum*, sed non posse ad hujus consecutionem pervenire absque gratia, producto exemplo animæ separatæ appetentis unitionem corporis: quæ sententia quantum distet a Bajana demonstravi differt. 2.

V. Admitti denique a me *amorem naturalem*, atque honestum, qui etsi non oriatur *a caritate*, non tamen proficiscitur *a cupiditate culpabili*, manifeste indicant loca, de quibus vide differt. 1. cap. 2. §. 1. 2. 3.

§. II.

Proscripsimus item Bajanum dogma enuntiatum propos. 25. & 26.

EXistimavit Bajus omnia opera infidelium esse peccata, omnesque Ethnicorum philosophorum virtutes esse vitia, quatenus in ejus sententia quidquid non oritur a caritate dominante, oritur & corrumpitur a culpabili cupiditate.

I. Quid vero a me circa infidelium opera scriptum est? Lib. 18. cap. 2. solvens objectionem Bajanistarum, petitam ex illis verbis Matth. 7. *Non potest arbor mala fructus bonos facere*, respondeo: *Infidelis & impius, cui inest radix culpæ & pravæ cupiditatis interdum inspiratione divina virtuose operatur; quemadmodum arbor sterilis ac sylvestris frondes, ac flores emittit, atque si ramusculus aliquis inseratur, etiam salutares fructus producit.*

Tom. 3. pag. 390.

II. Demonstraveram paullo supra auctoritate canonum, testimoniis Patrum, atque rationibus Theologicis hanc propositionem, *Multa fiunt ab infidelibus & impiis, quæ si operum honestatem inspicias, & officia virtutum, habent decus laudis, neque ratione operis appellari debent peccata.*

Tom. 3. pag. 382.

III. Similiter in eodem capite hæc inserui. *Honorare parentes, erogare stipem pauperi, & alia, quæ propter honestatem operum etiam a Gentilibus gratia destitutis perficiuntur, tametsi ad liberandam & beatificandam naturam mortalium non valeant, naturæ modo, & rectæ rationi sunt consentanea; & virtutes non quidem Christianæ & ad veram pietatem pertinentes, sed moraliter bonæ, non vitia, aut peccata sunt appellanda.* Quænam his lucidiora proferri poterant?

Ibid. pag. 385.

IV. Ne ulla oriatur ſuſpicio, hujuſmodi opera in ſententia Auguſtinenſium, qui negant eſſe bona *ſpectatis omnibus circumſtantiis*, quando ad ultimum finem non referuntur, corrumpi ab inhærente cupiditate, eodem lib. cap. 3. ſcripſi: *Ad Bajum quod attinet, dictum ſupra ab eo nullam admiſſam fuiſſe gratiam niſi habitualem, & nullum in peccatore vel infideli opus, quod peccati macula intrinſece non vitietur: quam impiam hæreticamque doctrinam Catholici omnes repudiant.* Vide diſſert. 1. cap. 2. §. 2.

Ibid. pag. 398.

V. Hæc itidem occurrunt eodem libro ſequenti capite 4. *Infideles exhibere honorem parentibus, reddere ſuum unicuique, non pejerare, aliaque hujuſmodi facere nulla vituperatione, ſed laude in ſe digna, & merito Patres ſcripſerunt, & nullus negat Catholicorum.*

§. III.

Refutantur a nobis errores prop. 28. & 29. Michaelis Baji.

LApſus eſt Bajus affirmans prop. 25. & 26. liberum arbitrium in hoc infirmitatis ſtatu ad nullum opus, niſi ad peccandum, valere abſque gratia ſanctificante, & ulterius aſſerens omnia opera, quæ fiunt abſque ulla gratia, oriri, & *intrinſecus* vitiari a dominante cupiditate.

I. Jam vero conſtat ex præcedenti §. abſque gratia plura opera bona a nobis admitti, quæ, etſi non ſint bona ſpectato fine ultimo, bona ſunt tamen *ex objecto, & fine proximo*, nec a cupiditate *intrinſecus* corrumpuntur. Quid ergo a nobis ulterius exigitur?

II. Expreſſe pertracto de propoſitione 28. Baji, & 38. Queſnellii lib. 18. cap. 5. adverſus utramque hæc ſtatuens: *Liberum arbitrium ſine gratia poteſt ſuam beatitudinem appetere naturali inſtinctu, quem non potuit admittere depravata natura: cui proinde poſt lapſum non ſolum tenebræ & malitia manent, ſed etiam imago Dei non omnino detrita, idea honeſtatis, & lumen rationis, & in bonum univerſale congenita & antiqua propenſio. Poteſt actus plures indeliberatos peragere, quos culpabiles Bajus & Queſnellus impie dixerunt. Poteſt exercere officia virtutum, & præcepta aliqua implere quoad ſubſtantiam, operatione ſecundum ſe laudabili & honeſta, etſi extrinſece, & ex fine operantis non bona undequaque. Poteſt & rectiſſimo fine vitare peccatum cum ſola gratia actuali ſine habitu fidei & remiſſione peccatorum, qualem gratiam a juſtificatione ſejunctam Bajus & Queſnellus apertiſſime oppugnarunt. Omni ergo jure* *Tom. 3. pag. 421.* *iſtorum aſſertiones anathemate confixæ ſunt: & quamquam aliquæ ſenſum catholicum habere queant, & videantur ſpeciem veritatis præſeferre, ſunt in ſenſu ab auctoribus intento reſpective falſæ, & hæreticæ.* An id ſit propoſitionem Baji 28. defendere, an illam rejicere, judicet quiſquis oculis non eſt captus, & cæca malevolentia non rapitur. Vide etiam, num hæc unica mea reſponſio complectatur quod de illa Bajana propoſitione ſcripſerunt Vaſquez, Turrianus, Pater Macedo, & Cardinalis Noriſius; de quibus cap. 1. §. 3.

III. Huc ſpectant, quæ producta ſunt paullo ſupra §. 1. num. 2.

§. IV.

De expoſitione Apoſtolici textus ad Rom. XIV. 23.

ALucinatus eſt Bajus exponens verba Apoſtoli ad Rom. 14. *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, de fide perfecta, & non de pio affectu divinitus inſpirato, ac præterea exiſtimans id, quod ex nulla ſupernaturali fide derivat, originem habere a cupiditate, atque ab ipſa corrumpi.

I. Verum audiſtine de infideli & impio, etiam qualibet ſupernaturali gratia deſtituto, me profitentem lib. 18. cap. 2. quod multa patrare queat, *quæ ſi operum honeſtatem inſpicias, & officia virtutum, habent decus laudis, neque ratione operis appellari debent peccata?* Audiſtine diſerte cap. 3. ejuſdem libri aſſerentem plura fieri *abſque fide, quæ peccati macula intrinſece non vitiantur?* Paullo ſupra hoc dictum eſt, ac ſatis, ut arbitror, repetitum.

II. At ſingillatim de Apoſtolicis verbis ſermonem inſtituo in eodem cap. 2. libri duodevigeſimi, & objectioni, quam illinc Novatores depromunt, ad hunc *Tom. 3. pag. 389.* modum reſpondeo: *Diſtinguo, & explico Apoſtolicam ſententiam*, Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt, *ſcilicet opera quæ eliciuntur ab homine veri Dei cognitione privato, infideli voluntate ad cupiditatem & jactantiam referuntur, & philautiæ vitio, ut plurimum, corrumpuntur, concedo majorem; & hujus propoſitionis veritas theſi 2. demonſtrata eſt*, Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt, *ita ut nullus gentilium, antequam Chriſto ſe devoveat, & habituali fide exornetur, poſſit recta voluntate operari, ſive per gratiam actualem, ſive, ut aliis Theologis placet, per lumen honeſtatis ingenitum, nego: & veritas hujus propoſitionis liquet ex theſi quarta. Diſtinguo etiam minorem: Infideles deſtituti ſunt fide* habituali, *& cum gratia ſanctificante conjuncta, quam ſolam veram gratiam eſſe Bajus, & Queſnellus exiſtimarunt, concedo. Deſtituti ſunt, dum recte, & cum divina acceptatione operantur, omni gratia fidei* actuali, *& ingenito rationis lumine, in quo idea honeſtatis veritatiſque refulget, nego minorem. Etenim in infidelibus imaginem Dei non eſſe omnino detritam vidimus in 1. propoſit. Adeſſe etiam illis quandoque cognitionem aliquam veri Dei gratia quoque inſpiratam oſtendimus de H. Semipel. cap. 4. præclaro teſtimonio Auguſtini ſcribentis de Cornelio cap. 7. de Prædeſt. SS.* Nec tamen ſine aliqua fide donabat, & orabat.

III. Præter hanc reſponſionem, qua Paulinam ſententiam explicavi de fide *ſupernaturali* cum Auguſtino, aliiſque Patribus, ac Theologis, de quibus cap. 1. §. 4. non rejicio aliam Scholaſticorum expoſitionem, ſed immediate ſubjicio: *Reſp. 2. eo ſenſu omne quod non eſt ex fide peccatum eſt, quatenus ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, neque operibus ſine gratia factis, qualia fuerunt antiquorum Romanorum, poteſt ineſſe vera ratio virtutis, per quam ad æternum Dei regnum perduci poſſimus.*

§. V.

De verbis Apoſtoli ad Corinth. x. 31.

ETiam circa alteram ſententiam Apoſtoli 1. Corinth. 10. *Sive ergo manducatis, &c.* turpiſſime Bajus erravit, quod aſſeruerit ea, quæ in Deum non referuntur per caritatem, eſſe peccata, & a cupiditate corrumpi.

I. At ego, quamvis de præcepto referendi omnia opera deliberata in Dei gloriam in libris ante hac editis *problematice* pertractaverim, in hiſce vero diſſertationibus *abſolute* ſteterim pro noſtratium ſententia; nullibi tamen affirmavi ea omnia, quæ in Deum non referuntur per caritatem & amorem benevolum, eſſe peccata, & a cupiditate corrumpi: quin lib. 18. cap. 3. de Auguſtinenſibus præceptum illud propugnantibus ſcripſi: *actus morales bonos utique* aſſerere, *com-* *Tom. 3. pag. 398.* *parate ad objectum officiumque virtutis, non autem ratione finis, ad quem ſunt referendi: ſive ut loquitur Mag. Gavardi quæſt. 2. de Grat. art. 4. bonos ſecundum rationem inferiorem, non ſecundum rationem ſuperiorem, ita, ut niſi referantur in Deum, ſecundum ſubſtantiam ſint recti, ſed attenta finis circumſtantia ſint male facti.*

II. Hanc vero finis circumſtantiam non efficere, ut omiſſio relationis in Deum reddat opus morale *intrinſece* malum, quadratis & cubitalibus litteris affirmavi eodem cap. 3. pag. 401. ſcribens, *Opus non ordinatum ad pravum finem, non eſſe intrinſece, poſitive, & quantum ad ſubſtantiam attinet vitiatum, & a radice malæ cupiditatis erumpens, ut falſo opinatus eſt Bajus.*

III. Idem affirmavi lib. 21. cap. 4. hæc adverſus *Tom. 3. pag. 311.* Bajum pronuntians: *Multa opera deliberata recte fiunt abſque caritate habituali, & ſine gratia Spiritus Sancti inhabitantis; multa etiam ſpectato officio, & ſecundum operis ſubſtantiam recta ſunt, neque a noxia cupiditate proficiſcuntur, etſi virtutis laudem ex alio capite minime promereantur, ut explicatum eſt præcedenti volumine pag. 390. & 415., ex quo nempe recto ordine relationis ſint deſtituta.*

IV. Et quoniam Anonymus aut incredibili malevolentia, aut maxima cæcitate affectus ubique repetit a me inter vitia, peccata, & noxiæ cupiditatis effecta connumerari timorem, fidem, & ſpem, quæ non ſint *ex motivo amoris benevoli*, & in Dei gloriam caritate non referantur; memoria repetenda ſunt quæ ſcripſi diſſert. 1. cap. 2. §. 2. ubi de Auguſtiniana Schola hæc ex lib. 23. cap. 10. pronuntiavi: *Non requirit ad* *Tom. 4. pag. 489.* *cujuslibet virtutis actum explicitum illum amorem, qui tendit in Deum ut ſummum bonum, conſtituitque virtutem peculiarem, ceteriſque præſtantiorem, quæ ſpeciali quadam ratione dicitur caritas.*

V. Quantum vero ad timorem attinet, de illo ad hunc modum loquitur lib. 21. cap. 4. *Timor, qui virtus* *Eodem tom. 4. pag. 210. & pag. 502.* *eſt, oritur ex conſideratione incorruptæ juſtitiæ, ac ſupremi imperii illius Dei, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam; quæ conſideratio non eſt abſque implicito amore juſtitiæ, & reverentia divinæ majeſtatis, licet non ſit cum actu explicito caritatis.* Lib. 23. cap. 12. *Poteſt timor eſſe ordinatus & rectus, quia poteſt formidare gehennam ob ſui amorem, qui non ſit vitioſa cupiditas, nec ſummum bonum ſibi ipſi poſtponat.* Vide diſſert. 1. loco citato.

VI. De Fide itidem, aliiſque virtutibus ita præ-

citato

citato cap. 4. libri 21. a me ſcriptum eſt: *Fieri non poteſt, ut ſine aliquo affectu aut credamus, aut ſperemus, aut timeamus, cum ſemper primus voluntatis motus ſit amor. Quare plures dantur virtutum ſupernaturalium habitus abſque caritate, ſed nulla virtus ſuos actus abſque vitio penitus exerit, niſi rectus aliquis amor voluntatem moveat, ac trahat. At neceſſe non eſt, ut talis amor, quo duce virtutibus bene utimur, ſit habitualis, juſtificans, & tam vehemens, ut ſecum trahat remiſſionem peccatorum; alioqui nunquam peccator poſſet credere, aut ſperare, aut timore concuti ſalutari. Sufficit, ſi fuerit actualis aliqua, ſed tenens ordinem, ideſt, non directa ad fruendum bonis commutabilibus cupiditas boni.* Vides quomodo ad actum fidei exiguam duntaxat *rectam boni cupiditatem*, ſive piam affectionem, quam fatente auctore Bajaniſmi pag. 127. neceſſariam eſſe ad fidem *docent Orthodoxi?* Immo lib. 23. capit. 1. aſſero quod fides, *ab ordine amoris ſejuncta, ſit virtus intellectualis inclinans animum ad aſſenſum ſupernaturalium veritatum*: capite 10. ejuſdem libri fateor non requiri ad actum fidei, vel alterius virtutis, *explicitum illum amorem, qui tendit in Deum, ut ſummum bonum*, ut dictum eſt paullo ſupra; & ibidem demonſtro ex Apoſtolo, ex Auguſtino, ex Tridentina Synodo, ex propoſit. 12. ex damnatis ab Alex. VIII. atque ex 52. Queſnelliana, *fidem ſeperari a caritate*, addita etiam ratione: *nam fides & caritas diverſum habent objectum, atque illa tendit in Deum, ut verax eſt; hæc in Deum, ut ſummum bonum*. Adde, quæ habentur lib. 34. cap. 5. ubi de fide, & ſpe, utique ab omni benevola caritate ſeparatis, aſſero quod *nihil habent vitii; ſed veram virtutem redolent, proptereaquod ſunt principium credendi & ſperandi, arcentque ex corde hominum infidelitatem, atque deſperationem, cui opponuntur*. Quiſnam ergo probus & verax ſcriptitare potuit, a me inter vitia, & peccata rejici actus fidei, aliarumque virtutum, ſi ab amore benevolo ſeparentur?

To. 4. p. 208.

Eodem tom. 4. pag. 409. & pagin. 489.

Ibidem pagina 488.

To. 7. pag. 554.

VII. Qua demum fronte, ut phraſi ab Adverſario quam frequenter uſurpata, ideoque optima & caſtigatiſſima utar, potuit aſſerere me circa ſpem conſentire Bajaniſtis, qui contendunt *neque ſpem eſſe poſſe ſine amore Dei propter ſe, ac proinde ſine amore benevolentiæ*, ut ipſe Anonymus inquit, citata pag. 127.? Certe teſtimonia hactenus producta demonſtrant evidentiſſime oppoſitum. Agnoſco enim in iis ſpem Chriſtianam cum ſolo amore concupiſcentiæ: agnoſco eamdem ſpem lib. 21. cap. 4. ſcribens: *Ut actus ſpei non ſit a virtute divulſus, ſufficit ſi procedat a recto impulſu voluntatis in bonum: nemo quippe ſperare poteſt, niſi amet bona illa, quæ ſperat*: agnoſco in fine ejuſdem capitis hæc ſubjiciens, *Qui intuitu cæleſtis beatitudinis operatur, tenet amoris ordinem, quoniam æternam vitam diligere directum eſt*: agnoſco de ſpe ſingillatim pertractans lib. 23. cap. 11. ubi inter cetera hæc aſſero: *Spes a fide, & a caritate diſtinguitur; etiamſi ad actum ſpei requiratur amor aliquis inchoatus, quo Deus diligitur, ut inquit Eſtius in 3. diſt. 26. §. 2. quatenus ab intellectu proponitur, ut ſummum ac beatificum noſtrum bonum, licet ſemper non adſit amor caritatis, quo voluntas affecta cetera omnia ſummo bono poſtponat*. Poſtquam in his, aliiſque locis bene multis, tam expreſſe, tam perſpicue, tam luculenter teſtatus ſum abſque amore, quo diligitur Deus *propter ſe*, dari actus ſpei, ceterarumque virtutum, bonos, perutiles, & ſupernaturales; inveniri inter homines potuit, qui aſſereret, in vulgus ſpargeret, litteris conſignaret, in publicam lucem emitteret, atque apud Summum Eccleſiæ Paſtorem nos eo nomine tamquam Bajaniſtas deferret, accuſaret, damnatos denuntiaret, quod peccatis accenſeamus, & culpabili cupiditati adſcribamus actus omnes moralium virtutum, quæ in Deum *benevolo amore* non referuntur, necnon fidem, ſpem, timorem, ſi non procedant ex illa caritate, qua Summum Bonum diligitur propter ſe? Quomodo fieri potuit, ut homo ratione præditus nos Bajaniſtas appellaret, ac doctrinam noſtram exitioſam, reſponſiones noſtras Novatorum effugia, nos ipſos inſigniter falſos, & a Sectariis nullatenus diſcrepantes aſſereret? At quoniam veriſſimum eſt, quod ait in libro de animi tranquillitate Plutarchus, *Maledicta, iræ, invidiæ, malevolentiæ, obtrectationes cum malignitate conjunctæ, peſtes ſunt eorum, quibus inſunt, ſtolidos autem turbant, atque exaſperant*; quod reliquum eſt, tranquilliori animo proſequamur.

To. 4. pag. 209. & pag. 211

Plut. pag. edit. Regiæ Pariſien. 468.

CONCLUSIO.

Baji dogmata ad duplicem Dei amorem, ad opera infidelium, virtuteſque philoſophorum, ad vires arbitrii ſupernaturali gratia deſtituti, atque ad relationem humanarum actionum in finem ultimum pertinentia, nequaquam adſtruuntur & propugnantur in libris, quorum inſcriptio eſt *De Theologicis diſciplinis*, ſed in iiſdem libris apertiſſime refelluntur, & oppugnantur.

DEMONSTRATUR.

Quantum enim attinet ad diſtinctionem duplicis amoris, in eo deceptus eſt Bajus, quod dona ſupernaturalia, & propriam veramque gratiam denegans naturæ rationali primitus inſtitutæ, ac exiſtimans potuiſſe illam Deo ultimo fini adhærere viribus ſolius arbitrii, aſſeruit idem eſſe naturam a Deo condi, & exornari ſuperadditis gratiarum donis; ac præterea nullum adſtruens medium inter *caritatem*, quæ juſtificet, atque inter *cupiditatem*, quæ opera omnia corrumpat, commentus eſt amorem naturalem, qui non ſit amor illius caritatis, oriri *ex cupiditate culpabili*. In ceteris itidem aſſertionibus miſerrime lapſus eſt, quod omnia opera infidelium, cum ſint deſtituta laudabili caritate, a noxia *cupiditate* derivare, & corrumpi crediderit: libero arbitrio illa caritate exſpoliato peccandi tantummodo, ac ſerviendi noxiæ *cupiditati* conceſſerit facultatem; cunctaque opera, quæ ex motivo benevolæ caritatis non fiunt, *ex motivo cupiditatis*, qua inficiantur & maculentur, fieri docuerit. Hæc propoſitio conſtat ex capite primo hujus diſſertationis.

At enim in libris, quorum titulus eſt *De Theologicis Diſciplinis*, non tantum gratiarum munera a naturæ proprietatibus ſecernuntur, & comparate ad effectus diſcrimen ponitur inter Deum auctorem naturæ, & Deum ſupernaturalium donorum largitorem; verum etiam admittitur amor Dei naturalis *ſecundum ſubſtantiam* bonus, & rectæ rationi conſentaneus; atque in infidelibus agnoſcuntur opera bona complura, quæ etſi bona non ſunt *undique*, tamen non debent *peccata* appellari, nec *intrinſecus* a cupiditate vitiantur. Affirmatur pariter in iiſdem libris plura a libero arbitrio fieri abſque gratia, quæ *ex objecto & fine proximo* ſunt laudabilia atque honeſta, nec *intrinſecus* a cupiditate inquinantur; ac tandem multa hujus generis, ſcilicet *ſecundum ſubſtantiam operis*, & ex objecto, & fine proximo honeſta, bona, laudabilia aſſeruntur & commendantur, ex numero quoque illorum operum, quæ in Deum finem ultimum *virtualiter* non referuntur. Atque hæc demonſtrationis pars ex productis in hoc ſecundo capite locis, lippis quoque ac tonſoribus obvia eſt.

In libris ergo *de Theologicis diſciplinis* dogmata Baji, quæ pertinent ad duplicem Dei amorem, ad opera infidelium, ad vires arbitrii gratia exſpoliati, necnon ad *virtualem* relationem humanarum actionum in finem ultimum, oppugnantur, & refelluntur.

§. VI.

Ad ea, quæ Adverſarius opponit, perſpicua, & expedita reſponſio.

I. IN fermento adhuc jacens Anonymus, & habens acrem bilem in naſo clamitat Bajaniſtam me eſſe, quoniam libro 18. cap. 4. fateor, *Sententiam, quæ rejicit omnem amorem Dei naturalem omnimode cohærere cum illa, quæ ſtatum puræ naturæ contendit eſſe impoſſibilem, unde manifeſte ſequitur, quod ii, qui docent impoſſibilitatem ſtatus puræ naturæ, denegare cogantur omnem naturalem Dei amorem*: productiſque quibuſdam verbis, quæ mea eſſe fateor, infert hanc illationem: *Iſte Theologus amplexus eſt doctrinam de impoſſibilitate ſtatus puræ naturæ; ergo rejicit quoque naturalem Dei amorem ſuper omnia.*

Bajan. Rediv. pag. 99.

Nullum aliud momentum adinvenit, quo evinceret me conſentire Bajaniſtis, præter iſtud frigidiſſimum, atque ineptiſſimum? At ego eodem cap. 4. ſcripſi: *Datur amor naturalis etiam deliberatus, quantum ad objectum, eoque revera diligitur Deus ut eſt auctor naturæ, neque amor iſte ſecundum ſubſtantiam malus eſt, ſed bonus & rectæ rationi conſentaneus*. Quomodo ergo eo in capite rejicio cum Bajaniſtis *omnem amorem Dei naturalem*? Præterea ſupponit adverſarius admittendum eſſe adverſus Bajum amorem naturalem, quo diligatur Deus tamquam auctor naturæ *abſque divinæ gratiæ adjutorio*, ita ut ille amor ſit *naturalis & quoad objectum, & quoad principium*; id vero apertiſſime refutatum eſt cap. 1. §. 1. & 6. Rurſus ignorat, univerſam Scholam Ægidianam defendere, *quod in nullo hominum ſtatu poſſit diligi Deus ſuper omnia, etiam ut auctor naturæ* eſt, & nihilominus admittere amorem Dei *naturalem*, quatenus Deus amari poteſt propter bonitatem, quam impertitus eſt creaturis, non autem *ſuper omnia*, & propter bonitatem ſuam, qua creaturas ſingulas antecellit. Inſuper fallitur Bajaniſtis accenſens eos omnes, *qui ſtatum puræ naturæ negant eſſe poſſibilem*, rejiciuntque omnem amorem Dei *ſuper omnia*, qui *ex ſolius naturæ viribus* oriatur. Tandem mentitur (a quo tamen mendacio illum

De Theol. log. Diſcipl. tom. 3. pag. 416.

in præsentiarum absolvo) affirmans me in libris antea exaratis amplexatum fuisse *doctrinam de impossibilitate status puræ naturæ*. Tam levi ergo conjectura, qua nihil ineptius proferri poterat, ausus est tanta asseverantia me Bajanis annumerare, ut criminationem suam his verbis absolverit, *Evidens est igitur, F. Berti renovare errorem Baji in propositionibus 34. & 36. damnatum?* Quod vero mendacissimum, & impudentissimum est; conviciator fatetur me, dum propugno necessitatem gratiæ ad diligendum Deum, loqui *de amore Dei super omnia*, & nihilominus ait me a Bajanistis nequaquam recedere, quia *censent Bajanistæ, ut sæpius dictum est, nullum esse medium inter caritatem & cupiditatem, inter opera quæ fiunt ex motivo cupiditatis, suntque peccata, & illa quæ fiunt ex motivo caritatis, & sine divinæ gratiæ adjutorio, in quocunque statu homo consideretur, fieri non possunt*. Quid enim ad me de Bajanistis, quando expressissime in locis productis dissert. 1. cap. 2. §. 2. 3. 4. & 5. atque hac ipsa dissertatione, hoc ipso cap. §. 5. inter caritatem & cupiditatem admitto plures actus honestos, qui licet non fiant *ex motivo caritatis*, non tamen oriuntur *a culpabili cupiditate*, neque sunt *peccata*? Memoria, quæso, loca illa repetantur, videatque ipsemet conviciator, an evidens sit me renovare errorem Baji in propositionibus 34. & 36. damnatum, an potius evidens sit se esse aut stupidissimum, aut mendacissimum, aut iniquissimum. At persequamur cetera accusationum capita; & experiamur, num digna patellis opercula præ manibus habeamus.

Bajan. Rediv. pag. 338.

II. Nititur Anonymus demonstrare, me Bajanistis consentire circa opera infidelium, atque id negotii aggreditur ab extremitate paginæ 254. usque ad mediet. tatem pag. 261. Ac primum, postquam ait quæstionem hanc fuisse definitam a S. Pio V. a quo damnata est propositio Bajana, *Omnia opera infidelium sunt peccata*, ita de me loquitur: *Quid ad hæc F. Berti? Ad propositam quæstionem sudat ille satis, nec quod in mente habet, audet reponere. Ea tamen, quæ respondet, nullatenus sane cum Summi Pontificis definitione cohærent.*

Bajan. Rediv. pag. 254.

Sudavi equidem satis, atque de operibus infidelium differens lib. 18. cap. 2. statui multa ab infidelibus fieri, quæ bona sunt *quoad officium*, nec debent appellari *peccata*: statui, *ut plurimum* tamen, virtutes infidelium ad inanem gloriam, seu ad voluptatem referri: statui virtutes illas absque Christi gratia comparatas nil prodesse ad cælestem beatitudinem: & demum statui ad virtutes undique rectas necessariam non esse fidem perfectam, & gratiam sanctificantem: quæ omnia adversarius a me præstari fatetur paullo infra. Sane hæc quatuor asserta continent quidquid de operibus infidelium, & de sensu Bajani articuli 25. scripserat in *Vindiciis* Norisius, quod propugnavit in *Cortina* Pater Macedo, quod docent singuli Augustinenssium, idque demonstravi cap. 1. §. 2. hujus velitationis. Sed nec scripta a Norisio, neque a Patre Macedo, nec a nostratium ullo, ideoque nec a nobis *cum Summi Pontificis definitione cohærent*, omnesque sudavimus satis. At magis sudandum erit sub oppositionum gravissimo pondere, jamque cum Marone cogimur dicere:

Nota hæc ironice dici.

Creber anhelitus artus
Aviduque ora quatit, sudor fluit undique rivis.

Virg. Æn. v.

Pergit enim qui nos sudore madentes premit, & redigit in angustias: *Homo lapsus*, inquit, *juxta F. Berti lib. 18. cap. 3. magis se delectat seipso, quam Summo Bono, si non ei sancta delectatio inspiretur, quoniam sine hujus delectationis dono prævalet rationi concupiscentia, cujus desideriis non obedire absque gratia Salvatoris non possumus. Illa autem gratia Salvatoris, cum nihil sit aliud in illius doctrina, quam inspiratio caritatis, deest infidelibus; non enim possunt Deum quem non norunt diligere, nec ad eum diligendum excitari. Ergo si F. Berti systemati adhæreamus, necessario inferendum erit omnia infidelium opera esse peccata.*

Teneris unguibus, & absque ullo sudore nodus iste dissolvitur. Verba a me producta, in quibus affirmo non posse hominem *absque gratia Salvatoris non obedire desideriis concupiscentiæ*, sunt Augustini lib. de Nat. & Grat. cap. 62. num. 72. quem locum etiam citavi. Alterum scrupulum de Gratiæ definitione, sive inspiratione caritatis, exemi non semel, ac præsertim cap. 2. §. 6. primæ dissertationis: ubi demonstravi gratiam esse *caritatem* ampliori significatione acceptam, sive bonam cupiditatem, & bonam voluntatem; quam aliquando infidelibus inspirari, affirmo & demonstro in eadem differt. *de operibus infidelium* cap. 2. seu tom. 3. pag. 388. auctoritate Augustini, exemplo Polemonis, & Cornelii, aliisque momentis. In mea ergo sententia infideles interdum recte operantur cum gratia Salvatoris; licet non operentur *cum explicita caritate*. Cap. 3. affirmo opus in finem ultimum non relatum non esse bonum undique; at nego *vitiosum* esse, & *intrinsece malum*. Verba non repetam, quoniam producta sunt paullo supra §. 2. Quoniam vero Anonymus, ut acutior sit, syllogizat, dialectica methodo respondeamus: Nego minorem, nego consequentiam.

Bajan. Rediv. pag. 255.

Rursus me aggreditur adversarius, & me *quæstionem eludere* affirmat; quoniam licet expressis verbis non asseram *errorem a S. Pio V. reprobatum, non tamen nego omnia infidelium opera esse peccata*, quod propositiones meas in medium adducendo nititur evincere, *quæ*, inquit, *nihil enuntiant, quod sit falsum, vel saltem censura dignum; sed quæ quæstioni propositæ non faciunt satis*.

Lepidissima supra quam dici possit ratiocinatio! Contendit demonstrare a me non denegari, quod omnia infidelium opera sint peccata, adducendo quatuor propositiones, *quæ nihil enuntiant, quod sit falsum, vel saltem censura dignum*. Audiamus nihilosecius argutatoris hujus argutationes argutissimas.

Prima igitur illius propositio (inquit) *sic habet: Multa fiunt etiam ab infidelibus & impiis, quæ si operum honestatem inspicias, & officia virtutum, habent decus laudis, neque ratione operis appellantur peccata. Veritas hujus propositionis per se patet: de ea nullum est dubium apud Orthodoxos, immo eam libenter admittit Bajus*; nempe quia Bajus de virt. impiorum cap. 2. agnoscit *in infidelibus multa opera ex officio bona*.

Tom. 3. p. 382.

Bella belle! Si nego officia virtutum appellari *peccata*, & scribo: *Neque ratione operis appellari debent peccata*; ita enim habet mea propositio: quomodo a me non negatur *omnia infidelium opera esse peccata*? Quoniam, ait Anonymus, Bajus quoque *officia virtutum* commendat. Ita est, sed ulterius Bajus affirmat hujusmodi officia virtutum, nisi referantur in Deum, fieri *motivo cupiditatis*, & esse *intrinsecus mala*: id, quod *Bajanismi* auctor testatur pag. 29. 64. 65. 102. 103. 105. 131. 155. & abunde constat ex dictis. Videndum ergo, an in præcitata propositione doceam officia illa virtutum in infidelibus semper *a cupiditate* corrumpi. Igitur propositionem illam demonstro ex Tridentina Synodo, ex damnatis articulis Wiclefi, & Baji, ex Basilii, Prosperi, & Augustini testimoniis, ex Theologica ratione, quod nullus ob morales virtutes puniri debeat, imo Gentilibus virtutes morales exercentibus Deus temporalia bona contulerit, ex retributione a Deo reddita Regi Nabuchodonosor, & obstetricibus Ægyptiis, ex definitione virtutis tradita a Philosophis & ab Augustino approbata, his verbis pag. 385. propositionis argumenta concludens: *Igitur honorare parentes, erogare stipem pauperi, & alia quæ propter honestatem operum etiam a Gentilibus gratia destitutis perficiuntur, tametsi ad liberandam & beatificandam naturam mortalium non valeant, naturæ modo, & rectæ rationi sunt consentanea; & virtutes non quidem Christianæ, & ad veram pietatem pertinentes, sed moraliter bonæ, non vitia, aut peccata, sunt appellanda*. Id, quæso, est quæstionem concludere, & non negare *omnia infidelium opera esse peccata*? Alias propositiones prætereo: nam de 2. inquit, *Verissima quoque est hæc propositio*; tametsi vocem, *ut plurimum*, ei *fraudulenter* a me adjectam esse pronuntiat; de qua fraude paullo post me convincendum esse pollicetur: de tertia propositione ait, *Hæc propositio pertinet ad fidem*. De quarta hæc subjicit: *Hic videtur confiteri Theologus noster infideles patrare aliquando quædam opera bona, cum auxilio divinæ gratiæ*. Triplici ei nomine gratias rependo; quod rursus *Theologum* dixerit, quod *Juum* appellaverit, quod aliqua in parte me non erasse confessus fuerit.

Attendamus nunc, qua ratione demonstret me in 2. propositione, *Virtutes infidelium ut plurimum sunt germen inutile & marcescens*, adjecisse voculas illas, *ut plurimum*, fraudulenter, idest, revera in corde existimando *omnia infidelium opera esse peccata*. Primum ait me nomine *infidelium* omnes illos complecti, *qui Christum ignorantes Deum tamen verum cognoscunt, atque ex motivo caritatis operantur*, non autem eos solum, qui Deum non norunt. Quare? Quoniam cum mihi objecissem argumentum illud, *Apostolus ait*, Omne, quod non est ex fide, peccatum est: *infideles fide destituti sunt: Ergo quidquid infideles operantur, peccatum est*: huic syllogismo respondeo, distinguendo, & explicando Apostoli textum, & negando ita intelligendum esse, *ut nullus Gentilium, antequam Christo se devoveat, & habituali fide exornetur, possit recta voluntate operari*.

In Augustiniana Theologia non dantur infideles qui Deum ignorant invincibiliter.

Hactenus non meam fraudem detexit, sed se fraudulentissimum esse demonstravit. Lege integram responsionem meam, non mutilatam, ut ab Anonymo affertur, eamque intuere sive lib. 18. cap. 2. ab ipso citato, sive paullo supra §. 4. atque perspicies loqui me in primo distinctionis membro *de homine veri Dei cognitione privato*, & de hoc asserere, quod ejus opera *ut plurimum* ad cupiditatem & jactantiam referantur: in altero autem membro loqui de fide in Christum, & asserere ante ipsam fidem habitualem, & etiam

explici.

explicitam, fieri bona opera ab infidelibus, & *cum divina acceptatione*; sed hæc non fieri *absque gratia actuali*. Quid in his rodendum est? quid fraudis latitat?

Non intelligo nomine acceptationis meritum de condigno, ad quod requiro gratiam habitualem, lib. 19. cap. 6. sed meritum dunta. xat de congruo. Vide de Th. Discipl. tom. 3. pag. 250.

Prosequitur adversarius: *In alio loco*, inquit, *ea solummodo infidelium opera confitetur esse bona, quæ ante fidem explicitam in Christum referuntur in Deum fide cognitum*, citatis verbis meis lib. 15. cap. 4. ad penult. object.

Verum a libro 18. ad librum 15. retrogrado saltu pertransiens de calcaria in carbonariam dilabitur. Eo enim loci disputans de necessitate gratiæ prævenientis adversus hæresim Semipelagianorum, non instituo sermonem de operibus *moraliter* bonis, sed de iis, quæ conducunt ad pietatem veramque justitiam, atque in verbis ab adversario exscriptis explico, *Quomodo Cornelius, & infideles alii, antequam converterentur ad Christum, aliquod bonum opus facere potuerint virtute gratiæ, cum primus gratiæ effectus sit ipsa fides*. Ad hujusmodi opera, quibus pervenitur ad fidem, quis, nisi hæreticus Semipelagianus, negat necessarium esse actualis gratiæ adjutorium?

Sunt quædam alia, quæ mihi adversarius opponit circa infidelium opera: Primum est, quod ego agnoscens in quibusdam infidelibus opera bona, orationem instituam *de infidelibus cum auxilio gratiæ operantibus*, ideoque de iis, *quibus inspiratur caritas*, cum in nostro systemate gratia nihil aliud sit, *quam inspiratio caritatis. In iis ergo, qui Deum ignorant, & quibus nulla caritas inspirari potest, nulla* a me *opera admittuntur a peccato immunia:* & consequenter in loco superius laudato vocem *ut plurimum* fraudulenter adjeci. Alterum, quod doceam non requiri in infidelibus *fidem habitualem, nec gratiam remissionis peccatorum;* sed de industria præteream quæstionem illam, *an ad non peccandum necessaria sit fides, & gratia actualis, sive an omnia opera illorum, quibus deest fides actualis*, sint peccata: atque his præmissis concludit: *Et jure merito a sententia sua clare declaranda consulto abstinuit; nam si partem affirmativam amplexus fuisset, in censuras a S. Pio V. adversus Bajanismum latas haud dubie incurrisset: si autem partem negantem tueri elegisset, sibi ipsi & suis principiis contrarius existeret. Maluit itaque altum de hac quæstione retinere silentium, quam semetipsum ultro in inevitabile conjicere præcipitium.*

B. R. pag. 258.

Hæc duo, pace adversarii dictum sit, nugæ sunt nugaciissimæ. Et ad primum quod attinet, non semel atram caliginem, quæ ipsius obversabatur oculis, dum Augustinianam gratiæ definitionem accepit *de caritate proprie dicta*, dissipavi, atque infidelibus aliquando gratiam adesse disertissime tradidi in locis citatis §. 1. 2. & 3. necnon propositione 3. lib. 18. cap. 2. & lib. 15. cap. 4., in quibus assero infideles bona opera aliquando patrasse *cum superna illustratione*, & in illis aliquando *ante fidem explicitam in Christum* inspirari *fidem in Deum, & sanctam cogitationem*, quæ sufficit ad facienda opera, quæ bona sint tum *quoad substantiam*, tum comparate *ad finem ultimum;* & quod mirum est, ipsemet adversarius pag. 257. & paucis ante istam argutiunculam lineis, testimonia eadem exscripserat. Certissimum est itaque admitti a me in infidelibus aliqua bona opera, etiam conducentia ad veram pietatem, & aliquam inspirationem gratiæ, & sanctam illustrationem; licet frequentissime operentur ob inanem gloriam atque cupiditatem; ideoque particula, *ut plurimum*, non fuit a me *fraudulenter* apposita, sed potius calumnia ab Anonymo *fraudulentissime* fabricatur. In altero autem Anonymus est Parthis mendacior; siquidem in eodem cap. 2. lib. 18. ubi pertracto de operibus infidelium, in singulis argumentis propositionis primæ demonstro etiam *a Gentilibus gratia destitutis* fieri opera rectæ rationi consentanea, & quæ nec vitia, nec peccata sunt appellanda, ut constat ex dictis, & apertius ex tom. 3. pag. 383. 384. & 385. atque id unum nego, esse bona *spectatis omnibus circumstantiis* illa opera, quæ non referuntur ad finem ultimum, etsi omissio hujus relationis eadem opera non corrumpat, nec intrinsecus vitiet; quod tam sæpe repetitum est, ut unusquisque sensum nostrum perceperit, & ipse fortassis Anonymus, quamvis aures habeat hebetes & perforatas. Ceterum quidquid ego de operibus infidelium conscripsi, nil est aliud, quam amplior explicatio eorum, quæ docuit cap. 3. §. 4. *Vindiciarum* Eminentissimus Norisius, ut constat ex dictis cap. 1. §. 2. hujus dissertationis: cum Norisio autem Bajum damno, censuras Ecclesiæ revereor, pro Augustiniana Schola decerto, nec in præcipitium ope illius gratiæ, pro qua ineo certamen, ruiturus sum unquam. Utinam præcipitium evitet, qui mendaciunculis adspergit, & conviciis incrustat quidquid adversus Scriptores catholicos consignat litteris, & qui immemor saluberrimi moniti, *Labia insipientis præcipitabunt eum*, famam nostram lingua & calamo laceravit. Quoniam vero Norisii nuperrime mentionem feci, & lauda-

vi caput 3. §. 4. Vindiciarum, poterit unusquisque illum perlegere, & judicium ferre, an in propositionibus Baji damnatum illum sensum Norisius agnoverit, quem ego pariter profligavi; an de operibus infidelium eadem omnino cum Norisio ego scripserim; an Fulgentium Bellelli, virum alioqui doctissimum, vel Norisium mihi proposuerim ad imitandum; & cum Norisio legi poterunt Theologi primo capite §. 2. laudati; ita enim fiet, ut quisque apertissime videat, Scriptorem hunc ineptissimum non Fulgentio Bellelli, non mihi, sed Cardinali amplissimo, & universæ Augustinianæ familiæ diem indixisse. At de operibus infidelium satis, superque.

III. Circa Baji propositionem 28. *absurda, & miseranda* a me proferri censet Anonymus, quoniam lib. 18. cap. 5. hanc propositionem enuntiavi: *Non possumus aut peccatum vitare, aut tentationem aliquam sine gratia vincere undequaque, idest, æquo moderamine, ita ut motus sensuum compescantur, & frænetur appetitus rebellis*. In demonstratione autem hujus propositionis scripsi: *Aut vitiatur peccatum Dei amore, aut fine honesto, aut perverso & vitioso. Si hoc dixeris, clavum clavo, peccatum peccato pellis. Honestus finis sine gratia, saltem in praxi, non datur. Item nec Dei amor, ut in superioribus demonstravi. Ergo sine gratia abstinere prorsus a peccato, & tentationes superare non possumus*. Hinc infert juxta sententiam meam *peccati illum esse reum, qui misericordia pulsus, aut naturali pietate commotus eleemosynam porrigit indigenti, aut parentes honorat, quia scilicet finis, quem sibi proponit, sine gratia saltem in praxi non datur. Necesse est ergo, ut finis ille a gratia totam suam honestatem accipiat, alioquin finis perversus esset ac vitiosus; & tunc homo non posset nisi clavum clavo, peccatum peccato pellere. Quam hæc miseranda sint penes alios sit judicium*. Hæc disputator acutissimus.

Bajan. Red. pag. 268.

At primum demonstravi cap. 1. §. 3. juxta Vasquesium, Turrianum, Franciscum Macedo, & Cardinalem Norisium, in propositione Baji 28. agi *de gratia Spiritus Sancti inhabitantis*, & differre a Bajo Augustini discipulos, qui propugnant *sine adjutorio gratiæ actualis* liberum arbitrium nonnisi ad peccandum valere. Cum autem ego in toto lib. 18. disputationem instituam *de gratia actuali*; an hæc doctrina sit absurda & miseranda, *penes alios sit judicium*. Deinde in illa propositione consulto posui particulam *undequaque*, commonstrans me pertractare de opere non tantum in se considerato, verum etiam *spectatis omnibus circumstantiis*, ideoque ibidem pap. 421. explicans sententiam meam, & damnans Bajanum articulum, de quo est quæstio, affirmo liberum arbitrium non tantum *sine gratia sanctificante posse* vitare peccatum fine rectissimo, verum etiam *sine gratia actuali* posse beatitudinem appetere, actus indeliberatos peragere, necnon *exercere officia virtutum, & præcepta aliqua implere quoad substantiam, operatione secundum se laudabili & honesta, etsi extrinsece & ex fine operantis non bona undequaque*; unde an sequatur eleemosynam datam indigenti ex naturali pietate, & cultum parentibus exhibitum esse peccata, *penes alios sit judicium*. Præterea eo loci affirmavi etiam Bellarminum libro v. de Gratia & libero arbitrio cap. 7. & Franciscum Toletum apud Vasquesium in 1. 2. disput. 190. cap. 18. num. 174. in ea fuisse sententia, *quod nulla tentatio etiam minima superari possit absque gratia*: num vero ita res se habeat, *penes alios sit judicium*. Denique differt. 1. cap. 2. §. 6. num. 1. demonstravi me accepisse a Norisio quidquid scripsi de operibus *in praxi* spectatis, nimirum, quod etsi liberum arbitrium *absque gratia* plura facere possit, quæ ex idea honestatis oriuntur, & *in sua productione* honesta sunt; tamen quia spiritualis creatura plurimum afficitur delectatione sui ipsius, & in hoc statu, in quo corpus aggravat animam, magis in sui amorem nos trahunt sensibilia, quam intelligibilia, ne qui operatur, in philautiam, aut in cupiditatem deflectat, indiget supernæ gratiæ adjutorio; an vero hæc sit doctrina Norisii in Vindiciis cap. 3. §. 4. immo Augustini lib. 4. contra Julianum cap. 3. num. 28. *penes alios sit judicium*.

Quoniam vero nihil aliud habet Anonymus, quod mihi circa Baji articulum 28. objiciat, me duplicis mendacii reum esse pronuntiat; unius, quia scripsi a Bajanistis etiam *actus indeliberatos* censeri *culpabiles*, alterius vero quoniam affirmavi Bajum *de gratia habituali* fuisse locutum; atque istorum mendaciorum accusatione præmissa, me præditum ulterius appellat *intoleranda, nec omnino ferenda audacia*, eo quod latam in Bajum censuram vitari dixerim ab iis Theologis, *qui docent actus indeliberatos non esse peccata, & ab infidelibus & peccatoribus fieri complura, quæ carent omni vitio & peccato, cum sola gratia actuali, & absque gratia sanctificante*. Quæ a me non solum scripta fuisse profiteor, verum etiam in præsentiarum repetuntur, & confirmantur. Enim vero responsiones meas verissimas esse, notamque mihi impactam audaciæ es-

se iniquissimam contumeliam, ostendi differt. 1. cap. 1. §. 7. & rursus dissertatione hac tertia, capite item 1. §. 7. At præterea perspicuum est, & a me evidentissime demonstratum scripsisse Theologos plurimos ac præstantissimos, quod Bajus nullum bonorum operum principium agnoverit, *præter gratiam sanctificantem, sive caritatem habitualem*. Quamobrem, si Anonymo fides habenda sit, mendax quoque est Gabriel Vasquez, mendax Turrianus, mendax Suaresius, mendax Jacobus Fontana, mendax Pater Macedo, mendax Norisius, mendaces centum Episcopi Galliarum. At æquo animo ferendum est, si probos viros Cretensis Cretenses appellat, & Cinicus momus

Vide dissert. 1. cap. 1. §. 1. & 3.

Horat. Epist. 3.

Projicit ampullas, & sesquipedalia verba.

IV. Me præterea adversarius accusat, quod virca timorem, fidem, atque spem idem prorsus sentiam cum Bajanistis: rationes vero, quibus insimulatio hæc superstruitur, sunt istæ. Prima, quia libro 2. cap. 2. ubi nego dari opus indifferens in individuo, hæc habeo: *Nisi adsit caritas, per quam referantur in Deum, in praxi operans non operabitur propter æquitatem, cujus habet ideam ingenitam, sed aut sibi placens, aut fruens bonis commutabilibus, & ideo opus erit pravum, atque perversum.* Quæ propositio, ait Anonymus, *cum sit universalis, complectitur actus timoris, fidei, & spei, sicut ceteros actus humanos; qui omnes, ut sint immunes a peccato, debent juxta illum* (me scilicet) *per caritatem referri in Deum.*

Baj. Red. pag. 278.

Agnosco verba mea tom. 4. pag. 195. sed ibidem loquor de opere, quod sit bonum *undequaque*, idest, non solum ex objecto & fine proximo, verum etiam attenta circumstantia ultimi finis: eademque pagina repeto in mea, omniumque Augustinensium sententia, *opus ex motivo honestatis patratum* (multo magis opera, quæ ex gratia derivant, cujusmodi sunt timor, fides, & spes) *in se, & officio ipso spectato bonum esse, & rationi consentaneum, sed defectum esse in fine operantis, qui illud ad debitum finem non refert.* Eadem pagina remitto lectorem ad caput 2. libri 18. in quo semel, iterumque repeto, *opus non ordinatum ad pravum finem non esse intrinsece, positive, & quantum ad substantiam attinet vitiatum, & a radice malæ cupiditatis erumpens, ut falso opinatus est Bajus;* & concludo sententiam meam non tanto rigore esse tenendam, *ut vitiosum sit opus, quod non refertur in Deum.* Deberet ergo ad hæc Anonymus obmutescere, licet impersuasibilior sit graculo.

Tom. 3. pag. 401. & 493.

Objicit tamen ulterius: *Gratia, juxta definitionem, quam ipse alibi tradit, est inspiratio dilectionis, nec a caritate actuali distinguitur. Igitur si actus fidei, spei, ac timoris, ut sint immunes a peccato, debent procedere ex gratia, debent procedere ex inspiratione caritatis.* Resp. satis, superque cavillationem istam a me fuisse refutatam, tametsi aliqua mox repetam.

Ait, ut præcedentem oppositionem confirmet, alteram utique definitionem gratiæ a me traditam fuisse lib. 14. cap. 7. idest, *Gratia est actus intellectus & voluntatis, sive mentis illustratio, & inspiratio caritatis*, sed animadvertit in mea sententia, *solam mentis illustrationem, si sit a caritate sejuncta, non sufficere ad vitandum peccatum.* Verum rectissime a me dictum puto, gratiam non consistere *in sola mentis illustratione*; nam gratiam istam a Pelagianis quoque fuisse admissam ostendi lib. 14. cap. 5. sive tom. 3. pag. 127. de Semipelagianis autem nullum dubium oriri potest, ut demonstrat eruditissimus Petavius lib. de Hæres. Pel. & Semipelag. cap. 9. ubi certis, ac firmissimis S. Prosperi testimoniis allatis, num. 2. inquit: *Cum Semipelagiani gratiam omnem, quæ in sola intelligentiæ nostræ collustratione, & cognitione sita est, prorsus esse necessariam agnoscerent: Prosper vero contendat non eam sufficere, quæ in sola doctrina & agendi notitia versetur; nec ea prædita voluntas hominis ad conatum boni operis idonea sit, eo quod originali peccato fracta & enervata propriis subsidiis opus habeat: inde profecto consequi, neque Semipelagianos ullam agnovisse gratiam, præter illustrationem mentis, & cognitionem, tum aliam, quæ voluntatem informaret ipsam, desideravisse Prosperum; quique posteriorem hanc abnegaret, inter Semipelagianos sententia illius adscriptum. Non video quid huic argumentationi possit opponi. An enim inficiari poterit quispiam, Semipelagianos illustrationem, & inspirationem illam cognitionis ademisse?* Hæc Petavius. Quid ergo istud rei est? Cur me vellicat accusator, quod gratiam non constituerim *in sola mentis illustratione?* Numquid bilem ei movet, quod Semipelagianis non adhæream? At præstat illius argumentationem præcipuam porrectis auribus audire.

Petavius tom. 3. edit. Paris. pag. 636.

Errorem suum (inquit pag. 279.) *denuo confirmat F. Berti, dum solvere tentat primam objectionem, quam sibi proponit lib. 14. cap. 8.* (idest, ubi illam definitionem trado, *Gratia est inspiratio sanctæ dilectionis*) *sic autem se habet hæc objectio: Aliud datur principium bonorum operum longe diversum a sancta delectatione, & caritate, idest timor Domini, quem donum esse Spiritus Sancti, & nos continere a malo, demonstrat Sacra Scriptura, definit Tridentina Synodus, &c. Huic objectioni respondet, concedendo timorem distingui ab amore, sed pertinacius adhuc asserit timorem procedere a caritate*: verbisque meis recitatis, quæ extant tom. 3. pag. 157. *Ubique*, inquit, *idem principium, ubique eadem consectaria a Bajano principio manantia.* Et quoniam eo loci assero, quod timor præcedat caritatem, me convincere nititur antilogiæ subjiciens: *Nonne hæc sibi invicem adversantur? Quo enim pacto Fratrem Berti cum seipso conciliabimus? Secum sane certare videtur. Modo vult ut timor caritatem præcedat; modo e contra declarat quod caritas timorem præcedat.* Parum est me contradictionis arguere; addit me *in verbis ludere*, quoniam cum gratia sit *inspiratio sanctæ dilectionis*, neque a caritate in sententia mea distinguatur, *falsum evidenter est, quod unquam timor præcedat caritatem.*

Videamus cujus ponderis sit hæc argumentatio, & num ego, num ipse verbis ludat. Bajus quando ait *principium omnium bonorum operum esse caritatem*, caritatis nomine intelligit amorem benevolum, sive dilectionem Dei propter se, ut certum est, atque in omni fere pagina scribit ipsemet *Bajanismi Redivivi* Auctor. Ego autem *caritatis* nomen in illa gratiæ definitione accepi pro qualibet *bona voluntate divinitus inspirata.* Id apertissime commonstravi differt. 1. cap. 2. §. 6. Idem evidentissime constat ex hac dissertatione, ex hoc eodem capite §. 6. atque ex pluribus testimoniis, quæ ex libris meis collecta sunt, in quibus affirmo cubitalibus litteris caritatem, quæ timorem præcedit, esse *bonam voluntatem, sive cupiditatem boni*, non *caritatem explicitam*, non *dilectionem Dei propter se*, non illum amorem, *qui tendit in Deum, ut summum bonum, & qui constituit virtutem peculiarem, ceterisque præstantiorum, quæ peculiari titulo caritas appellatur.* Hoc idem luculentissime traditur in illa responsione, quam Scriptor iste Dithyrambicis minus sapiens dissecuit, & in qua affirmo *inspirationem caritatis*, quæ omne opus bonum præcedit, esse illam, *quæ inspirat bonæ voluntatis fervorem*: addo in timore non adinveniri, si timor tantum servilis sit, illam caritatem *in qua singularis species virtutis comprehenditur*: affirmo amorem, sine quo timor sanctus non excitatur, esse illum, qui *Deum respicit ut justum & rectum.* Vide tom. 3. pag. 157. Basilium Poncium eo loci laudatum, ipsumque adversarium pag. 280.

Hæc cum ita sint, annon pistillo obtusior, & stultior Corœbo a quovis alio diceretur, qui me *verbis ludere*, & mihi ipsi adversari pronuntiat? Non est contradictio, non est verborum lusio, vir bone, quod caritas in quantum est *bona voluntas* præcedat timorem, & caritas in quantum est *amor Dei propter se* timorem subsequatur: non est contradictio quod amor justitiæ, *qui respicit Deum ut justum & rectum*, timorem antecedat; & amor benevolus, *in quo singularis virtus comprehenditur*, per timorem, sicut per setam linum, introducatur. In Centurione *aliqua fides* eleemosynas præcessit; non enim sine aliqua fide donabat: subsecuta est autem eleemosynas *fides in Christum*, qua ab Apostolo Petro imbutus est. Nec arbitror contradictionis, lusionisque verborum arguendum illum fore, qui diceret, *Aliqua fides* præcessit, & *fides in Christum* subsecuta est eleemosynas Centurionis. Ita ego de caritate: Aliqua *caritas* præcedit timorem; & caritas *explicita* timorem subsequitur. Evanuerunt itaque magna illa Fratris Berti contradictio, & illa verborum lusio. Nec aliud supereſt, nisi ut adversarium in foribus urceum frangentem inspiciamus.

Itaque postremo loco sententiam meam in iis, quæ attinent ad relationem operum in Dei gloriam, inter Baji dogmata rejicit, & posteaquam in Fulgentium Bellelli plura evomuit, *Bellellinæ*, inquit, *doctrinæ Bertiniana perfecte quoque congruit in expositione textus Apostolici*, Omnia in gloriam Dei facite. *Quamvis enim duas hujus textus F. Berti offerat expositiones, Bajanam unam, Orthodoxam alteram, recenseatque momenta, quibus innituntur tam Orthodoxi, quam Bajanistæ, ac denique quamdam videatur amplecti mediam viam, a Bajana tamen expositione non recedit.*

Bajan. Rediv. pag. 288.

Movet autem principio mihi risum, quod doctrinam meam a meo agnomine vocat *Bertinianam*; nam *Bertiniana* etymologia tam inepta est, ac si pugna, qua sexto Kalendas Aprilis, sive die 27. Martii a Cæsare Augusto debellatus fuit Antonius, vel ab Augusto *Augustinianam*, vel a Martio *Martinianam*, vel ab Antonio *Antoninianam* appellares. Quamquam haud miror, hominem fortassis Gallum, cujus auribus personare non semel debuit, dum ea commemorantur, quæ pertinent ad Monasterium Sithiense S. Bertini in Galliis celeberrimum, vox illa *Bertiniana*, hanc etymologiam, sive, ut inquit Tullius, notationem exprompsisse. A notha vero notatione procedens ad expositionem verborum Apostoli, facile ostendam, qua ratione adversarius *de scammate* egrediatur. Expositio

&c. Top. 17.

illa

illa duplex in loco, quem Anonymus laudat, ideſt, lib. 21. cap. 2. ſive tom. 4. pag. 193. nil eſt aliud, quam explanatio & confirmatio duplicis Catholicorum ſententiæ, quarum una eſt eorum, qui cenſent omnia opera deliberata referenda eſſe in Deum finem ultimum; altera vero illorum, qui id negant eſſe præcepti. Primam ſententiam, quantumvis obganniat obtrectator, eſſe Bajaniſtarum falſum eſt penitus; quandoquidem Auguſtinianam eſſe, catholicam, atque ab eximiis Theologis quamplurimis comprobari, immo in illam quoque veluti naribus trahi ipſummet adverſarium, in primo hujus diſſertationis capite manifeſtiſſimum feci. Sententia autem altera ea eſt, quam Anonymus Catholicam vocat, eamque nos plurimorum eſſe, ſuiſque momentis ſuffultam in eodem capite ſecundo affirmavimus. Inquit autem Anonymus, me eo loci *valde ponderare Novatorum argumenta, quibus probare* contendo *omnia opera noſtra, quæ ad Deum non referuntur actu, aut virtute, eſſe peccata*, neglectis momentis aliis, quæ textus Apoſtolici, *Sive manducatis, &c.* veram confirmant expoſitionem. Verum nemo calumnioſius mendaciis, verborumque tendiculis opuſculum aliquod ſtuduit conglomerare. Calumnia enim eſt maxima, non quibuſvis Theologis, noſtrique generis ſcriptoribus, minimis ſcilicet ac proletariis, ſed celeberrimis ac præſtantiſſimis, atque hos inter Purpuratis Patribus, Bonæ, Noriſio, Seripando illata improbe & audacter, affirmare, & ne incaute dictum videatur, repetere in ſingulis fere pagellis, quod prior ſententia ſit expoſitio ac placitum *Novatorum*. Mendacium præterea eſt, & quidem magnum, impudens, bullatum, quod in momentis a me ponderatis vel unum inveniatur, quo aut contendatur, aut enuntietur, *omnia opera, quæ in Deum non referuntur actu vel virtute, eſſe peccata*; quum potius eo quoque in loco repetatur, quod ſæpenumero dictum eſt, auctores primæ ſententiæ admittere opera honeſta, quæ in Deum non referuntur, quoad ſubſtantiam, in ſe, & officio ac fine proximo attento, bona & conſentanea rationi, animadvertentes defectum reperiri tantummodo *in fine operantis, qui eadem opera ad debitum finem non refert*. Immo ſi dixiſſem alicubi, opera, quæ in Deum non referuntur, *eſſe peccata*, lato tamen modo, ex parte ſolius operantis, atque, ut ait Auguſtinus, *non recto fine*, non proinde, ac ſtatim Bajaniſta dicendus eſſem, quemadmodum Bajaniſta dicendus non eſt Eminentiſſimus Bona id ſcribens in Principiis Vitæ Chriſt. §. 29. quandoquidem apertiſſimum eſt, lociſque innumeris declaratum, agi a me, & a noſtratibus omnibus de operibus, quibus neque in ſe, neque in aliqua circumſtantia inſit quidquam vitii, non de iis, quæ fiunt *ex cupiditate*, atque ex ea corrumpuntur, cujus generis eſſe quæcunque non procedunt ex caritate Bajus exiſtimavit.

To. 4. pag. 195.

Redit adverſarius pag. 289. ad cap. 3. libri 18. in quo de operibus moraliter bonis in utramque partem diſputavi: at eo item loci non ſemel animadverti, non ex eo, quod opus non referatur in Dei gloriam, vitiari *quod ſubſtantiam*, nec proinde erumpere *a radice cupiditatis*, ut dixi paullo ſupra, & liquido conſtat ex eodem capite 3. ſive Tomo IV. pag. 401. & 403. Perfricata igitur fronte ſcriptor Anonymus ex illa mea diſputatione hanc intulit conſecutionem, *Ergo F. Berti intelligit textum Apoſtoli*, Sive manducatis, ſive bibitis, &c. *ſicut & illud intelligunt Bajaniſtæ, nimirum ita ut omnes & ſingulæ actiones noſtræ, quæ ad Deum explicite non referuntur actu vel virtute, ſint peccata*. Nil autem moror quod accuſator rurſus repetit, gratiam a me definiri *inſpirationem caritatis*, atque a me ſcribi, quod *niſi adſit caritas, in praxi operans non operabitur propter æquitatem*; nam ſemel, iterum, ac tertio iſtiuſmodi cavillulos eradicavi.

Bajan. Red pag. 292.

Quoniam vero in tertio capite præcitato ſcripſeram unicuique hominum inditam & ingenitam eſſe ideam, rationem, ſeu regulam honeſtatis, & hanc, *cum ſit una, ſumma, & incommutabilis*, eſſe Deum ipſum, oculatiſſimus animadverſor me corrigendum eſſe putavit, propterea quod confundam *legem naturalem prout eſt in Deo dictante ac jubente, cum lege naturali prout eſt in nobis, ſeu in creaturis ratione præditis*. Cetera in hoc pariter voluit Anonymus in lucem prodere, & univerſis patefacere, quam jejunus ſit, & inſcius verſantium in Scholis opinionum. Nam quod idea anticipata atque ingenita, & æquitatis regula, utpote una, certa, & immutabilis, ſit ipſe Deus, non utique ut in ſe exiſtens, ſed quatenus menti rationalium creaturarum affulgens, nec ſententia nova eſt, neque obſcura, neque nata ex noſtro ingeniolo, ſed percelebris, notiſſima, & non ſpernendis argumentationibus communita. Atque non eo tantum in capite, verumetiam libro I. cap. I. egomet de illa ſententia diſſerui. Quamobrem in hoc quoque, quod extra præſentem controverſiam digrediens contingere voluit adverſarius ad eruditionem ſuam oſtentandam, noſtramque imperitiam redarguendam, magis, magiſque ſignificavit eruditionem ſuam tenuiſſimam ac miſerrimam. Et tamen is eſt, qui poſt tot captiunculas, poſt tot antilogias, poſt tot convicia & maledicta, ita Opuſculum inſcriptum *Bajaniſmus redivivus*, veriſſime tamen inſcribendum THECEL, abſolvit: *Bajaniſmum in Theologicis diſciplinis Fratris Berti, non minus quam in ſcriptis F. Bellelli redivivum, ſuſceperamus demonſtrandum. Propoſitum autem noſtrum jam nos aſſecutos eſſe confidimus*. Contra ego propoſitam ſpem habeo, me omnes machinationes ejus ſubvertiſſe, argutiunculas ſingulas refutaſſe, cunctaque objectamenta penitus contriviſſe; cujus rei judices appello Theologos univerſos. Quod ſi adhuc animo confidentiſſimi hujus hominis præconcepta inſideat opinio, me Bajaniſtarum erroribus implicitum eſſe ac fuiſſe, neque ingenio tali præditum eſſe, ut ſecum inire valeam litterarium certamen, inepte quoque, & frigide illatam mihi *Bajaniſmi* calumniam hiſce tribus diſſertationibus propulſaſſe; oro illum, atque obteſtor, ne arrogantiæ meæ tribuat, ſi huic vindiciarum mearum capiti finem impono verbis Hieronymi, *Tibi ſoli licet τῷ σοφιστῷ κρανίῳ, de cunctis ferre ſententiam, & quaſi cenſoria virgula, alios ejicere de bibliothecis, alios recipere; & cum tibi placuerit, me vel Catholicum vel hæreticum pronunciare; nobis non licet perverſa reſpuere, & damnare quod ſæpe damnavimus? Lege Opuſcula mea, & liquido pervidebis, me nunquam alicujus auctoritate deterritum acquieviſſe hæreticæ pravitati. Non parum eſt ſcire quid neſcias. Prudentis hominis eſt noſſe menſuram ſuam, nec zelo diaboli concitatum, imperitiæ ſuæ cunctum orbem teſtem facere. Scilicet & gloriari cupis, & in patria tua jactitas, me non potuiſſe reſpondere eloquentiæ tuæ, & acumen in te Chryſippi formidaſſe. Chriſtiana verecundia teneor, & cellulæ meæ latebras nolo mordaci ſermone reſarare. Alioqui proferrem πᾶσαν τὴν ἀρισέιαν σὺ τῆ τροπαιοφορίαν, parvulorum quoque voce cantatum. Sed hæc aliis aut loquenda, aut ridenda dimitto.*

Dan. 5. 27.

Epiſt. 36. alias 75. tom. 4 p. 2. pag. 277.

CAPUT III.

In Scriptis præſtantiſſimi Theologi Fulgentii Bellelli nihil inveniri, quod Bajanis erroribus primo hujus diſſertationis capite recenſitis aliqua ratione cohæreat, productis viri doctiſſimi verbis evincitur ac demonſtratur.

ABſoluta eorum omnium, quæ pertinent ad libros meos de Bajaniſmo iniquiſſime inſimulatos, Apologetica diſcuſſione, certandum eſt rurſus pro Viro Clariſſimo Fulgentio Bellelli: cui, tametſi illum ut Patrem ac Præſidem veneratus ſum, & nunc quoque veneror, me nihilominus fecit adverſarius ſocium atque commilitonem, afficiens meipſum in tanto conviciorum cumulo, honore quammaximo; utpote qui magis me cohoneſtari arbitror ſocietate & contubernio doctiſſimi illius viri, quam Anonymus, qui ſparſis per orbem libellis eumdem appellat *temerarium, ſpurium, dignum totius poſteritatis oblivione, Baji & Janſenii diſcipulum, mendacem, fraudulentum, inhærentem Novatorum veſtigiis, doli, artis, effugiorumque pleniſſimum*, cohoneſtari & augeri poſſit titulis ac muneribus ſplendidiſſimis. Quid enim decoris, quid laudis, quid præſidii, quid ponderis Catholico auctori, quiſquis ille ſit, afferre unquam potuit ſtylus ille contumeliis, probriſque tumeſcens? At ſacroſancto ſocietatis vinculo conjunctis nil congruum magis atque decorum, quam ſeſe mutuo opera, conſilio, tutela, bonorumque omnium participatione juvare. Deum igitur nititur Accuſator abjecta illa ac turpi ſcribendi methodo famam, & auctoritatem ſuam augere; curam ego, atque ſolicitudinem meam in Socii defenſionem impendere non deſiſtam, ratus me hac ratione melius conſulturum ſocietati, quam ille conſuluerit proprio, quicunque ſit, charactéri. Quamvis autem Fulgentius Bellelli fruens, ut pie creditur, tranquilla pace inter ſuperos, nulla prorſus commovetur indignatione, ac forte videns hominem luctantem cum larvis ſubridet, & repetit decantatum illud ac feſtiviſſimum,

Nunc telis petit ore meum poſt fata cadaver,
Audet vel lepus exanimi inſultare leoni:

ut quiſque tamen agnoſcat fidem, amorem, ac benevolentiam, qua ego demortuos quoque ſocios complector; vitilitigatorem cum Protogene bella gerentem, non charta dentata, ſed calamo, atque atramento temperato actutum adorior.

§. I.

Fulgentius Bellelli rejecit pravum ſenſum prop. 35. & 36.

DEnegavit Bajus diſtinctionem duplicis amoris, non exiſtimans Deum eſſe *finem ſupernaturalem* creaturæ rationalis, quoad aſſecutionem, *ſuapte natura*, nullumque *amorem naturalem* diſtinctum a caritate agnoſcens, qui amor non ſit infectus *cupiditate*, atque ad omnem honeſtum rectumque amorem exigens gratiam *inhabitantis Spiritus Sancti*.

I. Fulgentius autem Bellelli, ubicunque aſſeruit neceſſariam gratiam ad diligendum Deum, tanquam auctorem naturæ, locutus eſt duntaxat de amore Dei *propter ſe*, & *ſuper omnia*, & de gratia Spiritus Sancti moventis, non Spiritus Sancti inhabitantis. Videatur libro 3. de Statu creat. ration. cap. 6. ubi ait, *Deus ut naturæ auctor diligi nullo pacto poteſt, tanquam in alium finem referendus*. Quo in loco affert etiam comparationem viſionis Dei ut auctoris naturæ, atque ut auctoris gratiarum, ab aliis Auguſtinenſibus uſurpatam, ut vidimus cap. 1. ſect. 1. num. 4. Hortatur etiam lectorem, ut adeat Bartholomæum Riccium in Propoſitiones ab Innocentio XI. damnatas diſp. 20. in qua vir doctus, nunquam de Bajaniſmo ſuſpectus pag. 222. inquit: *In ſtatu naturæ lapſæ & puræ, in quo adſunt eædem vires naturales, non eſſe poſſibilem illum amorem* (Dei ut auctoris naturæ) *niſi ex auxilio Dei, nam in eo ſtatu amor ſenſibilium præponderat amori ſpiritualium: ſed neque in natura integra, vel in Angelis, in quibus non eſt caro, eſt illepoſſibilis naturaliter, ſaltem ut ſit efficax; quia includit voluntatem poſtponendi pro ſemper omnia bona creata bono divino*; id, quod Riccius compluribus, invictiſque argumentis ad paginam uſque 251. demonſtrat.

Bellelli de ſtatu creation. pag. 371. 379. 380.

II. Agit Fulgentius Bellelli de amore Dei, ut auctor naturæ eſt, etiam de modo Rep. lib. 2. cap. 11. atque ibi pariter profitetur ſe pertractare de amore Dei *ſuper omnia*, ſcribens, *Deum neque ut naturæ auctorem ſine ſuperna gratia ſuper omnia diligi poſſe probavimus; quoniam dilectio illa talis eſt, qua creatura ſupra ſemetipſam impulſu dilectionis attollitur, ita nimirum, ut Deum diligat ſemetipſa contempta*, laudato ibidem Eminentiſſimo Bellarmino, cujus verba & nos præmiſimus cit. §. 1. num. 6.

De modo Rep. tom. 1. pag. 72.

III. De ipſomet amore verba faciens lib. v. cap. 36. teſtatur loqui ſe de amore, *quo pervenitur ad Deum*, & de amore, *qui eſt Dei cultus nec qualiſcunque, ſed præcipuus*, adhibens verba Auguſtini contra Julianum lib. 5. cap. 1. num. 9. & de Civit. Dei lib. 10. cap. 1. & 4. & producens iterum verba Bellarmini, atque idem afferens, quod Gregorius Ariminenſis, Noriſius, Contenſonus, Caſalius, Alvarez, Lemoſius, quorum ſcripta commonſtratis locis commemorat.

Eodem tom. pag. 418. & 419.

IV. Ceterum illuſtris Theologus gratiam requirens ad amorem Dei, ut auctoris naturæ, *propter ſe*, ac *ſuper omnia*, minime negat dari *amorem Dei inchoatum* ante juſtificationem, & abſque *caritate prædominante*, necnon abſque ulla gratia *amorem beatitudinis*, atque amorem *honeſtum*, qui non ſit *explicita caritas*: ac multo minus aſſerit *pravam cupiditatem*, ſi caritas abſit, *omnes hominis actiones, omnemque amorem naturalem corrumpere*; ſed expreſſiſſimis verbis, quæ, ne repetantur, legi poſſunt diſſert. 1. cap. 3. §. 1. 2. 3. tradit oppoſitum.

§. II.

Refutavit P. Bellelli Bajanum ſenſum propoſitionum 25. & 26.

AFfirmavit Bajus omnia opera infidelium eſſe peccata, & Philoſophorum virtutes eſſe vitia, propterea quod exiſtimavit omne opus, quod non oritur a cupiditate prædominante, originem habere ſuam, & labefieri a culpabili cupiditate.

I. Contra Fulgentius Bellelli docuit; infideles abſque gratia ſanctificante, cum auxilio tamen gratiæ actualis, plura opera, non ſolum bona, ſed etiam ſupernaturalia facere, hæc ſcribens de modo Reparat. lib. v. cap. 21. *Hæretica propoſitio eſt, enuncians infidelem peccare in omni opere. Siquidem dum piis infideles operibus ad veram fidem ſuſcipiendam, ſive orando, ſive eleemoſynas largiendo, ſive pœnitendo, ſive conſimilibus ſe præparant, non eos peccare, ſed bene operari, Fides rectiſſima docet.*

De modo Rep. pag. 363.

II. Addit vir doctiſſimus, articulum Baji 25. non tantum fuiſſe proſcriptum, quoniam infideles aliquando faciunt pietatis opera gratia Dei auxiliante, verum etiam quia non ſemper peccant, nec ſemper dominanti cupiditati deſerviunt, Baji etiam in vellicandis Catholicorum ſententiis arrogantiam perſtringens. *Exinde*, inquit, *manifeſtiſſime liquet, nec* omnia opera infidelium eſſe peccata; *nec* neceſſe eſſe, *ut infideles in omni opere peccent, quoniam interdum pietatis quædam opera, divina gratia ſuffulti, bene faciunt. Atque hinc etiam clarum fit, quam enormiter Bajus erraverit, qui eo falſo nixus principio*, Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt, *ut fert articulus ejus 35. a S. Pio V. una cum aliis proſcriptus, omnia infidelium opera peccata, & Paganorum virtutes vitia eſſe pronuntiavit. Nec quidquam boni, quod peccatum non ſit, libero peccatoris arbitrio conceſſit. Elato proinde ſupercilio Catholicorum Doctorum ſententiam, dicentium, in infidelibus reperiri aliquando quædam bona opera, ad Pelagianiſmum rejecit, ajens in articulo* 25. Et ad Pelagianiſmum rejicienda eſt illa ſententia: *aliorum ſcilicet Doctorum*. Quæ verba paucis complectuntur, quæ de 25. & 26. articulo Baji tradiderunt Theologi præſtantiſſimi; de quibus cap. 1. §. 2.

Ibid. pag. 364.

III. Inſuper opera indeliberata abſque fide, & abſque gratia patrata, eſſe a peccato immunia diſertiſſime Theologus noſter affirmat eodem lib. v. cap. 22. ubi ait: *Errat ergo Bajus enormiter, dum indeliberatas actiones, quæ abſque libero voluntatis humanæ conſenſu, ſola impellente concupiſcentia fiunt, eſſe vere ait, & proprie peccata, tranſgreſſiones ſcilicet legis, præcepto*, Non concupiſces, *prohibitas*.

Ibid. pag. 367.

IV. Pariter in infidelibus bonos eſſe pronuntiat motus illos voluntatis, qui non a gratia, ſed a naturali inclinatione proveniunt, ita ſcribens eodem in capite. *Appetere enim, propellente in id natura, felicitatem, quemadmodum & corporis incolumitatem, vel integritatem; aut mortem fugere, ſimileſque naturæ motus, bonos eſſe quis ambigat?*

Eodem cap. 22. ſup. pag. 366.

V. De operibus vero, quæ ab infidelibus cum deliberatione, & abſque ulla gratia fiunt, apertiſſime affirmat, non eſſe quidem bona undequaque, & juxta præceptum veræ ſapientiæ *ordinata in debitum finem*; at non proinde eſſe peccata, his verbis damnans Bajanum articulum 25. *Non itaque abſolute cum Bajo vitia dicenda ſunt; ſed officia virtutum bona, quæ tamen perfectionem veræ virtutis non attigerint*. Huc ſpectant teſtimonia proximis §§. proferenda.

In eadem Volum. cap. 29. ejuſd. libri v. pag. 394.

§. III.

Auguſtinianus Theologus errorem propoſitionum 28. & 29. vitavit.

ERror in his Baji propoſitionibus damnatus eſt, liberum arbitrium ad nullum opus, niſi ad peccandum valere abſque gratia ſanctificante, omniaque opera, quæ ex caritate non fiunt, ortum ducere a culpabili cupiditate.

I. Recedit vero a damnato errore Auguſtinenſis Theologus, dum refutans propoſitionem 38. Queſnellianam ait: *Bajus vero enormiter erravit, quia Lutherana labe infectus nullum opus bonum admiſit, niſi quod a gratia ſanctificante procederet. Nam proinde dixit*: Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt. *Quam quidem doctrinam hæreticam eſſe liquido conſtat: ſiquidem decrevit Tridentina Synodus ſeſs. 6. & 14. diſpoſitiones, ſeu opera, quæ ex Spiritus Sancti impulſu juſtificationem in peccatoribus antecedunt, ſupernaturales, bonas, ac pias eſſe: quæque peccata dicere, ſub anathematis pœna vetavit.*

In prop. Queſnel. pag. 107.

II. Paullo infra §. 2. affirmavit, juxta S. P. Auguſtini ſententiam, non ad quodcunque, & cujuſvis generis bonum ſupernam gratiam requiri; ſed tantummodo ad illud, quod pertinet ad pietatem, veramque juſtitiam: *Cum S. Antiſtes* (inquit) *adverſus Pelagianos Chriſti gratiam propugnavit; non indefinite ad bonum cujuſcunque generis, ſed ad bonum ſalutare duntaxat eam neceſſariam aſſeruit; idque ei cauſſa etiam fuit, ut diceret: Illud eſſe arbitrium* laudabiliter, *hoc eſt pie, utiliter, vereque apud Deum merendo liberum, quod per gratiam Liberatoris adjutum, a contraria fuerit concupiſcentia liberatum.*

Bellelli ibid. pag. III. Et Aug. lib. 1. Op. Imp. num. 79. tom. 10. p. 2. pag. 321.

III. Expreſſius vero in Queſnellianam propoſitionem 39. ſeſe explicat, priorem paragraphum his verbis abſolvens: *Dum enim homo ſine præveniente gratia, bonum aliquod interdum ex officio, quod ad ſalutem non pertinet, operatur, nec errat, nec ſe præcipitat, nec ſe vulnerat; tametſi nihil eo agat, quod ad ſalutem conducat*. Citat quæ ſcripſerat I. P. lib. v. cap. 21. de quibus præced. §. num. 1. & 2.

Bell. pag. 117.

IV. Neque opera quædam ſine gratiæ auxilio peracta, ad capeſſendam ſalutem inutilia tantummodo celebris Theologus appellavit; ſed ulterius in Queſnellianam propoſitionem 40. eſſe moraliter bona abſque ulla ambiguitate declaravit his verbis: *Ea etiam S. Auguſtini mens eſſe videtur, ut quamvis rariſſima quædam, quæque vix inveniantur, quæ debitam promereantur laudem, plura tamen naturæ viribus, ſine gratiæ auxilio, officia moraliter bona agere homines poſſint; ſterilia quidem, nec meritoria ſalutis, ſeu, ut ait S. Anti-*

In prop. Queſ. 40. pag. 120.

Antiſtes de Sp. & lit. cap. 28. Ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillime vita cujuslibet peſſimi hominis invenitur. *Si difficillime invenitur; rariſſime quidem, at invenietur tandem in peſſimis quoque morale aliquod bonum, quod ſuis viribus agere poſſit homo.* Non opus eſt poſt tam expreſſa, teſtimonia alia producere.

§. IV.

A Bajana interpretatione textus Apoſtoli ad Rom. 14. 33. *Fulgentius Bellelli receſſit.*

BAjus itidem erravit exponens verba Apoſtoli ad Roman. 14. *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, de fide perfecta, & non de pio affectu divinitus inſpirato; ac præterea affirmans ea, quæ ex fide ſupernaturali non procedunt, naſci, & corrumpi *a noxia cupiditate*.

I. Secus vero Auguſtinianæ mentis indagator ſapien-
P. 1. pag. 394. tiſſimus; nam libro v. de modo Reparat. cap. 29. compluribus Auguſtini textibus in medium productis, *Quapropter*, ait, *eam fuiſſe liquet S. Doctoris mentem, quod Gentiles philoſophi, qui gratia Fidei penitus deſtituti fuerunt, non habuerint niſi officia bona, ſed juxta præceptum veræ ſapientiæ, ſeu rectæ rationis, in debitum finem non ordinata*.

II. De textu Apoſtoli pertractans cap. 33. ejuſdem libri, in operibus, quæ fide non diriguntur in Deum, agnoſcit quidem vitium aliquod & peccatum, ſed non iiſdem operibus intrinſecum; operanti ſolum, eo quod
Bellelli ibid. pag. 408. & Aug. lib. 4. contra Jul. cap. 3. to. 10. pag. 597. ultimi finis non teneat ordinem, inhærens: *Verba Apoſtoli*, inquit, Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt, *generaliter, & ut plurimum intelligenda eſſe de vera Chriſti Fide, quæ in rectum, ac verum ultimum finem æternæ incommutabilis vitæ, quæ Deus eſt, opera noſtra dirigit. Quapropter infidelis deliberate agens, & in talem finem, prout debet, non referens peccat*. Quæ verba priuſquam Bajaniſmi damnentur, operæ pretium eſt perlegere Auguſtinum lib. 4. contra Julianum cap. 3. num. 24. atque ea, quæ præmiſimus cap. 1. hujus diſſert. §. 4.

III. Enimvero Theologus præſtantiſſimus proximo cap. 34. perſpicue declarat officia moralium virtutum, quæ non ſunt ex fide, in ſe bona eſſe, non mala, & inordinatam voluntatem, cujus cauſa reus eſt qui
Bellelli ib. pag. 411. & Aug. to. 10. pag. 600. operatur, vitium eſſe operantis, non operis: *Si gentilis* (en ejus verba) *qui ex fide non vivit, nudum operuerit, periclitantem liberaverit, ægri vulnera foverit, divitias honeſtæ amititiæ impenderit, ad teſtimonium falſum nec tormentis poterit impelli, bona quidem facit; at non bene, ſed male facit, quia non bona, ſed mala efficit voluntate. Non igitur propter officium, ſed propter actualem inordinatam voluntatem, arbor mala eſt*. Nec aliter Auguſtinus prælaudato cap. 3. nu. 30.

IV. Similiter paullo infra: *Quæ vero ex officio eſſe videntur bona, at non ex intentione fidei bonæ procedunt, ut Julianus cenſebat, ultro ea ſine Salvatoris adjutorio per naturæ vires fieri poſſe Auguſtinus fatebatur: ſunt enim illa* bona officia, *bona quidem, ſed apud homines, qui civilia opera intuentur ac probant; ſed ſine inſpecto ſunt mala: bona quidem ſunt, ſed male facta apud Deum*. Atque ita Auguſtinus num. 33.

V. Verumtamen malam voluntatem, & debitæ in-
Bellelli pag. 414. Auguſtinus pag. 602. tentionis omiſſionem, cum non ſit cauſa bonorum illorum operum, quæ in infidelibus *bona ſunt ex officio*, at non ſunt bona *defectu ordinationis in finem ultimum*, non corrumpere officia diſerte, & perſpi-
Bellelli eodem tom. 1. de modo Reparat. pag. 338. * Potius de Grat. & lib. arbitrio cap. 9. cue docet Fulgentius Bellelli eodem lib. 5. cap. 12. ubi ait, *non inquinari opus ex malitia cauſæ, niſi ex illa procedat*, laudans Cardinalem Bellarminum id aſſerentem * de Juſtif. lib. 5. cap. 9. & ſe explicans exemplo eleemoſynæ, quæ bona eſt, etiamſi fiat ab impudico, modo *non impudicitiæ, ſed miſericordiæ cauſa fiat*: quod nos fuſius explicavimus cap. 1. §. 6. num. 13.

§. V.

Bajo Pater Bellelli adverſatur in ſententia de operibus deliberatis in Deum referendis.

POſtremo Bajus circa verba Apoſtoli 1. ad Corinth. 10. *Sive ergo manducatis, &c.* enormiter lapſus eſt, affirmans omnia illa opera, quæ in Deum non referuntur per *caritatem*, & amorem benevolentiæ, eſſe peccata, *& a culpabili cupiditate* corrumpi.

I. At Auguſtinianus Theologus, ut demonſtravi in fine 2. capitis, propugnavit tantummodo præceptum referendi omnia opera deliberata in Dei gloriam *relatione virtuali*, cujus omiſſio non facit, ut eadem opera a noxia *cupiditate* proficiſcantur, vel ut *intrinſecus* mala ſint; prout conſtat ex paragraphis præcedentibus, & luculentius ex diſſert. 1. cap. 3. §. 2. & 5. ubi plura percelebris viri attuli teſtimonia, quorum unum eſt illud in 45. Queſnellii propoſitionem: *Inde autem nullo conficitur jure, quod prava cupiditas, caritate abſente auxiliatrice, omnes hominis actiones corrumpat, quoniam deficiente victrici gratia, poteſt cum effectu bene aliqualiter operari, &c.* In Pro. poſ. Queſn. pag. 139.

II. Porro quod etiam ad opera *undequaque bona* ſufficiat virtualis in Deum relatio, ſcribit pius Auctor frequentiſſime de modo Reparat. lib. v. ubi inter cetera hæc habet: *Si præceptum actualis dilectionis non urgeat, uti certiſſimum eſt non ſemper urgere; ſi bonum & pium eſt quod fit, & pia inſuper fiat voluntate, virtualis & implicite in Deum refertur, virtute præterita intentionis bonæ, perinde ac ſi dilectio actualis adeſſet*. De modo Rep. p. 1. pag. 344.

III. Relatione etiam virtuali, quæ ſit ex *caritate*, ſive amore benevolentiæ, ab operante prætermiſſa non vitiari *intrinſece*, neque a *cupiditate* corrumpi officia moralium virtutum, ſed tantum non eſſe bona *undequaque*, ſatis conſtat ex verbis repetitis num. 1. ex aliis permultis primæ diſſertationis, necnon ex nuper productis hoc ipſo in capite §. 2. & 4.

IV. Virtutes quoque ſupernaturales, & actus bonos ac perutiles fidei, timoris ac ſpei, etiam abſque *explicita caritate*, per quam in Deum referantur, non uno in loco illuſtris Theologus commendavit: ac de Fide inquit in propoſitionem Queſnellianam 51. *Operatur fides per ſpem, dum nos in conſequendæ juſtificationis per Chriſti mortem fiduciam erigit; operatur per timorem, quia fide ſempiternorum præcedente, divinæ juſtitiæ timore concutimur; operatur per orationem, quia fides impetrat quod lex imperat; operatur per caritatem, quia Chriſtum Salvatorem diligimus, quem credimus omnis eſſe juſtitiæ fontem; operatur denique per ſemetipſam, quia myſteriis a Deo nobis revelatis præbet aſſenſum*. Vide etiam in prop. 52. pag. 173. & in prop. 54. pag. 185. In pro. poſ. 51. Queſnel. pag. 167.

V. De timore item inquit de modo Reparationis, etiam ſervilem *ſecundum ſubſtantiam bonum eſſe*, productis verbis S. Thomæ 2. 2. qu. 19. artic. 4. ad 3. Repetit inordinationem, qua magis timetur pœna, quam culpa, *timentis malum eſſe, non timoris*. Amplectitur, laudatque ſententiam Cardinalis Bellarmini lib. 2. de Pœnit. cap. 18. ſcribentis: *Qui ſerviliter timet malus eſt, quia pluris facit pœnam, quam culpam, ſed timor ipſe non eſt malus*. Addit de illo, qui cum timore gehennæ conjungit voluntatem peccandi: *Hoc autem modo qui timet, non timoris vitio, ſed ſuo, legis honeſtatem, juſtumque ordinem minime diligit*: & in propoſitionem 61. Queſnellii, *Aliud eſt*, inquit, *gehennæ timorem, quantum eſt ex ſeſe, fugam interni mali non incutere; aliud vero quod ſuo timens vitio timorem effectu vacuum reddat, intimoque ad peccatum retento affectu, ſolam manum cohibeat. Primum falſum eſt, quia timor gehennæ, quantum ſua intereſt, ſuo nempe inſpecto officio, & ſubſtantia, id omne fugiendum dictat, quod gehennæ pœnam meretur. Secundum interdum accidit: at tunc non vitium timoris eſt, ſed timentis*. Vide diſſ. 1. cap. 3. §. 5. alia verba, quæ timorem a benevola caritate ſejunctum, bonum, utilem, atque ſupernaturalem eſſe declarant. Lib. v. cap. 2. pag. 310. Ibid. cap. 4. pag. 315. cap. 5. pag. 317. cap. 6. pag. 321. In pro. poſ. 61. Queſn. pag. 213.

VI. Item de Spe amori tantum concupiſcentiæ conjuncta ſcribit Theologus Orthodoxus de modo Reparat. lib. v. cap. 36. *Sperat autem, qui ex intentione æternæ mercedis obtinendæ malum fugit, & bonum facit: ergo intentio ejus recta eſt*. Et rurſus: *Neque enim qui ſperat æternam gloriam, ſperando peccat*. Atque in propoſitionem Queſnellianam 57. *Spes ad effectum conſecutionis præmii ſine caritate minime quidem eſt profutura; ſed tamen eſt vera ſpes, & ad amiſſam caritatem recuperandam congrua impetratione peccatorem diſponit, ex Trid. ſeſſ. 6. cap. 6.* De modo Rep. p. 1. pag. 421. In pro. poſ. 57. Queſn. pag. 193.

VII. Demum de virtutibus univerſim ſcribit Auguſtinianus Theologus in propoſitionem Queſnellianam 53. *Cum homo credit, ſperat, timet, ſe humiliat, peccata deteſtatur, & plorat, vel ſimile quid Chriſtianæ agit virtutis, actiones quidem Chriſtianas facit, non tantum quia a caritate in Deum & Chriſtum cunctæ ordinantur; ſed etiam quia a ſua quælibet Chriſtiana procedit virtute*. Caritas enim major dicta eſt eſſe, non ſola. *Si ergo non ſola Chriſtianorum virtus dicta eſt: non ergo ſola actiones Chriſtianas facit*. Satis, ut arbitror, manifeſtum eſt, a Fulgentio Bellelli abſque caritate, qua referantur in Deum, commendari, gratiæ adſcribi, & non inter peccata, & inter noxiæ cupiditatis effectus recenſeri actus fidei, timoris, ſpei, ceterarumque virtutum. Subjicienda eſt igitur In prop. Queſnel. 53. pag. 177.

CONCLUSIO.

In Scriptis Fulgentii Bellelli errores omnes Baji, de quibus ſuperius inſtituta eſt diſputatio, non aſſeruntur aut comprobantur, ſed perſpicue evi-

denter-

denterque damnantur, refelluntur, ac profligantur.

DEMONSTRATUR.

Recenſiti Bajani errores in eo ſiti ſunt, quod Michael Bajus rationalibus creaturis in prima earum conditione ſpectatis collatam denegans gratiam adoptionis, juſtitiamque, per quam ad beatitudinem capeſſendam pervenirent, conſtituens in ſolo ordine naturali, atque dona ſupernaturalia e medio tollens, conſequenter dixerit Deum eſſe *finem naturalem*, ad quem naturali amore, ac viribus propriis poſſent ipſæ creaturæ rationales pertingere, ideoque rem eſſe prorſus eamdem, quod Deus ſit auctor naturæ rationalis, & quod ſit gratiarum largitor; quod amore *naturali* Deus ſuper omnia diligatur, & quod habeatur caritas, & gratia adoptionis perducens ad regnum; abſque tali autem caritate regnet ſola cupiditas, quæ omnem amorem, omnemque humanam actionem corrumpat. Hinc vero eo uſque progreſſus eſt, ut omnia, & ſingula opera infidelium, qui illa *caritate*, & fide, quæ per dilectionem operatur, ſunt deſtituti, oriri a *cupiditate*, atque hinc *intrinſecus* vitiari, & conſequenter vera eſſe peccata exiſtimaverit: libero arbitrio eadem gratia, eademque *caritate* exſpoliato, ſerviendi tantummodo noxiæ illi, omniaque opera corrumpenti *cupiditati* vim poteſtatemque tribuerit; omneſque actiones, quæ ab ipſa *caritate* non oriuntur, neque in Deum ordinantur, pravæ *cupiditatis* effectus, mala, vitia, peccata enormiter appellaverit. Hæc propoſitio quoad omnes partes conſtat ex primo capite hujus tertiæ diſſertationis.

In Scriptis autem Auguſtiniani Theologi luculentiſſime proprietates naturæ a donis ſupernaturalibus diſtinguuntur; Deus *naturæ auctor*, quoad connotata, & ea diſtinctione, quam in ipſo Deo Schola noſtra propugnat, ſecernitur a Deo *auctore gratiarum*: amor, *quo pervenitur ad Deum*, adſcribitur gratiæ; & nullibi damnatur, nullibi *cupiditati* attribuitur amor Creatoris, qui non ſit propter ſe, & ſuper omnia; ac etiam ſine tali amore agnoſcuntur opera bona complura, quæ a *cupiditate* nequaquam gignuntur. Negatur præterea in iiſdem Scriptis *infideles peccare in omnibus operibus*: negatur liberum arbitrium non poſſe recte agere, & ſe ad juſtificationem diſponere *abſque gratia ſanctificante*: negatur ſervire in omnibus operibus *dominanti cupiditati*: negatur omnia, quæ fiunt *abſque gratiæ præveniente*, licet ſterilia ſint & ad ſalutem non conducant, a *cupiditate* vitiari, atque inter peccata eſſe connumeranda: negatur denique opera illa, quæ non referuntur in Deum *virtualiter*, fieri ex *culpabili cupiditate*, atque ab iſta corrumpi. Hæc propoſitio quoad ſingulas partes ex dictis in hoc tertio capite eſt evidens, & perſpicua.

Luculentiſſime itaque in Scriptis Fulgentii Bellelli omnes errores Baji, de quibus inſtituimus diſputationem, vitantur, damnantur, & refutantur.

§. VI.

Anonymi adverſus præclarum Theologum Fulgentium Bellelli objectiones reliquæ colliguntur, atque exſufflantur.

NIl prorſus reliquum eſt in toto illo modeſti, ſapienti, ac temperati Auctoris, qui larvatum *Bajaniſmum Reviviſcentem* in lucem edens proprio nomine penitus occultato deliteſcere ſtuduit, caſtigatiſſimo cedroque digniſſimo Opuſculo, quod hac, & præcedentibus diſſertationibus eliſum non ſit, fractum, ac diſſolutum. Quoniam tamen nonnulli ex iis, qui Litterati videri volunt, cum vix Theologicum curriculum compendiariis unius Scholæ exſcriptis rudimentis peregerint, de quæſtionibus difficillimis, nec forte perceptis, audent ſententiam proferre: aut a natura ingenioque ita comparati ſunt, ut illos doctiores, & veraciores exiſtiment, qui dicteriis aliorum famam proſcindunt, & venenatiſſimo utuntur ſtylo; ideo ad iſtorum os obtundendum, quiſquilias ceteras, & argutiunculas adverſarii, conſueta methodo ſervata, proponam ac refutabo.

Ergo Anonymus contendit a Fulgentio Bellelli propugnari doctrinam Baji in propoſitionibus 34. & 36. enuntiatam, quoniam Auguſtinenſis Theologus *nullum medium admittit inter cupiditatem & amorem Dei ſupernaturalem*: & quoniam lib. 3. de ſtatu creat. rat. inquit propoſitiones illas fuiſſe proſcriptas *ob liberam privati Doctoris in alienas ſententias criminando acerbitatem*. Hinc infert accuſator, non alia ratione illum *violatæ Pianæ conſtitutionis crimen a ſe propulſare*, quam aſſerendo propoſitiones illas damnatas non eſſe *quantum ad doctrinam auctoris in iis contentam, ſed ſolummodo ratione durioris ſtyli, quo arguitur in eis ſententia contradictoria*.

Bajan. Rediv. pag. 232.

Verum conſtat ex dictis, quam hæc objectio inepta ſit, atque inanis; namque ab Auguſtiniano Theologo actiones complures admitti, quæ neque a cupiditate, neque a caritate derivant, demonſtratum eſt cap. 2. primæ diſſertationis, & confirmatur iis omnibus teſtimoniis, quæ hoc eodem capite ex illius Voluminibus exſcripſimus. Propoſitiones autem 34. & 36. Baji damnatas fuiſſe *ob nimis auſteri, & ſeveri judicii libertatem*, ſcripſerat antea doctiſſimus Vaſquez, de quo cap. 1. §. 2. ac mira res eſt, quod eadem reſponſio ſit in uno verax aſſertio, in alio autem piaculum inexpiabile. Scio accuſatorem reponere, quod etſi nonnulli Theologi affirment quaſdam Baji propoſitiones fuiſſe proſcriptas *ſolum propter acerbitatem cenſuræ*; duæ tamen prænuntiatæ continent doctrinam, quæ traditur in damnata propoſitione 38. necnon in propoſitionibus aliis, quæ ſpectant ad ſtatum *puræ naturæ*: nec licitum fuiſſe F. Bellelli *Pianæ Conſtitutioni refragari* contra probabiliorem, ac tutiorem ſententiam illorum Theologorum, qui aſſerunt illas propoſitiones damnatas fuiſſe *quantum ad doctrinam*. Ac revera ſic proſcriptas omnes propoſitiones Bajanas adverſarius demonſtrat, eo quod in Bulla S. Pii omnes damnentur *in rigore, & proprio verborum ſenſu ab Auctoribus intento*, neque tantum damnentur tanquam *oppoſitæ caritati, & paci fidelium*, verum etiam tanquam *dignæ cenſura aliqua Theologica*. Ceterum & hæc nugæ ſunt, ac gerræ ejuſdem omnino generis. Nam primo Vaſqueſius ſcribens propoſitiones aliquas fuiſſe proſcriptas, non quantum *ad materiam propoſitionum*, ſed quantum *ad ſeveri judicii libertatem*, ſingillatim & expreſſe pertractat de propoſitionibus 34. & 36. In Conſtitutione autem S. Pii damnatas quidem legimus omnes Baji propoſitiones, *reſpective* tamquam *hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes*: at inquit idem Vaſquez in 1. 2. diſp. 190. cap. 18. num. 176. *Ex qua damnatione non ſatis apparet qualis unicuique propoſitioni cenſura ſigillatim conveniat, nec prædictis propoſitionibus omnes illas notas, & cenſuras ſimul, ſed ſingulatim convenire, hoc eſt ſingulas ſingulis tribuendas, ex prædictis verbis aperte conſtat*. Similia, ut alibi diximus, Noriſius, in Vindiciis tom. 1. pag. 322. Quum ergo in propoſitionibus 34. & 36. ſtyli acrimonia, judiciique acerbitas potiſſimum eniteant; quare affirmare non poſſumus cum Vaſqueſio illas non fuiſſe proſcriptas, *quantum attinet ad materiam propoſitionum?* Præterea accuſator ſplendidiſſime mentitur ſcribens Fulgentium Bellelli ſentire, quod propoſitiones prænuntiatæ non ſint proſcriptæ *quantum ad doctrinam auctoris*; proſcriptas enim ait propter privati Doctoris in criminando alienas ſententias acerbitatem: de ſenſu autem Baji eo loci nec *my*, nec *gry*. Immo cum ſententia Baji juxta Anonymum ea ſit, quæ continetur in prop. 38. & 27. Fulgentius Bellelli, qui recedit a doctrina Baji enuntiata in propoſ. 38. & 27. prout demonſtravi 1. & 2. diſſertatione, recedat quoque neceſſum eſt a Baji doctrina enuntiata in propoſitionibus 34. & 36. Poſtremo quum doctrina Baji, quæ continetur in propoſitione 38. ſit falſiſſima in quocunque hominum ſtatu; ſi ſenſus Baji damnatus in propoſitionibus 34. & 36. foret, quod *per ſolas vires naturæ* non poſſit Deus tanquam auctor naturæ diligi ſuper omnia, ita ut qui docent non poſſe Deum tanquam auctorem naturæ diligi ſuper omnia per *ſolas naturæ vires*, conſequenter defenderent doctrinam damnatam in 38. articulo Baji: ſi, inquam, id eſſet, ſequeretur ſenſum damnatum illarum propoſitionum defendi ab omnibus Thomiſtis, ab Eſtio, a Bellarmino, aliiſque propugnantibus Deum tamquam auctorem naturæ in hoc ſtatu infirmitatis diligi non poſſe ſuper omnia *per ſolas vires naturæ*, atque ab iiſdem Theologis, de quibus cap. 1. §. 1., propugnari doctrinam damnatam in Baji articulo 38. Luſit itaque operam, dum ex commentitio Bajano ſenſu, & ratiocinationibus ineptiſſimis ac frigidiſſimis Anonymus in præſtantiſſimum virum inſiliit, eique objecit damnationem 34. & 36. propoſitionis.

To. 2. pag. 354. & 355.

II. Nec melioris ingenii exhibuit ſpecimen opponens Fulgentio Bellelli errorem, doctrinamque Bajani articuli 25. quanquam verboſior fuerit, & in garriendo, probriſque urgendis concitatior. Ad hæc autem capita revocantur, quæ recoquit ac repaſtinat. Reprehendit primum eximium Theologum, quod dixerit Bajum enormiter peccatis adnumeraſſe *indeliberatas infidelium actiones; quæ cum non ſint actus humani, dici non poſſunt opera infidelium*; ſed huic priori cavillulo ſatis ſuperque reſponſum fuit diſſert. 1. cap. 1. §. 7. num. 4. & 5. & hac ipſa diſſert. 3. cap. item primo §. 7. n. 3. ubi etiam oſtendimus eamdem reſponſionem fuiſſe adhibitam a P. Macedo, & a Cardinali Noriſio, demonſtrantes ulterius quomodo juxta Bajum opera quo-

Bajan. Rediv. pag. 238.

ra quoque indeliberata sint *actus humani*; quamquam in alia propositione 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata*, non opera duntaxat *deliberata*, sed *omnia* ac singula peccatis accenseantur. Atque hinc magis magisque se prodit imperitia adversarii, qui ait Fulgentium Bellelli *crasse*, ac *supine* erasse, dum responsionem illam adhibuit, atque id *de industria* ab eo factum, *ut scilicet deliberata infidelium opera omnia vera esse peccata, ut Bajus docuit, & ipse si posset, impune doceret*, quando, ut ostendimus, P. Bellelli in infidelibus opera quoque *deliberata* agnovit, quæ peccata non sunt, sed vel bona undique, & secundum omnem rationem, si fiant auxilio gratiæ prævenientis; vel bona tantum *ex officio*, & *fine proximo*, si fiant absque gratia actuali.

Hoc idem confirmatur ex verbis eruditi Theologi, quibus multum *fraudis* inesse inquit adversarius. Verba illa hæc sunt: *Siquidem dum piis infideles operibus ad veram fidem suscipiendam, sive orando, sive eleemosynas largiendo, sive pœnitendo, sive consimilibus se præparant, non eos peccare, sed bene operari fides rectissima docet*, de modo Rep. lib. v. cap. 21. At appello legentium oculos. Annon his verbis Fulgentius Bellelli admittit in Infidelibus bona opera *deliberata*, & etiam ad fidem disponentia, facta tamen cum prævenientis gratiæ adjutorio, quæ est altera responsio Norisii, & P. Macedi, ut ex cap. 1. §. 2. evidentissime constat? At inquit adversarius: *Fraus hic latitat*; quoniam *F. Bellelli* eo loci *docet ea tantum opera infidelium a peccato esse immunia, quibus adulti disponuntur ad fidem.* Respondeo juxta Theologum nostrum commemorata opera esse immunia a peccato, & *ad finem suscipiendam* disponere, ideoque esse bona secundum omnem rationem, supernaturalia, & ad salutem spectantia; sed etiam absque gratia, absque ulla fide dari in infidelibus opera quædam bona *quoad substantiam*, sive *ex officio*; quæ licet non sint bona, *spectata circumstantia ultimi finis*, non tamen sunt peccata, neque in sui productione fœtus cupiditatis: atque id etiam constat ex §. 2. 3. 4. & 5. hujus capitis.

Inquit Anonymus: At *dolosa*, & *futilis* est adjectio illius particulæ *ex officio*, quam propositioni 25. *vellet addi F. Bellelli*, cum aliena sit a mente Baji, *qui opera infidelium ex officio bona esse fatetur*. Verum & hic scrupulus evulsus & eradicatus est præcedenti capite §. 6. num. 2. ubi diximus juxta Bajum opera moralium virtutum dici bona *ex officio*, sed corrupta *ex cupiditate*: hoc autem negat P. Bellelli lib. v. de modo Reparat. cap. 12. pag. 338. & in propositionem Quesnellianam 45. pag. 139. Quod vero virtutes, quæ Deo virtutum non serviunt, sint *ex officio* quidem bonæ, sed recto fine destitutæ, non futilis nec dolosa assertio est, sed doctrina Augustini lib. IV. contra Julianum cap. 3. propugnata a Norisio in *Vindiciis* cap. 3. §. 4. ab omnibus Augustinensibus, atque a viris aliis doctissimis tradita, ut primo capite demonstravi: & consequenter dolosa potius dicenda est, & futilis cantilena, quam adinstar ranunculi adversarius repetit quamfrequenter.

Addit Anonymus: F. Bellelli *de modo Reparat.* lib. v. cap. 20. scribit, *Gentiles philosophos, qui gratia fidei penitus destituti fuerunt, non habuisse nisi officia bona, sed juxta præceptum veræ sapientiæ, seu rectæ rationis in debitum finem non ordinata, quin potius vitio philautiæ, aut superbiæ corrupta*„. *Quid, quæso, istud est? Nonne in verbis ludit F. Bellelli? Veras infidelium virtutes reprobat, quas S. Thomas 2. 2. qu. 23. art. 7. docet esse veras virtutes, non quidem veras simpliciter, sed tamen veras. Deinde quomodo virtutum officia dici non poterunt vitia, si sint vitio philautiæ, atque superbiæ corrupta?*

Optume, bellissume! Tonat, coruscat, & miscet omnem Græciam. Verumtamen verba P. Bellelli lib. v. cap. 29. pag. 394. non aliud sonant, quam hæc Augustini lib. IV. contra Julianum cap. 3. num. 21. *Quidquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* S. Patris Augustini mentem fuisse, quod in infidelibus non fuerint veræ virtutes, *quia easdem humanæ laudi ac gloriæ subjiciebant, qua ratione in vitia vertebantur, utpote quæ superbiæ inservirent*, testatur, demonstratque Norisius in *Vindiciis* cap. 3. §. 4. Idem doctissimus Cardinalis eodem capite scribit: *Etenim cum adeo facilis, immo cum irreparabilis sit casus ab actu virtutis in philautiam, divinæ gratiæ fuit, quoties infideles nullæ ex opere bono superbia intumuere.* Quid ergo istud est? Ludit ne verbis Augustinus? Ludit ne verbis Norisius? Quomodo est opus bonum, *quod non recto fine peccatum est?* Quomodo est opus bonum, *quod inservit superbiæ*? Dici tamen nequit Norisium esse discipulum Baji, quoniam ibidem a Bajanismo se purgat, demonstratque eamdem doctrinam diserte tradi a Ripalda inter Jesuitas celeberrimo, qui disput. 20. sect. 6. num. 25. ait: *Recte dicitur voluntatem in hoc ordine providentiæ destitutam auxilio gratiæ, suisque viribus relictam, solum posse superbiam & peccatum.* In *Parallelo* quoque demonstrat eamdem esse sententiam Patris Macedi in *Collationibus*, & in *Cortina*. Quid ergo, hi etiam Bajanistæ? Neque hi, neque Norisius, neque P. Bellelli. Ac responsio ex dictis apertissima est. Enimvero non sequitur ex verbis, quæ Anonymus objicit, vitio philautiæ, & superbiæ corrumpi opera, quæ fiunt ab infidelibus cum gratiæ divinæ adjutorio: immo non sequitur, quod omnia infidelium opera facta absque gratia *in sui productione* sint peccata, & quod a noxia cupiditate oriantur; sed sequitur duntaxat, operantem, nisi gratia adjuvetur, amare opus suum, & in se gloriari, atque ita in ejus animo jactantiam ac superbiam erumpere; ita ut jactantia ipsa ac superbia non sit causa & finis ejusdem operis, sed vitium aliquod consequens ex malitia operantis, qui opus illud in debitum finem non refert. Atque hæc est expressa sententia Norisii, ac nostra non semel exposita, atque explanata. S. vero Thomas citata quæst. 23. art. 7. docet *veram virtutem simpliciter esse illam, quæ ordinatur ad principale bonum hominis, sicut etiam Philosophus in 8. Ethic. dicit, quod virtus est dispositio perfecti ad optimum: & sic nulla vera virtus potest esse sine caritate.* Ibidem sine caritate agnoscit veras virtutes, *si accipiatur virtus secundum quod est in ordine ad aliquem finem particularem, puta conservationem civitatis, vel aliquid hujusmodi.* Hoc idem est, quod nos dicimus, hoc idem prorsus: virtutes absque caritate *si comparentur ad objectum & finem proximum*, bonæ sunt, veræ virtutes sunt; *si comparentur ad finem hominis ultimum*, bonæ non sunt, veræ virtutes non sunt.

Tom. I. pag. 1343.

S. Thomas to. II. p. 2. pag. 55.

Præterea accusator leviora quædam alia (si tamen dictis levius aliquid ac futilius potest excogitari) ad evincendum in Fulgentio Bellelli errorem Baji circa infidelium opera, recoquit: quæ cum supra singillatim sint refutata, sat est illa legentium oculis subjicere. Ait ergo a sodali nostro lib. v. cap. 33., exponi sententiam Apostoli, *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, de vera Christi fide, quæ in rectum, & verum ultimum finem opera nostra dirigat. At demonstravi cap. 1. §. 4. illam expositionem esse Augustini, Prosperi, Fulgentii, Leonis Magni, Remigii, atque ab omni errore vindicatam fuisse cap. 4. Vindic. §. 5. a Cardinali Norisio. Adde eo loci Patrem Bellelli eadem scribere, quæ S. Pater Augustinus libro IV. contra Julianum cap. 3. num. 24. & ulterius fateri posse in verbis Apostoli *accipi fidem pro conscientia*. Rursus objicit adversarius, ab eximio Theologo eodem lib. v. cap. 34. scribi: *Nudum operiri, officio per se inspecto, in quantum est nudum operire, bonum esse, sed inspecto fine in quantum non est ex fide, esse peccatum.* Verum verba his opposita, *Si gentilis nudum operuerit, numquid quia non est ex fide, peccatum est?* sunt Juliani; atque ad ea Augustinus respondet eodem cap. 3. num. 30. *Prorsus in quantum non est ex fide, peccatum est; non quia per seipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est; sed de tali opere non in Domino gloriari solus impius negat esse peccatum.* Pelagiani itaque sunt, aut saltem impii, qui præcitata Theologi nostri verba carpunt, & rodunt. Ad hæc adversarius opponit, *Fratrem Bellelli* eodem libro cap. 32. scribere, quod voluntas *in praxi*, & *in individuo* non possit esse media & indifferens, ac proinde si careat omni gratiæ adjutorio, labatur in philautiam, & incidat in pravum, atque inordinatum amorem; & cap. 35. asserere virtutes infidelium, in quibus deficiente fide *ex Jesu Christi auxilio*, deest quoque amor Dei, quo pervenitur ad Deum, *non esse veras virtutes*, quæ singula sunt Bajani systematis capita; ideoque manifestum est, in *Fratre Bellelli revivisere Bajanismum*. Hæc adversarius; quæ utrum manifeste demonstrent Patris Bellelli Bajanismum, an manifeste evincant conviciatoris ineptissimam loquacitatem, arbitror rem esse perspicuam. Dixi enim, & sæpe dixi, & dico iterum, vitium quod *in praxi*, atque *in individuo* reperitur in singulis operibus moralium virtutum, quæ fiunt absque gratia, & non referuntur in Deum, non esse iisdem operibus *intrinsecum*, quasi a cupiditate derivent, & ab ea corrumpantur; sed esse vitium *operantis*, qui eadem opera non referens ad finem ultimum, facit bonum *non bene*: ac dixi, & sæpe dixi, ac dico iterum, virtutes hujusce generis esse *veras virtutes* si comparentur ad finem proximum, non esse *veras virtutes* si comparentur ad ultimum finem; atque hanc esse sententiam Patris Bellelli demonstravi supra §. 4. & 5. Adde ea, quæ illustris Theologus habet cap. 32. ac 35. nuper laudatis, & quæ adversarius damnat Bajanismi, esse eadem omnino verba Augustini lib. 4. contra Julianum cap. 3. num. 33. Obsecro humanitatem lectoris, ut utrumque legat; pudet enim me, diutius hæc blateramina, & hirundinum musea gemi-

Bellelli de modo Rep. to. I. pag. 408.

Augustinus to. 10. pag. 597.

Bellelli tom. I. pag. 411.

August. tom. 10. pag. 600.

Bellelli tom. I. cit. pag. 401. & 416.

Aug. tom. 10. pag. 602.

Noris tom. I. pag. 934. Ibid. pag. 938.

geminare, atque cum homine, qui cicada vocalior, & cornice loquacior est, cornicari.

Bajan. Rediv. pag. 247.

Tandem adversarius in eodem argumento persistens subjicit *analysim* capitis tertii lib. IV. contra Julianum, præmittens, *frustra Fratrem Bellelli ad Augustini auctoritatem confugere, de quo etiam Bajus gloriabatur, & ex eodem fonte Jansenius totum suum hausisse systema venditabat*. Hujus synopsis scopus est demonstrare, quod Augustinus cum Juliano disputans egerit de virtutibus, *quibus recte vivimus, & quibus meremur vitam æternam*. Sed in ea synosi exornanda oleum operamque perdidit, nostramque controversiam minime attigit. Quod enim Augustinus cum Juliano disputaverit de virtutibus, quibus recte vivimus, & quæ pertinent ad pietatem veramque justitiam, verissimum est, idemque traditur a Fulgentio Bellelli luculentissimis testimoniis, quorum nonnulla produxi supra §. 3. sed controversia nostra hæc est, an virtutes, quæ Deo non serviunt, quæ *steriles* sunt, quæ non referuntur in Deum, quæ ad salutem non pertinent, sint *veræ virtutes*; an recto fine destitutæ, & spectata circumstantia finis ultimi sint vitia virtutibus simillima. Hoc nos contendimus: hoc Augustinus docuit scribens eodem cap. 3. num. 22. *Fieri non potest, ut steriliter boni simus: sed boni non sumus, quidquid steriliter sumus. Nullo modo homines sunt steriliter boni: sed qui boni non sunt, possunt esse alii minus, alii magis mali*: hoc Norisius in Vindiciis a Bajani erroris labe immune esse demonstravit: hoc nos in libris antehac editis, & cap. 1. §. 6. hujus dissertationis tradidimus: hoc Fulgentius Bellelli in Augustiniana *Analysi*, quæ illa, quam per saltum adversarius conscripsit, doctior & accuratior est, lib. v. de modo Reparat. a pagina 395. usque ad pag. 416. diligentissime præstitit. Oportebat ergo, ut adversarius priusquam nos provocaret, melius Augustinianam, nostramque sententiam percipere studuisset. Si hanc nondum est assecutus, eam exponam verbis Joannis Martinez de Ripalda lib. 1. de Ente supernaturali disput. 20. sect. 6. num. 27. *Disputabant* (inquit) *Patres Ecclesiæ*, quorum certissime Augustinus dux fuit, *adversus Pelagianos & Semipelagianos, qui actus naturales viribus solius naturæ elicitos tanti faciebant, ut eos in vitam æternam consequendam, & initiandam salutem conferentes profitebantur. Ergo inermiter dimicassent contra illos, si de subjecto disputationis Pelagianorum & Massilienſium non affirmarent, aut negarent aliquid eis contradicens. Ergo cum subjectum disputationis Pelagianorum & Massilienſium essent actus naturales solius arbitrii viribus eliciti; putandum est Ecclesiæ Patres negantes ante illos actus existere naturam destitutam gratia, & affirmantes ante gratiam solum existere peccatum, de illis quidem actibus, ac universim de omnibus moraliter bonis affirmasse, & negasse contradicentia adversariis, quos oppugnabant. Ergo credendum non est, omnino præteriisse eos actus; atque adeo asserentes solum peccatum præcedere auxilium gratiæ, non excludere præcedentes omnes actus virtutum moralium. Alias nulla esset argumentatio Patrum, cum possent adversarii opponere, præter peccatum antecedens gratiam, præcedentes esse virtutum moralium actus, quos semper salutares fieri supponebant. Igitur cum Ecclesiæ Patres hanc suppositionem indemnem reliquerint, imo potius veram illam ponentes, contra hostes gratiæ solum contenderint ante gratiam nihil boni nobis inesse, persuadendum nobis est, semper credidisse ante hos actus præveniri arbitrium auxilio gratiæ, solosque naturæ conatus in peccatum Dei auxilio destitui.* Hæc sententia, cui subscribit Ripalda, & quæ nullum opus veræ virtutis, undique laudabilis, agnoscit absque gratia præveniente, est sententia illa eadem, quam Fulgentius Bellelli docet ab Augustino contra Julianum disputante fuisse traditam, & quam negamus cohærentiam habere cum Bajanis erroribus. De auctoritate autem Augustini jure meritoque gloriamur; nec illam Bajus, Jansenius, & Novatores alii duntaxat, sed etiam Pontifices Maximi, Concilia, Patres, universi Theologi summis laudibus prosequuntur: cum hoc tamen discrimine, quod Novatores illa abutuntur ad patrocinium erroris, eaque abutentes contemnunt definitiones Ecclesiæ: nos contra ea utimur ad veritatis præsidium, atque ad Ecclesiæ definitiones, quibus illam quoque subjicimus, defendendas ac propugnandas. Cedit vero in majorem Augustini laudem, ut alibi diximus, quod etiam hæretici ac Novatores illum plurimi faciant, solum in eum obmurmurantibus Pelagianis; quemadmodum cedit in divinarum scripturarum ampliorem gloriam, quod illis etiam heterodoxi conantur imperitis nefaria dogmata suadere. Quapropter, debita proportione servata, quod Augustinus ajebat de auctoritate divinorum librorum, repetimus cavendum esse adversario circa Augustini doctrinam. *Ne id, quod imperitis videtur absurdum, vitupe-*

Ripalda tom. 1. pag. 160.

Tom. 5. p. 2. pag. 168.

rare audeat, & pervicacibus concertationibus efficiatur indocilis. Lib. 1. de serm. Domini in Monte cap. 3. n. 10.

III. Majori brevitate expediam quæ Anonymus profert, ut Fulgentio Bellelli impingat errorem propositionis Bajanæ 28. *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet*. Inquit enim Fulgentium nostrum errorem illius propositionis adstruere, primum *quia in ejus sententia nullum est medium inter cupiditatem & caritatem, & quæcunque fiunt absque gratiæ adjutorio, fiunt ex motivo cupiditatis*. Secundo quia lib. 3. de statu creat. rat. cap. 3. inquit, *Sine gratia Deus neque ut auctor naturæ diligi potest*. Tertio quia *Bajanæ propositioni sensum attribuit suppositititium, illam exponens de gratia sanctificante*. Rursus quia etiam propositionem 38. Quesnellianam, *Peccator non est liber nisi ad malum, sine gratia Liberatoris*, eludit fictitium illi sensum affingens, idest propositionem illam restringens *vel ad gratiam habitualem, vel ad gratiam actualem efficacem*, quæ expositiones se mutuo evertunt, atque interimunt, cum gratia *sanctificans* non sit gratia *actualis*. Tandem, quia licet F. Bellelli in Propositionem Quesnellianam 38. §. 2. asserat, *quod liberum arbitrium facere possit aliquod bonum morale*, nihil autem possit *absque Mediatoris gratia*, eorum duntaxat, *quæ pertinent ad pietatem*; in his tamen verbis *latet sub angue venenum*, quia F. Bellelli nihil aliud vult, nisi *quod possint absque auxilio gratiæ fieri quædam opera ex officio & fine proximo moraliter bona, quæ tamen defectu ultimi finis sint peccaminosa*, ut inquit ibidem §. 1. *Quam vero ineptæ sint hujusmodi expositiones F. Bellelli nemo non videt*.

Bajan. Red. pag. 261.

Ad hæc omnia non semel responsum dedimus. Ad primum enim diximus Bajanum assertum 38. Fulgentio Bellelli inique imputari, quod & demonstravimus cap. 3. primæ dissertationis. Ad alterum dictum est hoc §. num. 1. Theologum nostrum lib. 3. de statu creat. rat. cap. 3. sermonem instituisse de amore Dei *super omnia*, eique in hac parte consentire Theologos præstantissimos, quos recensuimus cap. 1. Ad tertium repetimus sensum illum commentitium non esse; quoniam revera Bajum solam gratiam *sanctificantem* admisisse constat ex prima dissert. cap. 1. §. 2. & 3. ac præterea de gratia *sanctificante* articulum 28. acceperunt viri doctissimi Norisius, Macedo, Turrianus, Vasquesius, qui etiam testantur eamdem propositionem, si de gratia *actuali* enuntietur, esse Augustini, ejusque discipulorum: quod itidem constat ex hac dissertatione cap. 1. §. 3. Ad quartum quod attinet, pariter demonstratum est dissert. 1. cap. 1. §. 4. etiam judicio centum Episcoporum Galliarum, a Quesnellio nullum aliud principium humanarum actionum constitutum fuisse, præter *caritatem habitualem*, & *cupiditatem habitualem*. Ad ultimum quoque ex cap. 3. dissertationis primæ, atque ex hoc ipso, in quo versamur, evidentissime apparet Fulgentium Bellelli, ubicunque *vitium* agnoscit in operibus, quæ non referuntur in finem ultimum, accipiendum esse *de vitio operantis*, non *operis*: asserere absque ambiguitate verborum, quod non semper opera in Dei gloriam virtualiter non ordinata corrumpantur *a cupiditate*; nec aliud affirmare, quam id, quod ab Augustino traditum ac verissimum esse censent Seripandus, Norisius, Bona, Macedo, Augustiniani universi, aliique, de quibus cap. 1. §. 4. & 5. necnon Ripalda, de quo paullo supra: ideoque mendacissime de scriptis Fulgentii Bellelli profertur pronunciatum illud, *Latet sub angue venenum*, quemadmodum veracissime de conviciatoribus divinum eloquium, *Venenum aspidum sub labiis eorum*.

Psalm. 139. 4.

IV. Aggreditur deinde adversarius doctrinam P. Bellelli circa fidem, spem, ac timorem, eamdemque esse ac Bajanam primum infert ex verbis Augustiniani Theologi lib. 1. de statu creat. rationalis cap. 14. *Quo fit, ut nec ipsa actualis fides, & spes, ipseque timor, qui justificationem præcedit, tanquam Spiritus Sancti donum, esse queant sine aliqua actuali dilectione & caritate, quæ omnia in debitum finem dirigat*. Deinde, inquit, ex principio Bajano nullum admittente medium inter *caritatem* atque *cupiditatem F. Bellelli* argute colligit, neque fidem, neque spem esse sine caritate, scribens ibidem: *A fide ipsa, unde nostra justitia sumit initium, caritas indivulsa semper est, quoniam fides per caritatem operatur;* eodemque lib. cap. 17. & lib. 3. cap. 4. apertissime repetit, timorem haberi non posse *absque fide & dilectione*. Præterea *de modo Reparat.* lib. 5. cap. 36. ait propositionem 12. damnatam ab Alexandro VIII. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides*, intelligendam esse de iis, *qui caritate justificante destituti sunt*, demonstrans quam *desperata sit ejus causa, quæ ad tam ineptas confugere cogitur cavillationes*. Propositionem quoque 15. damnatam ab eodem Summo Pontifice, At-

Bajan. Rediv. pag. 272.

ce, *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus, & ſupernaturalis*, ita eludit, ut attritio bona ſit ac ſupernaturalis, *etiamſi perfecta, & caſta dilectione remiſſiva peccati ſit deſtituta*, requirens tamen, ut eadem attritio bona & ſupernaturalis ſit, ut ſit *cum quibuſdam inceptæ caritatis flammulis, aut ſeminibus*. Expreſſius *de modo Reparat.* lib. v. cap. 8. conſentit Bajo, affirmans *in praxi, & in individuo ſupernaturalem gehennæ timorem*, qui certe rectus, ordinatuſque eſt, *ab inchoato, & virtuali ſaltem amore juſtitiæ ſoboleſcere*. Hæc Anonymus ad paginam uſque 275.

Hæc omnia, quæ ſi P. Bellelli nil aliud aſſereret, viderentur aliquid habere momenti; ſi animadvertatur, quod fraudulenter tacetur, quid eximius Theologus *caritatis & dilectionis* nomine intelligat, nec quadrante digna ſunt; commonſtrantque Anonymi indolem *argutulam, promptulam, facetulam*. Tria ergo ad memoriam revocanda ſunt, alibi jam comprobata: quibus ſpectatis illæ *Bajaniſmi* larvæ in nihilum occidunt, atque evaneſcunt. Primum eſt, Patrem Bellelli, dum ait *abſque caritate, & dilectione* nullum dari actum virtutis, neque ſpem, neque timorem, neque fidem, nomine *caritatis ac dilectionis* intelleXiſſe *bonam voluntatem, amorem juſtitiæ, piam animæ affectionem*, & *gratiam auxiliatricem*, quæ a S. Patre Auguſtino dicitur *inſpiratio ſanctæ dilectionis*; non vero intelleXiſſe *caritatem explicitam, amorem benevolentiæ, ac dilectionem Dei ſuper omnia*; ſed expreſſe, perſpicue, & apertiſſime, abſque tali dilectione, & caritate proprie dicta, agnoviſſe actus fidei, ſpei, atque timoris, bonos, utiles, ac ſupernaturales, atque diſponentes ad juſtificationem. Ita illuſtris Theologus ſcribit de modo Rep. lib. v. cap. 2. pag. 331. cap. 35. pag. 421. in propoſitionem 53. Quеſnelli pag. 177. in propoſitionem 54. pag. 185. & in propoſ. 61. pag. 215. & 218. Secundo Patrem Bellelli, ubicunque exigit *amorem benevolentiæ* ad fidem, ſpem, & timorem, ut ſint actus virtutum *undequaque recti & ordinati*, ſermonem inſtituere de actibus virtutum, qui non tantum tales ſint comparate *ab objectum ac finem proximum*, verum etiam comparate ad *finem ultimum*; atque accurate etiam animadvertiſſe actus virtutum, qui *virtualiter* non referuntur in Dei gloriam, ſecundum *ſubſtantiam ſuam* bonos eſſe, neque *a cupiditate* corrumpi, etſi vitium aliquod ſit in *operante*, qui non refert eoſdem actus in debitum finem: quod vir ſpectabilis ſcripſit *de modo Rep.* lib. v. cap. 12. pag. 338. cap. 2. pag. 310. in prop. Quеſnelli 51. pag. 167. in prop. 53. pag. 177. & in prop. 61. pag. 213. Tertio Theologus noſter, ubi aſſerit fidem, ſpem, ac timorem, non eſſe abſque amore benevolentiæ, loquitur de fide, ſpe, ac timore, quatenus *proxime* ad *juſtificationem diſponunt*; quod *de fide* affirmat in propoſitionem 51. Quеſnelli pag. 168. *de ſpe* in propoſitionem 57. pag. 193. ac *de timore* de modo Rep. lib. v. pag. 333. & in Epiſtola Apologetica pag. 36. Hæc tria, quæ animadvertenda dixi, a me demoſtrata fuere diſſ. 1. cap. 3. §. 5. & §. 6. num. 1. necnon hoc eodem capite §. 5.

Itaque Fulgentius Bellelli lib. 1. *de ſtatu creat. ration.* cap. 14. loquitur de fide, ſpe, ac timore, quorum ſupernaturales actus *undequaque ſunt recti, atque in finem ultimum referuntur*, tametſi nec eo loci commemorat amorem benevolentiæ, ſed tantummodo *aliquam actualem dilectionem*, ſeu gratiam prævenientem, quæ eſt *caritas* quidem *actualis*, ſed late accepta, & quæ nec a fide, ceteriſque virtutibus divulſa eſt. De caritate pariter late accepta loquitur P. Bellelli in eodem Opere lib. 3. cap. 4. ubi cum Auguſtino gratiæ adjutorium appellat *amorem juſtitiæ, cordis ardorem, & dilectionem boni*. Agens autem lib. v. cap. 36. *de modo Rep.* de propoſitionibus damnatis ab Alex. VIII. diſerte ſcribit: *Qui peccatum odit mere ob ejus turpitudinem & fœditatem, non peccat; ſed ad peccati remiſſionem per illud odium, deteſtationemque diſponitur*. Addit: *Neque ad quodlibet opus, ut ſit bene factum, præſens actus expreſſæ dilectionis exigitur*. Subjicit: *Sperat autem, qui ex intentione æternæ mercedis obtinendæ malum fugit, & bonum facit; ergo ejus intentio recta eſt*. Proſequitur: *Dum peccator caritate juſtificante deſtitutus ſperat, & ex motivo ſpei bonum facit, recte operatur, & Deo placet*. Scribit: *Timor ſervilis, qui a Deo præcipitur, & ex fide ſuppliciorum divinæ juſtitiæ exoritur, eo quod ad gratiam, & remiſſionem peccatorum utiliter viam præparet, ſupernaturalis omnino eſt*. Ait, *Non enim niſi bonus poteſt eſſe motus conceptus ex metu, quem Chriſtus præcipit*. Affirmat attritionem, *quæ non ex dilectionis motivo, ſed ex pœnarum metu deſcendit, eſſe donum Dei, & Spiritus Sancti moventis impulſum*. Monet, quod *illa Auguſtiniana acceptio dilectionis pro ſancta delectatione auxiliatrice, quam plerique recentiores tuentur, generalior eſt, & quod quoſcumque actus ſupernaturales tranſcendat, quamvis non ſit dilectio illa expreſſa, & inchoata, qua Deus diligitur, ut ſummum bonum*, & quæ requiritur, ut dolor attritionis *in Sacramento ſufficienter diſponat*. Hæc omnia, quæ tam evidenter commonſtrant a Patre Bellelli ſummopere commendari fidem, ſpem, ac timorem, quamquam non procedant ab illa caritate, *qua Deus diligitur, ut ſummum Bonum*, habentur eodem cap. ex quo adverſarius infert *deſperatam eſſe illius cauſam*, ad ineptas confugere *cavillationes*, atque in ejus doctrina non eſſe a peccato immunem *attritionem* illam, quæ non concipitur *ex motivo dilectionis Dei propter ſe*. Poteſtne adinveniri homo, qui ſplendidius mentiatur, qui litam felle & aceto acerbiori linguam habeat, qui nugacius emungat ſibi cerebrum? Omitto quæ ſcripſi diſſert. 1. cap. 3. §. 5. ubi hæc eadem objecta refutavi. *E. R. pag. 274*

Ad hæc adverſarius opponit: *F. Bellelli libro* v. *de modo Reparat., in quo diſcutiendæ quæſtioni de timore & amore Dei operam impendit, nonnulla vera cum falſis admiſcet, quæ ne confundantur permagni intereſt. Docet enim amorem mundanum, necnon timorem ſerviliter ſervilem eſſe malum*, non quidem *ſecundum ſubſtantiam*, ſed *ſecundum ſervilitatem*; in quo Catholici omnes conveniunt. At diſcrepat Theologus iſte ab Orthodoxis, quod *timorem ſervilem confundat cum timore initiali*, ac velit, *quod timor ille ſervilis, ut ſit ordinatus, oriatur ex amore juſtitiæ*. Orthodoxi *autem docent non peccare illum, qui ex ſolo timore ſervili*, non autem *ex amore juſtitiæ, abſtinet a peccato, modo non habeat ſimul conjunctam voluntatem peccandi, ſi peccare poteſt impune. Atque ita docet Sylvius in* 2. 2. *qu.* 19. *art.* 4. *quem citato libro* v. *cap.* 1. *laudat F. Bellelli. At hic nullum agnoſcit timorem inculpatum niſi ſit initialis, & niſi adjunctum habeat aliquem Dei amorem, ſcilicet amorem juſtitiæ. Aperta ſunt illius verba:* „ *Timor*, inquit, *dividendus eſt in ſervilem, & filialem. Servilis autem iterum eſt partiendus in ſerviliter ſervilem, ſeu in quantum ſervilem, qui inordinatus ſemper eſt, & ſervilem initialem, qui ordinatus eſt, & de utroque participat. Servilis enim dicitur, quia pœnas reſpicit, & inchoate etiam filialis dicitur, quia initium delectationis habet, qua timens gratiæ excitantis dulcedine jam incipit amare juſtitiam*. „ *Igitur F. Bellelli ut ea, quæ fiunt ex motivo timoris, inculpate fiant, requirit amorem juſtitiæ, qui in ejus ſententia nihil eſt aliud, quam caritas. Accedit, quod errorem ſuum ſuadere nititur præcepto Apoſtoli, Omnia in gloriam Dei facite: de quo diſſerit eodem libro* v. *a cap.* 12. *ad* 20. *ubi veritatem, & mendacium ita confundit, ut vix prima fronte ſecerni poſſint. Sed ea articulo ſequenti ſe offerent diſcutienda*. Hæc adverſarius.

Minime in hac objectione fabricanda accuſator perdidiſſet operam, ſi animadvertiſſet a nobis vitium operi inhærens a vitio operantis ſecerni, & admitti opera in ſe, & quoad *ſubſtantiam* attinet, bona ac perutilia, necnon ad gratiam diſponentia; quamquam operator, quia non amat, & caritatem non habet, ſit malus. Quæ cum in ſcriptis Auguſtinenſium adverſarius, ſcholarum aliarum principiis aſſuetus, debita diligentia non advertiſſet, factum eſt, ut ipſe verax ſimul & mendax in Operibus viri doctiſſimi veritatem mendacio conjunctam eſſe putaret. Ceterum æquivocationes ejus, unde ruit in judicium præceps atque præpoſterum, ſtudui ego non uno in loco detegere, præſertim diſſert. 1. cap. 1. & 2. §. 6. num. 4. atque in hac tertia cap. 1. §. 6. num. 15. & §. 7. num. 4. Nunc vero, ut quiſque veritatem percipiat, addo eodem libro v. Theologum noſtrum commendare plurimum, ac ſupernaturalem appellare timorem illum *ſervilem*, qui exoritur ex metu gehennæ, & nondum per inchoatum amorem benevolentiæ accedit ad *initialem*. Ac primum perſpicua ſunt ea verba, quæ exſcripta fuerunt paullo ſupra ex cap. 36. ejuſdem libri, & quæ §. 6. fuerunt præmiſſa. Deinde de timore *ſervili*, incuſſo ex conſideratione gehennæ, & abſque delectatione juſtitiæ inquit cap. 2. pag. 310. *Ejus officium bonum eſt, & bona ſubſtantia ejus; bonum eſt enim pœnas timere*; & pag. 311. cum S. Thoma, *Timor ſervilis ſecundum ſuam ſubſtantiam bonus eſt, ſervilitas ejus mala eſt*. Cap. 3. eadem pagina 311. *Hunc timorem non eſſe peccatum, nec peccatores pejores facere definit S. Tridentina Synodus ſeſs. 6. can.* 8. Cap. 4. pag. 315. *Si timens tanquam in principale malum in pœnas feratur, inordinatus quidem erit; ſed hæc inordinatio timentis malum erit, non timoris*. Cap. 5. pag. 317. cum Bellarmino, *Qui ſerviliter timet, malus eſt, quia pluris facit pœnam, quam culpam, ſed timor ipſe non eſt malus*; & ne plura colligam, cap. 36. pag. 424. *Timor tamen ſervilis, qui a Deo præcipitur, & ex fide ſuppliciorum divinæ juſtitiæ exoritur, eo quod ad gratiam & remiſſionem peccatorum utiliter viam præparet, ſupernaturalis omnino eſt*. Quid ergo? In illis verbis, *Servilis autem iterum eſt partiendus in ſervi-*

Bellelli de ſtatu creat. pag. 62. & 360. 361. 362.

De modo Rep. pag. 420. 421. 424. 426. 427.

ſerviliter ſervilem, qui inordinatus ſemper eſt, & ſervilem initialem, qui ordinatus eſt, quæ verba deprompta ſunt ex cap. 4. pag. 316. non ait P. Bellelli timorem ſervilem, qui non oritur ex amore juſtitiæ, malum eſſe, & nullum amorem eſſe *inculpatum*, niſi ſit *initialis*, ut pag. 277. comminiſcitur adverſarius: ſed ait timorem illum non eſſe *ordinatum*, quoniam inordinatio eſt plus timere pœnam, quam culpam, ac plus timet pœnam, quam culpam, qui non amat juſtitiam, ut inquit etiam Eminentiſſimus Bellarminus lib. 2. de Pœnit. cap. 18. ut diximus diſſert. 1. cap. 2. prope finem, Noriſius ibidem laudatus, necnon S. Thomas, de quo idem Noriſius adverſus Germanitatem 11. tom. 1. pag. 1439. *Inordinationem* autem illam, quæ oritur ex defectu caritatis, & qua *ſerviliter* timens pluris facit pœnam, quam culpam, non eſſe *vitium timoris*, bene ſapienterque affirmarunt eo loci Noriſius, ac Bellarminus: idemque aſſeruit eodem in loco, ſcilicet cap. 4. libri 5. accuratiſſimus P. Bellelli his verbis, quæ haud immerito queror ab adverſario prætermiſſa fuiſſe, *Sed hæc inordinatio timentis malum erit, non timoris*. Hæc autem verba iis, quæ adverſarius objicit, adeo ſunt proxima, ut ejus oculos, quantumvis lippientes, effugere non potuerint. Atque hinc conſtat, quomodo timor ſervilis, ut *ordinatus* fiat, debet reddi *initialis*, quoniam debet conjungi cum amore juſtitiæ, ita ut qui timet, pluris faciat culpam, quam pœnam; quamvis ſecundum ſubſtantiam, qua bonus eſt, non importet *niſi timorem pœnæ*, ut docet S. Thomas 2. 2. qu. 19. art. 4. ad 3. Conſtat etiam timorem ſervilem, ut ſervilem, ſcilicet in quantum pluris facit pœnam, quam culpam, eſſe inordinatum, & malum *non ſecundum ſubſtantiam ſuam, ſed ſecundum ſervilitatem*: atque id eſt, quod ex Sylvio profert Auguſtinianus Theologus citato libro v. cap. 2. pag. 311. Pereunt ergo facta diſtinctione timoris, ac timentis cavillationes adverſarii; quemadmodum diſtincto vitio operantis a ſubſtantia operum, corruunt quæ opponit circa opera moralium virtutum, quæ in Deum finem ultimum non referuntur: de quibus etſi pertractatum a me eſt ſatis ſuperque; nolumus tamen poſtremos adverſarii clamores obturatis auribus præterire.

S. Thom. 2a. 2. p. q. 19. pag. 46.

Sylv. to. 3. pag. edit. Antuerp. 1605.

Poſtquam præmiſit, quod extrema parte capitis primi revocatum eſt ad examen, Patrem Bellelli mecum iiſdem telis pugnare, eodemque textu Apoſtoli abuti, ut probare nitatur, omnia opera, *quæ non fiunt ex motivo caritatis, eſſe peccata*, & poſtquam faſſus eſt virtualem relationem operum in Deum a pluribus Theologis propugnari, non ita tamen ut peccent in omnibus actionibus ſuis *defectu ultimi finis* omnes illi, qui eaſdem in Deum non referunt *ſaltem virtute*, inquit *Fratrem Bellelli velle, quod homines ſemper agere teneantur ex motivo caritatis, & conſequenter omnes actiones, quæ non fiunt ex motivo caritatis, eſſe defectu debiti finis peccaminoſas*. Id vero probat primo, *quia, ut ſæpius* dictum eſt, *nullum Frater Bellelli agnoſcit medium inter cupiditatem, & caritatem, ideoque contendit neceſſum eſſe, ea quæ non fiunt ex naturali, aut ſaltem virtuali caritatis motivo, vera eſſe peccata*. Secundo quia *malefidus* Doctoris Hipponenſis *Interpres*, cum S. Doctor ſcribat hominem inculpate operari *ex amore juſtitiæ*, lib. 3. *de ſtatu creat. rat.* cap. 5. *vult per dilectionem juſtitiæ caritatem omnino ſignificari, hinc inferens nullius virtutis amorem rectum eſſe, niſi Deum habeat principium, finem, archetypum, fontem*. Tertio *de modo Rep.* lib. 5. cap. 11. *diſtinguit F. Bellelli dilectionem juſtitiæ in implicitam, atque explicitam, & conceptis verbis capite* 12. *illam dilectionem implicitam ait eſſe caritatem virtualem, concludens*: „ *Implicita, & virtualis relatio fundamentum habet in præterito actu dilectionis, & in præſenti volitione proximi boni, pii, & honeſti, quæ ex præterita intentione moraliter durante deſcendit*. „ *Igitur F. Bellelli errorem ſuum nullatenus mitigat, dum ait ſufficere caritatem implicitam, ut actiones noſtræ ſint immunes a peccato, cum per caritatem implicitam intelligat caritatem virtualem*, ideoque ex illo Apoſtoli textu, *Omnia in gloriam Dei facite*, ſemper inferre velit *omnes & ſingulas actiones, quæ non fiunt ex motivo caritatis, fieri ex motivo cupiditatis, & eſſe peccaminoſas, ſaltem defectu debiti finis*. Hæc poſtremo conatu adverſarius.

Bajan. Rediv. pag. 282.

Comiſſime, & argutiſſime omnia. At quum Fulgentius Bellelli non erret adſtruens præceptum referendi omnia opera deliberata in Deum, ſaltem virtute, propterea quod agnoſcunt idem præceptum Theologi plurimi, ac præſtantiſſimi; evidentiſſimum eſt nullo pacto illum errare, & per ſummam, execrandamque calumniam Bajaniſtis adnumerari. Apertiſſime quippe negat Theologus ſapientiſſimus, omnia opera, quæ non referuntur in Deum, corrumpi *a cupiditate*, docens opus *non inquinari a malitia cauſæ, niſi ab ipſa procedat*, de modo Reparat. tom. 1. pag. 338. quod & repetit in Propoſit. Queſnellianam 45. pag. 139. ut non ſemel animadvertimus. Hoc ergo unum P. Bellelli contendit, opera, quibus deeſt relatio in finem debitum, bona eſſe, *non bene* facta; vitium tamen, atque *inordinationem*, quæ in iis reperitur, ſi honeſta ſint, *operantis* vitium eſſe, *non operis*. In quo innumeros habens ſibi conſentientes, ut diximus primo capite, fruſtra, & inique in ipſum tanta calumnia conflatur. Sed videamus, an jure ab homine Punicæ fidei dicatur vir probus atque honeſtiſſimus Auguſtini *malefidus interpres*. Primum accuſatoris argumentum omnino frivolum eſt, & commentitium; ſiquidem falſiſſimum eſt Fulgentium Bellelli ſcripſiſſe, quod inter *cupiditatem* & *caritatem* nullum ſit medium, ita, ut quæ non oriuntur *a caritate*, fiant, & corrumpantur *a cupiditate culpabili*; cum diſertiſſime tradat oppoſitum, prout oſtendimus diſſert. 1. cap. 3. §. 6. num. 2. atque in hoc ipſo capite §. 4. & 5. In ſecundo adverſarius aut mentitur, aut fallitur, aut potius ſimul falſus & mendax eſt: nam P. Bellelli lib. v. de modo Reparat. cap. 11. pag. 331. ait *dilectionem Dei implicitam eſſe illam, qua diligitur res, quæ Deo conformata juſta eſt, & quæ in amore rei cujuſcumque juſtæ continetur*; affirmatque hanc *dilectionem implicitam dici caritatem lata ſignificatione*, quo ſenſu *caritas* ab Auguſtino appellatur *cupiditas boni*. Caritatem vero *explicitam* paullo infra, ideſt, pagina 333. illam eſſe declarat, *qua Deus diligitur gratis, & propter ſe*. Atque id vir eximius aliis quoque in locis affirmat, ac præſertim in propoſitionem Queſnellianam 58. pag. 194. ubi *delectationem auxiliatricem* diſtinguit ab amore benevolentiæ, atque a *caritate*, etiam *inchoata & imperfecta*. Itaque nego juxta Patrem Bellelli *dilectionem implicitam* juſtitiæ eſſe *caritatem virtualem*, ſi nomine *caritatis* intelligatur amor benevolentiæ, quo Deus diligitur *gratis, & propter ſe*; tametſi amor iſte benevolentiæ præexiſtens, ac virtute perſeverans neceſſarius ſit, ut opera deliberata ſint bona *undique*, nimirum tam quoad *ſubſtantiam*, quam comparate *ad finem ultimum*. Ad tertium dicimus, bene ac ſapienter Fulgentium Bellelli tradidiſſe, quod *virtualis relatio* ſita ſit in præterito actu dilectionis moraliter perſeverante: at negamus virum ſapientiſſimum affirmaſſe, quod omnes & ſingulæ actiones, quæ non referuntur ſaltem virtute in Deum, oriantur a cupiditate, & *intrinſecus* ſint peccata, ſive quod omiſſio debitæ relationis *ſubſtantiam* earumdem actionum corrumpat; quum accuratiſſime diſtinxerit rectitudinem operum a vitio operantis: quæ duo adverſarius permiſcens ad rimoſa dolia portavit aquam.

Hæc cum ita ſint, extra omnem controverſiam poſitum eſt, Fulgentium Bellelli neque in ſenſu Baji docuiſſe *omnia opera, quæ non fiunt ex motivo caritatis, fieri ex motivo cupiditatis*: neque in ſenſu Baji affirmaſſe *impoſſibilem eſſe ſtatum puræ naturæ*: neque in ſenſu Baji negaſſe *amorem Dei naturalem*: neque in ſenſu Baji tradidiſſe *omnia opera infidelium eſſe peccata*: neque in ſenſu Baji aſſeruiſſe *liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio nonniſi ad peccandum valere*; neque in ſenſu Baji dixiſſe *actus fidei, ſpei, atque timoris, niſi fiant ex motivo caritatis, fieri ex motivo cupiditatis, ac proinde eſſe peccaminoſos*. Nihilominus ſcriptor confidentiſſimus gloriatur ſe in ſcriptis F. Bellelli quemadmodum & in meis, *Bajaniſmum Redivivum* demonſtraſſe. Nunc autem ſua intereſt, ut demonſtrationes ſuas non eſſe cavillationes, *Bajaniſmum redivivum* non eſſe ſuæ mentis phantaſma, inſimulationes non eſſe maledicta, atque reſponſiones has meas eſſe mendacia, eſſe exitioſam fraudem, eſſe Bajaniſtarum effugia, non cavillulis, non argutiunculis, non contumeliis, ſed argumentationibus Chriſtiano Theologo dignis evincat. Ceterum cum me, confratrem meum, & nobiſcum Auguſtinianos omnes ſcriptores, quorum doctrinam ſectati ſumus, acutiſſimo ac venenatiſſimo calamo vulneraverit; nemo ſiquidem, nec hæreticum aliquem peſtilentiſſimum, hactenus tam impudenti ſtylo aggreſſus fuit, ut adverſarium ſuum & *diſcipulum Novatorum, & mendacem, & fraudulentum, & doloſum, & temerarium, & oblivione dignum, & Conſtitutionum Apoſtolicarum contemptorem* appellaverit in ſingulis fere pagellis: cumque ego quoniam homo ſum, & licet omnium ſcriptorum minimus, Catholicorum tamen dogmatum propugnator, aliquando paxillum paxillo, & verba acuta acutis depellere ſtuduerim, quod & muſca ſplenem habeat, & formicæ inſit ſua bilis; ac præterea inique laceſſitus juſta rependerim, atque palam & nominatim aggreſſus, nomini tamen aggreſſoris ubique pepercerim: memor tandem officii mei, ut Auguſtini doctrinam, ita manſuetudinem atque humilitatem amplector, & his verbis accuſatorem meum interpello, quibus Doctor maximus alloquebatur Hieronymum: *Obſecro te ergo per manſuetudinem Chriſti, ut, ſi læſi te, dimittas mihi, nec me viciſſim lædendo malum pro malo reddas*.

Bajan. Rediv. pag. ult.

Epiſt. 73. alias 15. num. 3. to. 2. pag. 164.

*das. Lædes autem me, ſi mihi tacueris errorem meum, quem forte inveneris in factis, vel dictis meis. Nam ſi ea in me reprehenderis, quæ reprehendenda non ſunt, te lædis magis, quam me: quod abſit a moribus, & ſancto propoſito tuo, ut hoc facias voluntate lædendi, culpans in me aliquid dente maledico, quod mente veridica eſſe ſcis non culpandum. Ac per hoc aut benevolo corde arguas, etiamſi caret delicto quem arguendum putas; aut paterno affectu mulceas, quem * adjicere nequeas. Poteſt enim fieri, ut tibi aliud videatur quam veritas habet, dum tamen abs te aliud non fiat, quam caritas habet: nam & ego amiciſſimam reprehenſionem gratiſſime accipiam; etiamſi reprehendi non meruit, quod recte defendi poteſt: aut agnoſcam ſimul & benevolentiam tuam, & culpam meam; & quantum Dominus donat, in alio gratus, in alio emendatus inveniar.*

* In Editionibus aliis, abjicere.

FINIS TOMI QUINTI.

